PANEGYRICI VETERES

EX EDITIONIBUS

CHR. G. SCHWARZII ET ARNTZENIORUM

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN QUINTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.

PANEGYRICUS XI.

Mamertini] Mamertinus hic, quamquam senex dixit, cap. XVII. videtur alius esse ab illo, cujus supra ad Maximianum Herculeum duas orationes habemus, quia sexaginta circiter anni intercedunt. Hic consul Juliano gratias agit, aliis quoque honoribus, ærarii, aut prætorii præfecturis, ab eodem ornatus, cap. I. et XXII. Priore parte ejus victorias laudat, earumque caussam, virtutes singulares: posteriore gratias agit, et iterum virtutem, qua bonas litteras fovebat, cap. XXIII. prædicat: etiam modestiam, clementiam, humanitatem. *Cellar.* Vide adnotata initio Panegyrici II. *Patarol.* In inscriptione male omissum est prænomen *Claudii*, quod oratori huic fuisse discimus ex ipsius orationis cap. XVII. § 5. *Jæger.* Titulum ex suo cod. ita profert Schwarzius Dissert. ante Mamertini Paneg. Maximian. § 2. *Mamertini Consulis gratiarum actio de suo Consulatu dicta Divo Juliano semper Augusto.* Brevior est in cod. Puteanei penes me excerptis, *Mamertini gratiarum actio dicta Juliano.* Secutus Patarolum addidi *Claudii*, 'Flavium' adpellat Livineius infra II. § 4. Meursius Auctar. Philol. 27. Almeloveen in Fast. Consul. ad a. 362. qua auctoritate mihi non liquet, neque etiam, quare eum 'Mamertinum Promertinum' dixerit Junius Animadv. IV. 9. Messana oriundus fuerit, quod suspicatur Baunius, aliunde non liquet, quamvis Messanenses dictos fuisse Mamertinos probaverint eruditi ad Eumen. Grat. Act. III. § 1. Datum vero ipsi a Juliano a. CCCLXI. Largitionum curandarum munus testatur Ammianus Marcell. XXI. 8. quare se 'ærarium publicum curasse' dicit infra I. § 4. et 'thesaurorum omnium custodiam, et largiendi dispensationem' habuisse, cap. XXII. § 3. inde factus est præfectus prætorio per Illyricum, Ammianus XXI. 12. et ipse infra I. § 5. ad quem varias dedit leges Julianus, enumeratas a Gothofredo Prosopogr. Cod. Theodos. p. 65. in not. ad L. 13. C. Theod. de Curs. publ. et in Comment. ad L. 12. eod. Porro a. CCCLXII. creatus est consul cum Nevitta, natione Gotho, quod fecisse dicitur Julianus, ut trepidis rebus securitatem adferret, et obedientium nutriret fiduciam, apud Ammianum Marcell. XXI. 10. adde Gothofred. Chronol. Cod. Theodos. p. 62. Denique a Juliano post consulatum præfecturam prætorio Italiæ, Africæ, et Illyrici nactus est, eadem dignitate sub Joviano, et Valentiniano functus, fere per quinquennium, quo ad ipsum variæ sunt leges datæ, ex Theodosiano Cod. collectæ a Gothofredo Prosopogr. Cod. Theod. p. 65. in not. ad L. 12. de Curs. publ. ad L. 1. Quib. equor. usus, et in Comment. ad L. 2. de Constit. Princip. quibus addi possunt ex Theodosiano, L. 11. Cod. Theod. de Erogat. milit. annon. L. 2. de Bon. vacant. L. 57. de Decurion. et ex Justinianeo, L. 2. de Ponderat. L. 3. de Susceptor. L. unic. de Equestr. dign. L. 1. de Adparit. adde Ammianum Marc. XXVI. 5. sed in eo magistratu ipsum peculatus adcusavit Avitianus, qui Africæ vicarius fuerat, quare in ipsius locum successit Rufinus. Ammianus XXVII. 7. Gothofred. Chronol. Cod. Theod. p. 82. neque video, quo modo hic jam a. CCCLXV. præfectus prætorio dicatur in inscriptione L. 3. C. Theod. Quib. equor. us. ubi

Gothofred. hinc etiam vitiosa est inscriptio L. 8. C. Justin. de Profess. ad Mamertinum P. P. datæ a. CCCLXIX. in qua 'Probum' melius præfert Cod. Theodosianus, quem pro 'Mamertino' etiam substituendum esse in inscriptione L. 3. C. Theod. 'Ne quid publ. lætit.' eodem anno datæ, non male suspicatur Gothofredus in not. et ad L. 4. C. Theod. de Annon. civic. Inopem vero fuisse Nostrum ex cap. XVII. § 3. colligit Jægerus infra XV. § 5. ubi tamen hoc tantum indicare videtur, eas sibi facultates non fuisse, quibus consulatum ambire, sibique comparare posset. Porro, cum pro accepto consulatu gratias agat, recte a. CCCLXII. dictus creditur hic Panegyricus, quo consules in Fastis ordinarii memorantur Mamertinus noster, et Nevitta. Vid. Reland. Fast. Consul. p. 395. Hunc annum recte ponunt cum Baunio Fabricius Bibl. Lat. tom. II. p. 771. Reland. d. l. p. 398. Walchius Parerg. Acad. p. 892. Saxe Onomast. tom. I. p. 416. humanique quid passus est Vinetus ad Ausonii Grat. Act. init. cum a. CCCLXV. huic consulatui tribuat. Adde Patarol. infra II. § 1. Idemne fuerit, atque ille, qui Panegyricum II. et III. Maximiano dixerit, quæri video; in utroque tamen, præter idem *Claudii Mamertini* nomen, nihil, in quo conveniant, reperiri arbitror, Patarolí judicium secutus supra ad Mamertin. Maximian. init. Utrumque etiam distinxerunt, quos modo citavi, quod verisimilius judicat vir cl. in Bibl. Critic. vol. II. part. I. p. 31. unde cl. Saxe d. l. hunc 'minorem,' alterum 'majorem' adpellat. At suspicatur Baunius, quia senex hanc Gratiarum Actionem dixit, cap. XVII. § 2. eumdem illum Mamertinum, qui sub Maximiano vixit, Julianum quoque imperantem videre potuisse. Sed ductum illud ex senectute argumentum mihi parum firmum videtur: inter annum enim CCLXXXIX. quo primus Maximiano habitus est Panegyricus, et Mamertini consulatum, intercedunt septuaginta tres anni; jam vero si Panegyristam, cum Maximianum laudaret, viginti tantum annorum fuisse hominem fingamus, exeunt nonaginta tres anni, quos adtigerit, cum Juliano gratias ageret. Id vero utrum homini convenire dicas, qui 'meliorem sese ævi partem transegisse' tradit cap. XVIII. § 5. estne id potius illius, qui senectuti proximus, quam qui, summum humanæ vitæ terminum fere egressus, non meliorem, sed omnem fere ævi partem transegerit? Porro noster hic Mamertinus ita loquitur, ut numquam sese antea dixisse indicet; quod adfirmare non potuisset idem ille, qui bis Diocletianum et Maximianum pro concione laudasset. Ita cap. I. § 1. 'Ingenii, cujus me pœnitet, conscius etiam nunc tacere voluissem.' Itaque antea tacuit, qui 'etiam nunc' tacere vellet. Similiter ibid. § 2. 'Beneficia vicerunt, atque in id redegerunt necessitatis ambiguum, ut mihi aut indiserti, aut ingrati esset fama subeunda.' Tacendo indiserti famam subire non poterat, qui binis Panegyricis suam dicendi facultatem jam probasset. Denique si unus idemque fuisset, verisimilius est, Julianum Galliæ magis, quam Illyrici, præfecturam in eum fuisse collaturum, qui natione erat Gallus, et quare Treveris Maximianum laudaverat, 'nostrumque fluvium' Mosellam adpellat, Paneg. Maxim. XII. § 6. Hanc Gratiarum Actionem Romæ dictam fuisse Kal. Januar. scribunt Fabricius et Walchius dd. ll. De die non dissentio; at quidem de loco; habita enim est Constantinopoli, quod aperte probant verba cap. II. § 3. 'Ipsa hæc urbs ... officium hujus orationis efflagitat. Hæc tibi, ... civitas patria est. [ea autem erat Constantinopolis.] Hi cives et populares tui silere me

non sinunt.' Præterea hoc ipsa rerum gestarum probat series. Dicta enim est præsente Juliano, infr. cap. II. § 4. 'apud te, ac de te loquendi munus:' et XVII. § 1. 'apud te omnia animi operta reserabo.' Nimirum exeunte anno CCCLXI. Constantinopolim venit Julianus, illic III. Id. Decembr. a senatu honorifice exceptus. Ammianus XXII. 4. hac in urbe, prioribus saltem sequentis anni mensibus, adhuc est moratus, quod indicant variæ leges, eo tempore Constantinopoli datæ, et in primis confirmat L. 5. C. Theodos. de Fid. instrum. 'Pars actorum habitorum apud Imperatorem Julianum Augustum, Mamertino et Nevitta Coss. X. Kal. April. Constantinop. in Consistorio,' &c. Vix Constantinopolim venerat, quin Mamertinum, qui præfectus prætorio in Illyrico degebat, et Nevittam designavit consules, et mox Secundo Sallustio P. P. quæstiones agitandas commisit, adjunctis eidem Mamertino, Arbetione, Agilone, et Nevitta, qui omnes ad eas peragendas Chalcedona sunt profecti. Ammian. Marc. XXI. 12. in fin. et XXII. 3. unde etiam ad ea finienda, de quibus conquerebantur, Chalcedona proficisci jussi fuerunt Ægyptii, ibid. cap. VI. illic ad Mamertinum, his in quæstionibus occupatum, delatus videtur de consulatu collato nuncius, quem memorat infr. cap. XV. § 5. quo accepto Constantinopolim videtur profectus, ubi Kal. Januar. ipsius et Nevittæ nomina susceperunt paginæ consulares, ut scribit Ammian. XXII. 7. eoque ipso die hoc Panegyrico gratias egit, infr. c. XXVIII. § 1. 'Hic ipse, hic, inquam, ipse dies præbuit civilis animi satis clara documenta,' per quæ singularem illam humanitatem intelligit, qua a Juliano erat exceptus, et ab ipso, pedibus procedente, in curiam deductus, quæ cuncta enarrat cap. XXIX. § 4. et 5. cap. XXX. § 2. quare in eadem illa curia dictum esse Panegyricum arbitror. Ordinem habent varium edd. Plinio non connumerato, tertius est in Guelf. et Schwarzii cod. teste eodem Dissert. ante Paneg. II. § 2. quintus in ed. Rhenan. Stephanorum, et Rivini, undecimus in cod. Puteaneo, ed. Livin. Baunii, et Patar. quibuscum conveniunt, qui, Plinio omisso, decimum habent Gruterus, Parisienses, Cellarius, et Jægerus. *Arntzenius.*

CAP. I. § 1 *Participant*] Vid. Paneg. Pacati cap. I. § 1. *Jæger.* Et illic not. et Savaron. ad Sidon. Apoll. Epist. I. 3. *Arntz.*

Nunc demum] Cum tamen et antea beneficiis a te fuerim ornatus. *Patarol.* Quæ illa beneficia fuerint, dixi pag. præced. Non autem hæc indicant, postea demum pro consulatu gratias egisse; id enim ipso die, sive Kal. Januar. fecit; sed quod nunc primum gratias agat, cum antea jam ab Imperatore beneficia accepisset, pro quibus æque easdem agi debuisse videri posset. *Arntz.*

Exorsus sum] Cuspin. *sim*, quod præstabilius est altero illo. *Jæger.* In quo Jægerum sequor. *Arntz.*

A consulatu] De consulatu Mamertini Ammian. Marcell. lib. XXI. 'Brevi postea Mamertinum ad consulatum evexit, nec vita, nec splendore, nec usu, nec gloria horum cujusquam similem.' Et lib. XXII. 'Allapso itaque Calendarum Januariarum die, cum Mamertini et Nevittæ nomina suscepissent paginæ consulares.' *Putean.* Priori Ammiani loco XXI. 10. adhuc corrupto, usus est Puteanus, ut etiam § 4. Livineius; quæ enim de vita, splendore, &c. memorat, ad Nevittam, natione Gothum, pertinent, quare ex Ms. recte eum ita emendavit Lindenbrogius: 'Mamertino in consulatu junxit Nevittam, nec vita,' &c. Cf. etiam Gothofred. ad L. 7. C. Theodos. de Susceptor. *Arntz.*

Cujus me pœnitet] Idem significat, quod Eumenius Constantin. I. § 3. 'ex ingenio meo, quod mediocre est:' ubi similem Ciceronis pro Arch. cap. I. adtuli. *Idem.*

§ 2 *Vicerunt*] Forte *vicerint.* Livin. Si codd. addicerent, non negligenda hæc videretur conjectura. *Arntz.*

Indiserti] Loquendo. *Patarol.*

Ingrati] Tacendo. *Idem.*

§ 4 *Nam tum*] Melius *nam cum*, ut cohæreat cum eo, quod in fine sequitur, *quoquo modo.* Rhenan. *Nam quod tum me* Vet. *Puteanus.* Emendant *quum me*, ut cohæreat cum eo, quod in fine sequitur *quoquo modo.* At quomodo, quæso, filum orationis ita duci potest, ut, quo nunc ordine verba legimus, structura conveniat? Non convenit vero, nisi retractis illis, quæ ad finem rejecta sunt, et vocula una etiam deleta. Sic scribendum omnino, *Nam quum me ærarium publicum curare voluisti, quoquo modo videbar honorem onere pensare: quum quæreres virum animi magni adversus pecuniam, liberi adversus offensas, constantis adversus invidiam, me, qui tibi viderer ejusmodi, delegisti: idque eo tempore, quo partim exhaustæ provinciæ non minus exitiabilibus, quam pudendis præsidentium rapinis, ultro opem Imperatoris exposcerent, partim, milites, sæpe ante actis temporibus ludo habiti,* (*quum* hic plane delendum) *præsens stipendium flagitarent. At quum me prætoriis, &c.* Acidal. Et turbata series orationis, et scripturæ varietas corruptionem h. l. arguit. Pro *tum*, secundum emendationem Rhenani, habent *cum* Livin. cum omnibus posterioribus edd. *σοφὸν φάρμακον* adhibuit Acidalius, reponendis in locum suum, quæ luxata videntur: melius vero oratio cohærebit, si pro *At cum me* legamus cum cod. Put. *Et cum me.* Jægerus. Lege *nam cum me.* Schenkius, Præfat. tom. II. ed. Jæger. *Nam cum* recepit Livineius, post quem tamen Paull. Stephanus et Rivinus *nam tum* retinuerunt. Scripturam cod. Putean. habet etiam Guelf. *Nam quod tum,* quæ tantum est vera, modo mox pro *me qui* legatur *meque, qui*, quod ex Langii schedis in textum admisi, Schenkii judicio infra etiam probatum. Apte ita omnia cohærent. *Arntz.*

Ærarium] Ammian. Marcell. lib. XXI. 'Itidemque Nevitæ magisterium commisit armorum, Jovio quæsturam, et Mamertino largitiones curandas dedit.' Sic infr. hoc Panegyrico: 'Primum thesaurorum omnium mandata est custodia, et dispensatio largiendi.' *Putean.* Magnæ, et eximiæ laudes, quas de se prædicat, si ex fide. Sed de Ammiano observo, cum is videri, haberique vellet, sequiores in se hominum voces commovisse. Verba ejus e lib. XXI. hæc sunt: 'Tunc et memoriam Constantini, ut novatoris, turbatorisque priscarum legum, vexavit, eum aperte incusans, quod barbaros omnium primus adusque fasces auxerat, et trabeas consulares, insulse nimirum (forte 'nimium') et leviter, qui cum vitare deberet id, quod infestius objurgavit, brevi postea Mamertinum ad consulatum evexit, nec vita, nec splendore, nec usu, nec gloria horum cujusquam similem, quibus magistratum detulerat amplissimum Constantinus, contra inconsummatum, et subagrestem, et, quod minus erat ferendum, celsa in potestate crudelem.' Iterum: 'Mamertinum, præfectum prætorio per Illyricum, designavit consulem, et Nevitam, qui nuper, ut primum augendæ barbaricæ vilitatis autorem, immoderate notaverat Constantinum.' *Livin.* Refert et Ammian. Marcell. XXII. 8. 'Jovio quæsturam &c. Mamertino largitiones curandas,' &c. Curator autem ærarii, qui et 'illustris Comes Sacrarum Largitionum' dicebatur, totam pecuniam publicam administrabat, sub ipsoque erant cæteri pecuniæ dispensatores, ut tra-

dit Notit. Imp. et fusius explicat Pancirolus in eandem cap. 73. *Patarol.* Ærarium publicum, sive Sacras Largitiones, a privato diversum intelligi, docet Vales. ad Ammian. Marcell. XX. 11. quem etiam confer ad XXI. 8. Quæ autem hic contra Mamertinum ex Ammiano profert Livineius, ex loco corrupto sunt hausta, et ad Nevittam pertinent; vide, quæ modo dixi § 1. *Arntz.*

Adversus pecuniam] Tamen postea Avitianus, ex Vicario, eum peculatus reum detulit. Vide Ammian. XXVII. 15. qui et alia in eo vitia notavit XXI. 18. *Cellarius.* Posterior, quem Cellarius laudat, locus in Ammiano frustra a me est quæsitus; si vero intellexerit XXI. 10. prava lectione in errorem est ductus, Livineium forte secutus, de quo modo notavi. *Arntz.*

Me, qui] *Meque, qui* schedæ Langii. *Livin.* Leg. *Nam cum me .... invidiam, meque, qui tibi ... delegisti ad id eo tempore, cum exhaustæ prov. &c.* Schenkius, Præfat. tom. II. ed. Jæger. Ex Langianis hoc recepi; in Guelf. reliquisque codd. *que* facile potuit a seq. *qui* esse absorptum. *Arntz.*

Ejusmodi] Jactanter de se; contra quod stat Ammian. XXVII. 7. referens eundem ab Avitiano ex-vicario peculatus reum delatum fuisse. *Patarol.*

Delegisti] Alii *dilegisti;* sed hoc discrimen nullius fere momenti est. Vid. Gruner. ad Sedul. v. 393. *Jæger.* *Dilegesti* primus expressit Livineius, quem reliqui sunt secuti; codd. *delegisti,* quod, cum parum intersit, sequi præstat cum edd. antiquioribus, et Rivino, Baunio, et Jægero. Vide ad Nazar. Paneg. XXIX. § 2. *Arntz.*

Provinciæ partim non minus] Mutilus locus, redintegrandus e Mss. duobus, *partim deprædatione barbarica, partim non minus:* nam et sic quoque Viennensis impressio, nisi quod illa syllaba minus, *partim prædatione barbarica.* Gruter. Tunc temporis enim Gallias universas fere infestarunt barbari, adversus quos pugnavit Julianus, etiam dum adhuc Cæsar esset, ab Imperatore Constantio contra ipsos missus cum exercitu. *Patarol.* Non opus fuit, ut *prædatione* præferret Cuspinianus; usum enim vocis 'deprædatio' confirmavit Buneman. ad Lactant. Epit. LXXI. 3. De voce 'barbaricus' egi ad Eumen. Constantin. VI. 2. Ammianus XX. 8. 'barbarici sint impetus:' et XV. 5. 'barbaricæ se fidei committere.' *Arntz.*

Exitiabilibus] *Exitialibus* Vet. *Livin.* Etiam Guelf. Incertus Constantin. XXIII. § 1. 'exitiales vobis movete conatus.' Hoc duorum codd. quibus multum tribuo, auctoritate dedi, quæ lectionem confirment in voce, quæ utraque est recta. Ita Velleius II. 72. 5. dixit 'exitialem tempestatem,' et cap. 112. 3. et 4. 'exitiabilem cladem.' Cicero ad Attic. X. 4. 'bellum exitiabile.' Ita etiam variatur apud Sueton. in Calig. cap. 50. et Livium XXVII. 23. 4. *Idem.*

Præsidentium rapinis] Salvianus Gub. Dei IV. p. 60. 'Quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quam præda?' ubi Weitzius. Rapinam hanc descripsit Ammianus Marcell. XVI. 8. 'eos medullis provinciarum saginavit Constantius,' et quæ illic sequuntur, quare in Juliani gratiam hæc, præsertim de Constantio, Mamertinum memorasse suspicor. *Idem.*

Partim milites] *Partim* Vet. delet. *Putean.* In eo certe codd. fuit obtemperandum, qui si faverent, facile *partim* retinerem. Vulgata, omisso *et*, exemplis non caret; quod tamen in præcedentis verbi ultima etiam syllaba latere potuit, quam, addita lineola, forte exaraverit librarius *ret,* ut legendum sit, *exposcerent, et milites.* Arntz.

Ludo habiti] 'Ludibrio habitus' est apud Sallust. Jug. cap. 38. ubi Wasse. *Idem.*

Cum præsens] *Præsens stipendium* statim numerandum ac persolvendum. *Jægerus.* *Præsens stipendium* recte explicuit Jægerus. L. 8. § 9. D. de Transact. 'caussa aliqua urgeat præsentis pecuniæ.' L. 41. § 1. D. de Manum. test. 'nisi præsentem eam pecuniam solvat.' Cicero ad Attic. II. 4. Drakenb. ad Livium XXXVIII. 9. hinc 'repræsentare' ante diem, et præsenti pecunia solvere. Sueton. Claud. cap. 18. Cicero ad Attic. XII. 21. adde not. ad Mamertin. Maximian. I. § 1. *Arntz.*

Flagitarent] Non officiose, sed cum quadam vehementia, et pertinacia, quam verbi vim confirmavit Bunneman. ad Lactant. Instit. IV. 18. 5. et de Opif. Dei c. 3. 20. *Idem.*

§ 5 *At cum me*] Vet. *Et cum.* Putean. Cod. hujus scripturam supra probat Jægerus § 4. Guelf. tamen *at*, quod sequor, ut fiat oppositio. In priori enim munere honor onere pensabatur, at vero in præfectura prætorio major erat honor, neque tam ingrata in provinciis, egregie de Imperatore meritis, subeunda negotia. *Idem.*

Prætoriis] Ammian. Marcell. lib. XXI. 'Mamertinum præfectum prætorio per Illyricum,' &c. *Puteanus.* Præfectum prætorio per Italiam, Africam, et Illyricum Mamertinum a Juliano factum refert Ammian. Marcell. XXI. 5. De præfecto Illyrici, qui ferme et Italiæ erat, vide Pancirol. in Not. Imp. cap. 23. *Patarol.* Cf. Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 6. p. m. 281. sqq. *Jægerus.* Ex voce *prætoriis* dubitat Bynckershœkius ad L. Lecta cap. 2. utrum quatuor illis Constantini partibus præfuerit Mamertinus, sed illud historiæ contrarium, quæ Illyrici tantum præfecturam ipsi ante hoc tempus fuisse datam testatur. Contra eamdem committit Patarolus, hæc de præfecturis per Italiam, Africam, et Illyricum exponens; has enim, post habitum Panegyricum, demum accepit. Vid. ad init. *Prætoriis* potest esse militibus, sive cohortibus, de quo Perizon. de Prætor. Diss. II. § 40. *Arntz.*

Judicii] I. e. adprobationis tuæ, de qua significatione adi Schulting. ad Senecæ Controv. III. p. 212. Mencken. Observ. L. L. p. 553. *Idem.*

Commendasse] *Commodasse* libuit cum uno quidem Ms. sed sententia volente antea erat *commendasse.* Gruterus. Ita edd. antiquiores. Verum recte monuit jam Rhenanus legendum esse *commodasse;* et sic Lang. cum edd. reliquis. *Jægerus.* Codd. etiam Guelf. *commendasse,* quod in suis quoque invenit Puteanus, quia ad oram Rhen. nihil notavit. *Commodasse* est ex sola Rhenani conjectura, quam in Langii schedis esse adscriptam suspicor; neque Ms. quod fecit Gruterus, tribuere ausim. Habet illa multum, quo commendetur, a Grutero primum in textum admissa, quod reliqui, præter Rivinum, sunt secuti. Cicero ad Divers. XIII. 54. 'ut eo libentius his commodes:' et sæpe alibi. Livius XXIII. 48. 10. 'ut reip. ad tempus commodarent.' Nazarius Constant. XXXIII. § 5. 'Proclivior lædendi, quam commodandi semper est via.' Pacatus Paneg. XII. § 5. 'facultate et copia commodandi.' Nostram præterea lectionem aperte confirmat Pacatus XVI. § 3. 'In summis illis, pulcherrimisque beneficiis est aliqua præstantis utilitas.' Hanc itaque retinui, quia egregie convenit sequentibus, 'remotis utilitatibus tuis rationem meæ solum dignitatis habuisti;' et facile 'commodare' in 'commendare' abire potuit, quæ permutata esse notat Burman. ad Phædr. I. 17. 3. Est tamen, ne quid diffitear, quo codd. lectio *commendasse* sustineatur, si ex præcedenti repetas *provincias;* has cum Mamertini tutelæ mandaret Julianus, eas non solum ipsi commendasse videbatur, sed etiam suis negotiis, id est, in eorum com-

modum, quem dativi usum adtigi ad Mamertin. Maxim. XII. § 8. Genethl. I. § 1. *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Consulatu*] Factus est consul Mamertinus una cum Nevita, natione Gotho, anno CCCLXI. ipso statim primo scilicet imperii ejusdem Juliani anno, ut colligitur ex Fastis Siculis et Capitolinis. Ab hisce dissentit D. Le Clerc, qui ponit Mamertini consulatum sub anno CCCLXII. *Paterol.* Cf. supra ad init. *Arntz.*

Remotis utilitatibus] Videtur aliter sentire Marcell. XXI. 13. cujus verba, 'Tunc, ut securitatem trepidis rebus afferret, et obedientium nutriret fiduciam, Mamertinum præf. præt. per Illyricum designavit consulem,' &c. *Paterol.* Verba a *remotis* ad *honos* desunt in Guelf. quod factum ex repetita voce *consulatu*, propter quam intermedia passim omittunt librarii, de quo dixi ad Nazar. Paneg. XVI. § 5. *Arntz.*

§ 2 *Sine labore*] Si compares consulatum cum ærarii præfectura, aut prætorii, quasi otiosus est, et honoris tantum caussa multis datus, ut pueris Cæsaribus. Vid. Paneg. superiorem cap. III. § 5. *Cellar.* Cum consulatum iniverit Mamertinus Kal. Januar. et per id ordinarius fuerit, mihi hæc verba id potius indicare videntur, consulum potestatem, hoc præsertim tempore, parum fuisse molestam, propter creatos ab Impp. novos magistratus, dataque iis peragenda plurima, quæ antea consulum fuissent, quamvis solos voluntariæ jurisdictionis actus, quod quibusdam visum fuit, iis fuisse relictos non arbitrer. Vid. Schulting. ad D. de Offic. Cons. § 4. et Noodtius in Comment. eod. *Arntz.*

§ 3 *Urbs*] Constantinopolis. *Livin.* Ex his adparet, Panegyricum Constantinopoli, non, quod alii putavere, Romæ esse dictum, de quo supra ad Panegyrici init. *Arntz.*

Templum] Quem locum Noster *templum* appellat, 'sacrarii sedem' dixit Ausonius Paneg. cap. XXIX. locum nempe, in quo, ut puto, auditiones publicæ, et alia hujusmodi habebantur, qui et 'Consisterium' dicebatur, unde et 'Consistoriani' dicti, qui principi consultanti, aut judicanti in Consistorio adstabant, quales erant ferme præfectus præt. magister palatii, magister officiorum, comites, &c. ut adnotavit Valesius ad lib. XV. Amm. Marcell. *Paterol.* Curia. Cic. pro Milon. c. XXXIII. 7. 'Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici,' &c. *Jæger.* Recte; et eam quidem curiam intelligit, in quam ipse a Juliano erat deductus novus consul, infra XXIX. § 4. quamque Julianum frequentasse tradit Ammian. Marcell. XXII. 7. in qua de rebus publicis agebatur; parum itaque hic locus facit ad probandum, habita fuisse in templis judicia, quod fecit Schulting. ad Senecæ Controv. I. pag. 84. *Arntz.*

Efflagitant] Ita omnes: solus Guelf. *efflagitat*, quod restitui, quia *urbs* et *templum* duo sunt substantiva diversa, in quibus verbum solet esse singulare, de quo Bentleius ad Horat. Od. I. 13. 6. adde ad Mamertin. Genethl. VII. § 4. et XV. § 4. *Idem.*

Nominis novi] Nam Byzantium prius dicta est a conditore Byzante. Claudianus in Eutropium II. 'Hoc Byzas, Constantinusque videbunt?' Sibylla Erythræa (seu Phællo Epirotis est) oraculo, quod Historiar. II. refert Zosimus: *ταχὺ δ' ἐπιβήσεται ἀρχὴ Ἀνδράσιν, οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιετάουσι.* *Tum regna ingentia quondam Debentur terris, posuit qua mœnia Byzas.* Adi Eustathium in Dionysii Alexandrini Περιήγησιν. 'Atticorum coloniam' Byzantium Ammianus vocat lib. XXII. *Livin.* Urbs enim illa Constantinopolis dicta fuit A. C. tantum circiter CCCL. quo ipsam Constantinus M. restitutam dedicavit,

sedemque Orientalium Imperatorum constituit. Antea Ligos, mox Byzantium dicta a Byza, antiquissimo ex heroibus. Vide Barthium ad lib. II. Claudiani in Eutrop. *Patarol.* Male annum CCCL. ponit Patarolus, quo mortuus jam erat Constantinus: ad annum CCCXXX. retulit Baune supra Vit. Constantin. *Arntz.*

Est patria] Vide infra cap. XIV. § 7. *Cellar.* Memorat inter cæteros Marcellinus XXII. 9. 'Natus enim illic diligebat eam, ut genitalem patriam, et colebat.' *Patarol.*

Sidus] Ammianus de Juliano: 'Urbi (Antiochiæ) propinquans in speciem alicujus numinis votis excipitur, publicas miratus voces multitudinis magnæ, salutare sidus illuxisse Eois partibus acclamantis.' Cleopatra ad Julium Cæsarem apud Lucanum X. 'Tu gentibus æquum Sidus ades nostris.' *Livin.* Valer. Maxim. VI. 9. 15. de Cæsare, 'clarissimum mundi sidus,' et 'sidus paternum et avitum,' idem in Præfat. ubi Torren. apud Claudian. in Prob. vs. 148. 'Et magnos proferrent sidera partus.' Burmannus id tamquam adpositum 'magnos partus' habebat, de quo dubito. Adde Freinsh. ad Curtium X. 9. 3. not. ad Plinium Paneg. XIX. § 1. de Juliano Ammian. Marcell. XXI. 10. 'per alias quoque civitates ut sidus salutare susciperetur.' *Arntz.*

Exortus] Forte *exortus es.* Livin. Sed vide quæ de ellipsi hujus verbi dicta sunt Paneg. superiori cap. IX. § 5. *Jæger.*

§ 4 *Quisquam alius*] Puteolana *quisque;* quod ferri posset. Vid. ad Plinii Paneg. LXVIII. § 3. et LXIX. § 3. *Arntz.*

Auspicatissimo die] Intellexerit, opinor, Cal. Januarias, quibus magistratum inierint Fl. Claudius Mamertinus noster, et Fl. Nevita, A. U. C. MCXIII. ut ordinarii consules fuerint, nullis in eum annum suffectis, quod quidem in Fastis annotetur. Firmant hæc Ammiani, quæ ascripsi: 'Allapso itaque Calendarum Januariarum die, cum Mamertini et Nevitæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior princeps visus est in officio, pedibus gradiendo cum honoratis.' *Livin.* Auson. Gratiar. Act. IV. § 3. 'Nunc autem, quod diei hujus proprium, de consulatu gratias agam:' ubi not. 'Consulatus auspicalem diem' dixit alter Mamertin. Maxim. VII. § 2. *Arntz.*

Quam is] Conveniunt hæc aliqualiter cum illis Plinii Paneg. cap. I. 'Qui mos cui potius, quam consuli,' &c. *Patarol.*

§ 5 *Adjicitur*] Nescio, qui alii legunt, *adjicit enim l. d. honor laudantis:* non male. Sed cur hoc mutemus? *Acidal.* Patarol legit, *adjicitur enim l. d. honor laudantis;* nec sic quidem male. *Jæger.* Vulgatum tuentur notata a Jureto ad Symmach. Epist. IX. 101. *Arntz.*

§ 6 *Maxime, Imperator*] Baunius, deleto commate, *maxime* cum *Imperator* conjunxit, ut infr. XIV. § 6. et XVII. § 1. et XXIII. § 4. sed tantum *Imperator* est c. I. § 1. c. XVI. § 4. et XXVII. § 5. et XXIX. § 3. et XXXI. § 6. *Idem.*

Pro summa re] Pro salute, et conservatione imperii, ad quam omnia referuntur. Sic Tullius Philipp. II. 15. 'Quod quidem erat magnum, de summa re dissentientes in eadem consuetudine amicitiæ permanere.' Virgil. Æn. II. 322. 'Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?' Plurali numero Nepos Eumen. IX. 2. 'Omnibus titubantibus, et de rebus summis desperantibus.' X. 3. 'Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus jam valentes: cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum.' *Jæger.* Cf. ad Mamertin. Genethl. XIII. § 2. et ad Eumen. Constantin. VIII. § 2. *Arntz.*

Quanto totius] *Quanto ocius* Vet. Cuspin. Arbitror verum *quantocius,*

etsi id haud recordor in classico scriptore legere. Sed usus et Sulpicius Severus Dial. III. cap. 5. 'Nihil loqui te necesse est; scio, quid desideres; video, quid requiras. Discede quantocius, ne me ob injuriam tuam cælestis ira consumat.' *Livin.* Rhenan. et Stephan. cum reliquis *quantocius*, quod merito verum arbitratur Livineius. *Jæger.* Hoc adverbium etiam in litteris Constantini et Licinii apud Lactantium de M. P. c. 48. sect. 8. reperitur. Vid. ibi Buneman. *Idem.* *Quam ocius* etiam Guelf. *Quanto totius* ex Puteol. dedit Livineius. *Quanto ocius* ex Cuspin. Paull. Stephanus; Livineii *quantocius* reliqui receperunt, et ita legendum jussit Bauldri ad Lactant. M. P. 48. p. 290. hanc vocem auctoritate carere adfirmavit Vossius de Vit. Serm. IV. 35. cui tamen Sulpicii Severi locum opposuit Vorstius Lat. Merit. Susp. c. 2. et Cellarius Antibarb. p. 88. in Cur. Poster. p. 317. ex aliis quoque eam ad prolapsam Latinitatem referens, quibus quædam loca ad Lactantium d. l. addidit Bunemannus. Ex his quidem Mamertini ævo non indignum habeatur hoc vocabulum, sed ex sola Livineii conjectura obtrudere nolim, contra meliorem codd. Put. et Guelf. scripturam, in qua *quam ocius* notat *quanto ocius*, ut est in Vet. Livineii ex glossa: ita pro quanto comparativis jungi patet ex Curtio IV. 11. 9. 'quam hercule expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent.' *Arntz.*

Propria sunt] Quæ alii non participant, quæ tibi cum aliis non sunt communia. *Jæger.* Potius, quæ mihi sunt propria, ad ea beneficia, quæ in me contulisti. Publico pro iis nomine gratias agere debebat, quæ in remp. contulerat Julianus, sed quæ maxima ex parte est prætermissurus, ut ad sua potius perveniat, quare res ab Imperatore gestas tantum adtingit a cap. seq. ad c. 15. a quo reliqua sibi propria enarrat. Geminus est locus Eumenii Constantio v. § 4. 'Illa vero, Cæsar invicte, quæ ductu atque auspicio numinis tui gesta sunt, ... sine dilatione dicenda sunt: eo magis, quod, quamvis in communibus reip. bonis, necesse est, quæ propria nobis sunt, maxime gratulari:' ubi not. *Arntz.*

Cap. III. § 1 *Nunc receptas*] Has Julianus, a Constantio Imp. missus cum exercitu, ut supra adnotatum, recuperavit, barbaris omnibus profligatis. Testes Aurel. Vict. Eutropius lib. x. Marcellinus non uno loco. *Patarol.* Cf. cap. seq. init. Guelf. *receptas nunc*, in quo etiam post *virtute* deest *tua.* Arntz.

Barbariam] Barbaros in his Panegyricis præsertim esse Francos notavit Livin. ad Mamertin. Maximian. XI. § 4. et Eumen. Constantio IX. § 1. et XXI. § 1. *Idem.*

Pergam] Adgrediar. Tacitus Hist. I. 40. 3. de militibus Galbam trucidaturis: 'Igitur milites Romani, quasi Vologesen, aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non imperatorem suum inermem, et senem trucidare pergerent, disjecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidis equis forum irrumpunt.' *Jæger.*

Quasi inaudita] Cicero de Orator. I. 31. 'Nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum.' Pro Cæcin. cap. 13. 'Novum est, non dico inusitatum, verum omnino inauditum.' De hac vocis 'novus' notione late Gothofredus in Dissert. ad L. 8. C. de Testam. § 4. *Arntz.*

Fratris Imperatoris] Frater Constantii Julianus: nam sororem ejus uxorem duxerat. *Putean.* *Imperatoris fratris* Bertin. Vere *fratris.* Nam Julianus, et Constantius Augustus inter se fratres patrueles: ille Constantio, quem 'post fratris Constantini excessum (verba sunt Ammiani e lib. XXV.) inter complures alios

turba consumpsit, imperii successorem:' hic Constantino Magno, germanis, non una matre, editi. Valer. Flaccus Argonautic. I. 'Prior huic tunc regia proles Advolat, amplexus fraternaque pectora jungens.' Acastus enim, et Jason patrueles ab Æsone et Pelia, fratribus. Aliter Diocletiano A. Herculius 'frater,' ut me alibi notare memini. *Livin.* Constantii, qui frater patruelis erat Juliani. *Cellar.* Constantii nempe. 'Fratrem' vere ideo dici quidam interpretantur, quod patrueles essent Constantius et Julianus, utpote duorum fratrum filii, hic Constantii, ille Constantini M. Alii, quod Julianus Helenam, Constantii sororem, in uxorem duxerit. Ego potius 'fratres' dici crediderim, quod collegæ essent in imperio; quod dicendi genus toties superiorum orationum auctoribus familiare adnotavi. Quod etiam ut serio affirmem, movent me, quæ sequuntur verba 'consortis Imperatoris.' Adde nummum Juliani:



ubi legis VICTORIAE. D. D. N. N. hoc est, 'Dominorum nostrorum,' Constantii scilicet et Juliani, quos vides pari potestatis vocabulo vocari. *Patarol.* Non nego, 'fratrem' pro patrueli recte dici; ipse Constantius, cum Julianum faceret Cæsarem, 'fratrem' adpellat apud Ammian. xv. 8. quem paullo ante 'patruelem fratrem' dixerat Ammianus. Ita Torrentius accepit apud Sueton. Cal. cap. 15. De hac voce, et Græcâ ἀδελφὸς vid. Freinshem. ad Curtium vi. 9. 17. et cap. 10. 24. Drakenb. ad Livium xxxv. 10. 9. Verior tamen est Patarolì explicatio de imperii collega, quod sequens 'consortis Imperatoris' confirmat, neque aliter Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 49. de quo vocis usu pluribus dictum ad Mamertin. Maximian. I. init. et c. IX. § 1. Genethl. VII. § 5. Eumen. Constantio I. § 3. Incertum Maximian. VIII. § 5. et IX. § 2. et XI. § 4. Eumen. Constantin. XV. § 6. *Arntz.*

Mereretur] Puteol. Rhenan. H. Stephan. et Rivin. *mereretur*, quod in suis quoque habuit Puteanus, quia ad oram Rhenan. nihil notavit. Tacite Livineius edidit *mererentur*, quod reliqui sunt secuti, quia retulerunt ad præcedens plurale *nova et inaudita*. Restitui priscam lectionem, in qua singularis ad *laude* pertinet. *Idem.*

Consortis Imperatoris] *Imperatoris* deleam, ut glossema. *Livineius.* Cf. Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 290. Livineii exemplo *Imperatoris* uncis inclusit Jægerus. Mihi glossema non videtur; est enim eodem modo dictum, ut 'fratris Imperatoris,' quod præcessit. *Alienavit* abest Guelf. sed alio habet loco positum, ut modo exhibui. *Arntz.*

Gloriæ tuæ] Hæc in Juliani gratiam omnino prætendi dicerem, nisi et Zosimus ferme consentire videretur, quem vide lib. III. Ex reliquis enim auctoribus Constantio quinimmo plerique favent. Sic Amm. Marcell. XXI. 13. Sic Eutrop. lib. X. qui Julianum gloriæ avidissimum fuisse scribit, ex eoque nonnumquam animi immodici. *Patarol.*

§ 2 *Et ad vicem*] Fortius fuerit repetito verbo, *immortalem testor ad vicem:* quemadmodum exhibet scriptus unus codex, et alter typis editus Viennæ. *Gruter.* *Testor ad vicem* meliores. Rhenan. Stephan. Livin. habent *et ad vicem.* Cf. infr. c. XXIII. § 1. *Jæger.* Non abs re fuerat, judice Bibliotheca Critica, excitari locum

Ciceronis Off. III. 10. 'Cum vero jurato sententia dicenda sit, meminerit, Deum se adhibere testem, id est, ut arbitror, mentem suam, qua nil homini dedit Deus ipse divinius.' *Idem.* *Ad vicem Numinis* est Dei loco, cujusmodi exempla dedit Wopkens Obs. Miscell. Nov. tom. II. pag. 46. *Arntz.*

In hac urbe] *Hac potissimum urbe* Bertin. *Livin.* Bertin. parum probabiliter. *Jæger.*

De his] *De iis* Guelf. ut in hoc cod. plerumque. *Arntz.*

Optimum Imperatorem] Id est, te. *Livin.*

Si etiam nunc]. Prius hoc membrum cum præcedentibus potius nectendum: *Testor immortalem Deum, &c. me multa constanter, &c. atque suscepta sunt, si etiam nunc hominum cœtus Divus Aug. frequentaret. Nunquam profecto liberi civ. &c.* Acidal. Acidalii ad id pertinet observatio, quod in Rhenan. a *si etiam* nova inchoatur periodus. *Arntz.*

Divus Aug.] Vet. *Divus Constantius.* Utrumque potest ferri. *Putean.* Schœpflinus Alsat. Inlustr. tom. I. p. 406. hæc Mamertini verba eo refert, quod egregia Juliani facta sibi adscripsit Constantius, tamquam ipse gessisset, idque pluribus testatur Ammian. Marcell. XVI. 12. *Arntz.*

§ 3 *Fidei obsides*] Vid. Paneg. superiorem cap. XVI. § 5. *Jæger.* Et Schulting. ad Senecæ Controv. I. p. 65. *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Urbes*] Rem enarravit Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 234. et 235. ad Francos Salios, quos contra Quados tutatus est Julianus, ne Batavorum insula pellerentur, hunc locum refert In De Betouw. Annal. Noviom. p. 21. *Arntz.*

§ 2 *Judicum nomine*] Cf. Lindenbrog. ad Ammian. XXVII. 5. Quæ Noster tradit, forte ad Aquileiam pertinent, de qua Ammian. XV. 3. Sequens *obtinebantur* explicitum est supra ad Nazarium XXXVIII. § 5. *Idem.*

Ingenua indignis] *Ingenua suberant indignis* Vet. *Putean.* Excidit vox a capite, quam inseram de ingenio: *Lacerabantur ingenua, &c.* Livin. Verbum aliquod, seu participium, quod vocant, deest: nisi mutandum, *ingenui indignis cruciatibus correpti*, aut *torti*. Acidal. Nisi quid excidit, ellipsis est, et subaudiendum *lacerabantur*, aut simile. *Cellarius.* Pro *suberant,* forte *urebantur.* Lege *ingenua indignis cruciatibus usta corpora.* Schenck. Præfat. tom. II. ed. Jæger. Hunc locum, monente Bibliotheca Critica, attigit D'Orville ad Chariton. IV. 4. p. 397. ubi, magna vi exemplorum allata, docet, post duo substantiva unum non numquam subjungi verbum, iisdem respondens, quod tamen alterutri per se posito applicari non, vel vix, possit. Addit porro, aliquando unum verbum respondere, et sufficere duobus effatis ita, ut non vicinam, verum plane contrariam significationem habeat in hac, quam in illa pericope; ex. gr. ut in prima 'jubere,' in secunda 'vetare' notet. 'Ita explica locum Mamertini ad Jul. c. IV. 'Ingenua indignis cruciatibus corpora; nemo ab injuria liber: nemo intactus a contumelia.' In priore parte intellige contrariæ significationis τοῦ *liber* et *intactus* vocabulum, *subacta, attrectata, non libera.* Alii intelligunt *lacerabantur, suberant*, quod quodammodo procedat. At quis ferat Acidalii petulantiam, reponentis *ingenui indignis cruciatibus correpti*, vel *torti?*' Parerem utique tanti viri auctoritati, si locus hic similis esset eorum, quibus usus est. Verum in omnibus, qui et ab ipso, et ab aliis adnotati sunt, membra, sive pericopæ, quibus unum verbum duabus, iisque contrariis significationibus respondet, una complexione devinciuntur; in hoc Mamertini loco verba *ingenua corpora* membrum, seu

pericopen efficiunt disparatam. Si quid mutandum esset, pro *suberant* mallem *subigebantur cruciatibus*, sicut Zosim. I. 56. extr. habet *ὑπάγεσθαι κολάσεσιν*. Sed lectio, quam recepi, non videtur sollicitanda. Aur. Victor de Cæs. XXXVIII. 2. (Carus) 'in Mesopotamiam pergit protinus; quod ea Persarum quasi solemni bello subest.' Quemadmodum hic 'subest' idem significat, ac exposita est, seu vexatur, laceratur; ita *corpora suberant cruciatibus* dicitur pro corpora exposita erant, vexabantur, lacerabantur cruciatibus. *Jæger*. In Schonhovii excerptis est, *obtinebantur, ingenua indignis cruciatibus corpora*. Vera lectio est *suberant*, trium codd. auctoritate confirmata. 'Substernere' simili in re habet Ammian. Marcell. XXVI. 10. 'Vel sub eculeo caput incurvos, aut ictu carnificis torvi substravit.' *Arntz*.

Pretio mitigasset] Ammian. Marcell. XV. 2. 'Absolutionem pretiis mercarentur inmensis: tenues vero, quibus exiguæ vires erant ad redimendam salutem, aut nullæ, damnabantur abrupte.' *Idem*.

Barbaris desiderarentur] Legendum *barbari*. Rhenan. Vet. *barbari*. Putean. *Barbaris*, non *barbari*. Dativus Græce pro *a barbaris*, ut mox § 7. 'illi divisa sunt,' pro ab illo. *Anonymus* apud Strodtmann. Europ. Nov. Erudit. Part. VII. p. 585. Livineius jam *barbari* dedit, quod recte explicuit in interpretatione Baunius; illa judicum crudelitas, et inpotentia erat tanta, ut barbaros suas esse terras invasuros potius optarent, quia eorum, quos in captivitatem duxissent barbari, longe melior habebatur conditio. Ita Ammian. Marcell. XV. 2. 'Ducem domi forisque desiderari.' *Arntz*.

Præoptaretur] Guelf. male *præcipitaretur*. Pro *ut*, Jægerus dedit *et*, quod in nullo inveni. *Idem*.

§ 8 *Nimium habuit*] Reposueram *minimum habuit*, sententia fidejubente, atque id demum in Bertin. repperi. *Livin*. Subsequa desiderant, rescribamus *minimum*; et mirum, tale nihil notatum ab eo, qui tot excussit membranas, qui toties lineas has perlegit. *Gruter*. Quæ sequuntur, negationem hic immittendam clamant. Lege *non nimium hab*. Acidal. Emendatam lectionem *minimum* tuetur Schonhov. Gruter. cum recentioribus edd. Quis vero ille sit, quem nihil tale notasse miratur Gruterus, divinare equidem nequeo. Livineius certe, qui plurimas excussit membranas, jam emendationem hanc protulit, et Ms. Bertin. firmavit. *Jæger*. Guelf. *nimium*, quod in suis quoque habuisse videtur Puteanus, quia ad Rhenani *nimium* variantem non notavit. Hoc lectum fuit usque ad Gruterum, a quo *minimum* ad reliquos, præter Rivinum, fluxit: recte; sequentia enim lectioni *nimium* adversantur. Sunt hæc quoque permutata supra in Eumenio Constantin. XXIII. § 3. ubi vide. *Arntz*.

Debellatum] *Debellatum est* Vet. Eutropius lib. X. 'Cum multa oppida barbari expugnassent, alia obsiderent, ubique fœda vastitas esset, Romanumque imperium non dubia jam calamitate nutaret, ab hoc (Juliano) modicis copiis apud Argentoratum ingentes Alamanorum copiæ exstinctæ sunt, rex nobilissimus (regis filius Vadomarius, Zosimus) captus, Galliæ restitutæ.' Zosimus Historiar. III. LX. millia in eo conflictu cecidisse ait, totidem in Rhenum fluvium acta, et extincta. Adi locum. *Livin*. Prœlio ad Argentoratum. Vid. Ammian. XVI. sub fin. et Eutrop. X. 7. *Cellar*. Non unum quidem gessit Julianus cum barbaris bellum, ut vides apud Ammian. lib. XVI. XVII. et XVIII. sed memorabile illud, quod apud Argentoratum commisit, quo innumeras Alamannorum copias fudit, capto etiam eorundem rege, referunt præter

Ammianum citatum Eutrop. lib. x. Zosim. lib. III. *Patarol.* Hinc 'Argentoratus barbaricis cladibus nota' dicitur apud Ammian. xv. 11. De hoc prælio, et Zosimi loco Histor. III. 3. vide Gruner. ad Aurel. Victor. Epit. XLII. § 13. *Arntz.*

Emendatio morum] Cf. Spanhem. de Usu Numism. tom. II. p. 478. et 481. *Idem.*

§ 4 *De novo scelere*] Id est, ab, vel ex novo scelere, ut recte explicuit Schulting. ad Senecæ Controv. II. p. 148. *Idem.*

Ultorem juris] Id est, vindicem, et instauratorem. Infra mox: 'Ut aut barbaros domitet, aut civibus jura restituat.' Sed Divæus noster *in auctorem* malebat. *Livin.* *Auctorem* etiam adnotavit Schonhov. Sed nihil est mutandum. Julianus dicitur *ultor juris*, sc. neglecti, atque adeo violati, quemadmodum e. g. Alexander Magnus 'ultor publicæ securitatis,' Justin. XVIII. 3. 18. *Jæger.* Male Gnelf. *jure*, quod a librario, Christianis addicto, profectum arbitror in Juliani invidiam. *Arntz.*

§ 5 *Principis merces*] Lege *mores atque instituta*, suadente sententia. *Lipsius*, Epist. Quæst. III. 24. *Mores* reposui e binis Mss. Idem jam olim conjecerant Bongarsius ac Daniel, rejecto illo vulgari, *Principis merces.* Sic Pacatus Theodosio c. XIV. 'Sed cum hæc, et ad hunc modum cetera mores hominum et instituta formarint,' &c. *Gruter.* Lipsius ad Tacitum recte *mores.* Acidal. Optime Lipsius *mores*, quam lectionem Cod. Mœrl. cum edd. recentioribus exhibent. *Jæger.* Cicero ad Attic. IV. 18. 'oblitum consuetudinis atque instituti:' de Offic. I. 41. 'more aguntur, institutisque civilibus.' Pro Muren. c. 1. 'more institutoque majorum:' pro Cæcin. cap. 1. 'more institutoque omnium.' Lipsii apud Acidalium locus est Agricol. cap. 41. *Arntz.*

Falsarum opinionum] In Viennensi libro deest *opinionum:* recte. *Lipsius* Epist. Quæst. III. 24. *Opinionum* deest Bertin. Langii schedis, Cuspin. Placet alterutrum abesse, nisi si conjunctionem *et* immittimus, quod non temere probem. Posterius quidem meis auribus glossema sapit, atque id potius tollam. Suetonius August. cap. 67. 'Cosmum, servum, gravissime de se opinantem, non ultra quam compedibus coërcuit.' *Livin.* Lipsius ad Tacitum omittit vocem *opinionum*, de industria, an casu, nescio. At ego delendam alteram aio *vituperationum*, quæ alterius glossema. 'Opinandi' verbo in hunc sensum utebantur pro criminando. Sueton. Aug. cap. 51. 'Cum Æmulio Æliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime objiceretur, quod male opinari de Cæsare soleret:' et cap. 67. Et exempla in eodem plura. Apud eundem 'existimari' quoque non aliter. Tiber. c. 58. 'Dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua læsisse.' *Acidal.* De industria vocem *opinionum* omisit Lipsius, quam scilicet deesse in ed. Cuspin. observaverat. Abest illa etiam Bert. Lang. itemque Mœrl. et Gud. Lectionem parum probabilem adfert Schonhov. *falsarum opinionum vituperationem, licentiam, &c.* Mihi quidem omnino adridet sententia Livineii et Acidalii, et corruptio loci ab inscitia, et temeritate profecta esse videtur. Cum legeretur, *fals. opinionum lic.* adscripsit aliquis margini explicationis caussa, *vituperationum;* quod postea librarius transtulit in contextum. Corrector non satis doctus, alterutram vocem abesse debere judicans, ejecta exquisitiore, reliquit eam, cujus vim et potestatem ipsi facilius erat intelligere. Hoc fonte derivata clades in plures codices fluxisse videtur. Certe mihi persuaderi numquam poterit, *opinionum* esse insitivum; vel auctorem utramque vocem ἀσυνδέτως posuisse. Attamen nihil contra librorum auctorita-

tem immuto. De verbo 'opinari' pro judicare, atque adeo male dicere, vid. Casaubon. ad Sueton. Aug. c. 51. *Jæger*. De hoc loco Bibliotheca Philologica ita judicat; 'Nescimus, quid viris doctissimis in varietate lectionum indicanda acciderit; hoc tamen plane videmus, si *opiniones* h. l. sunt judicia hominum criminosa, seu criminationes, tum profecto vocem *falsarum* prorsus abjiciendam esse. 'Male opinari' de aliquo est utique criminari; sed 'falso opinari' est errare in judicio: nec licenter omnino agit, qui 'falso opinatur.' Quare aut delenda sunt verba *falsarum* et *vituperationum*, aut adjungendum est verbis *falsarum opinionum* substantivum simile alteri, *licentiam vituperationum* cum inserta particula *et*.' Mihi de h. l. sic videbatur. *Opiniones*, monente ipso viro doctissimo, sunt criminationes. Hæ aut veræ sunt, aut falsæ. Veris criminationibus qui locum nullum relinquit, vitavit culpam, laudem non meruit. Ille demum egregia laude dignus est, cujus mores atque instituta omni non solum crimine, sed etiam criminis suspicione carent, ut nemo inveniatur, qui falsis eum criminationibus adspergere audeat. Hanc laudem Principi tribuens orator non dicit, moribus ejus licentiam errandi in judicio, sed licentiam comminiscendi flagitia, submoveri. 'Falsa opinari,' ex bona Latinitate, sine controversia idem est, ac errare in judicio. Sed posteriore ætate verbum 'opinari' significatum habuit prioribus incognitum, adhibitum scilicet est pro loqui, scribere de aliquo, et quidem criminose. Putabam itaque voc. *opinionem* significare pari ratione posse judicium, vel sermonem criminosum, eumque aut verum, aut falsum. Attamen cum verbo 'opinari,' illa significatione usurpato, plerumque addatur 'male,' 'graviter,' 'dure,' &c. idque solum, sine istius modi additamento, pro criminari, detrahere positum vix inveniatur: 'opinio' quoque per se, sine alius nominis adjectione, significare criminationem posse non videtur. Quare, mutata sententia, voc. *opinionum*, quod Cusp. Bert. Lang. Gud. Mœrl. omittunt, rectius abesse censeo. *Idem*. In edd. legitur, *atque instituta falsarum opinionum, vituperationum lic.* nullo sensu idoneo. Trium itaque codd. Bertin. Mœrl. et Guelf. auctoritate *opinionum* delevi, et Cuspiniani lectionem revocavi. Quid? si *opinionum* insertum sit a librario Christiano, de Juliani erga artes magicas studio, et religionis Christianæ contemtu cogitante, ut significare voluerit, instituta illa falsæ religionis vituperandi Imperatoris licentiam apud eos refrenasse, qui superstitionibus illis essent addicti? Ipsius itaque menti ille 'opinionis' usus obversabatur, quo rebus ad religionem pertinentibus vox illa est propria. Cicero de N. D. III. 4. 'opinio de Diis inmortalibus.' Tuscul. I. 13. 'cujus mentem non inbuerit Deorum opinio.' Arnobius advers. Gent. VII. p. 242. 'opinionum tanta nostrarum vestrarumque diversitas:' et mox ibid. 'opinio religionem facit.' Quod si vocem retinendam putes, emendatione locus indigebit, ut forte legas, *opinionum vel vituperationum:* illud *vel* in sequenti syllaba *vit* latere posset, præsertim si majusculis litteris hæc scripta cogites: aut, quod mallem, ex littera *e* notam syllabæ *um* fecit librarius, ut simile quid suspicatus sum ad Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 3. Ita scripsisset Noster, *falsarum opinione vituperationum*, id est, quæ falsæ erant, quantum hominum opinionem adtinet. Cicero de Orator. II. 52. 'illa excellens opinione fortuna.' Symmach. Epist. III. 83. 'iter, ut opinione metior, extendisti.' Simpliciter ita de mala opinione potuit et falso rumore dicere, ut infr. XVII. § 1. 'propter opinionem desi-

diæ.' Cf. Gronov. ad Senecæ Epist. 91. *Arntz.*

Accusatoriam diritatem] Sic infr. c. XXVI. 'pilarem diritatem' dixit: 'Quis nescit aliorum Imperatorum hilarem diritatem, et cachinnantem sævitiam?' *Putean.* Notata hæc aulicorum scabies et Polybio Histor. lib. IV. extremo: Ὁ δὲ Ἀπελλῆς, inquit, *οὐδαμῶς ἀφίστατο τῆς προαιρέσεως, ἀλλὰ τὸν Ταυρίωνα, τὸν ἐπὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ τεταγμένον, διέβαλλεν, οὐ ψέγων, ἀλλ' ἐπαινῶν, καὶ φάσκων ἐπιτήδειον αὐτὸν εἶναι μετὰ τοῦ βασιλέως ἐν τοῖς ὑπαίθροις συνδιατρίβειν, βουλόμενος ἕτερον ἐπισταθῆναι δι' αὐτοῦ τοῖς ἐν Πελοποννήσῳ πράγμασι. Καινὸς γὰρ δή τις οὗτος εὕρηται τρόπος διαβολῆς, τὸ μὴ ψέγοντας, ἀλλ' ἐπαινοῦντας λυμαίνεσθαι τοὺς πέλας. Εὕρηται δὲ μάλιστα καὶ πρῶτον τοιαύτη κακεντρέχεια, καὶ βασκανία, καὶ δόλος ἐκ τῶν περὶ τὰς αὐλὰς διατριβόντων, καὶ τῆς τούτων πρὸς ἀλλήλους ζηλοτυπίας, καὶ πλεονεξίας. At proposito Apelles neutiquam absistere, quin Taurionem calumniaretur, qui Peloponnesum procurabat, non insimilans, sed laudans, et idoneum prædicans, qui sub dio cum rege una agitaret, volens Peloponnesi rebus alium ab se præfici. Nova hæc enim calumniandi inventa ratio, non accusatione, sed laudibus noxam in socios comparare. Inventa est autem potissimum, ac primum hæc malignitas, et invidia, atque fraus ab iis, qui in palatiis degunt, eorumque inter se æmulatione, studioque præstandi.* Tacitus de Julio Agricola: 'Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus Princeps, et gloria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudantes.' *Livin.* Callido artificio, et aulicis familiari, at immani, ac pravissimo; unde dictum Tacito Agric. 'pessimum inimicorum genus, laudantes.' *Patarol.* Ammian. Marcell. XV. 2. 'Inpugnabat autem eum per fictæ benignitatis inlecebras collega, et virum fortem propalam sæpe appellans:' ubi Lindenbrog. et Lipsius ad Tacit. Agric. cap. 41. Tennul. ad Frontin. Strateg. I. 8. 7. eamque artem adpellat Noster 'accusandi genus, quod nullus refelleret,' infr. c. V. § 1. Cic. in Verr. I. 15. 'Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine.' *Arntz.*

Benevolentiam] Guelf. *benivolentiam.* Recte de simulata benevolentia additur *quasi*, de quo vid. ad Mamertin. Genethl. VII. § 7. et Eumen. Grat. Act. XIV. § 4. *Idem.*

Alamaniam] Idem cod. *Alemaniam*, et mox omittit *Julianus urbes Galliæ.* Cf. infr. c. VI. § 2. *Idem.*

§ 6 *Expugnatæ*] *Oppugnatæ* Cuspin. Bertin. Sequor *expugnatæ.* Supra: 'florentissimas quondam, antiquissimasque urbes barbari possidebant.' Et alioquin oratio crescit. *Livineius.* *Oppugnatæ* Mœrl. Sed merito vulgatam probat Livineius. *Jægerus.* Guelf. etiam *oppugnatæ*, quod ab *obsessæ* vix differt, elegantius enim crescit periodus in *obsessæ, expugnatæ, vastatæ.* Arntz.

§ 7 *Æstates omnes*] Ammian. Marcell. XVIII. 1. 'Julianus, contextis successibus clarus, apud hiberna, sequestratis interim sollicitudinibus bellicis, haud minore cura provinciarum fortunis multa conducentia disponebat; diligenter observans, ne quem tributorum sarcina prægravaret, neve potentia premeret aliena, vel judicum quisquam ab æquitate deviaret impune. Idque ea re levi labore correxit, quod ipse jurgia dirimens, ubi caussarum cogebat magnitudo vel personarum, erat indeclinabilis justorum injustorumque distinctor.' Vide quæ sequuntur. *Jæger.*

Illi anni] *Illi* dativus est. *Rhenan.*

Contra vitia certamen] Nazarius Paneg. XXXI. § 3. 'subacta vitiorum agmina:' ubi vide. Cf. Observ. Mis-

cell. Nov. tom. I. p. 144. his autem indicat, quid in jure restituendo pro tribunali egerit. *Arntz.*

CAP. V. § 1 *Inflammanda odia*] In Constantii Augusti animo, invidentis laudibus Cæsaris Juliani. *Cellarius.* Ammian. Marcell. XV. 3. 'ad suspiciones ita acriter inflammavit.' Cicero pro Marcell. cap. 10. 'qui non fortuna inflammaret odium suum.' *Arntzenius.*

§ 2 *Dederet*] Gud. *dedere.* Jæger. *Dedere* etiam est in Puteol. Rhen. Henr. Stephani, et Rivini, quod ad præcedens *debuisset* retulerunt. Sequentia, 'offenderet,' 'sineret,' 'laxaret,' vulgatum tuentur. *Arntz.*

Fratris offenderet] Constantii. Supra cap. III. dictum. *Cellar.* Male Guelf. *ostenderet.* Arntz.

Provincias firmissimas] Gallias significat, opinor. Easque Divus Claudius 'Romanæ reip. vires' appellat, Epistola ad senatum, quam Trebellius recitat. *Livin.*

Sub obtutibus] Ammian. Marcell. XVII. 7. 'oculorum obtutu præstricto:' cap. 8. in fin. 'humi prostratus sub obtutibus ejus.' Pacatus Paneg. VI. § 2. 'an obtutibus vultus insinuet?' *Arntz.*

Accenderet] Ita tacite edidit Baunius, quem secuti sunt Cellarius et Patarolus, neque patri meo in edit. suæ margine displicuit. Vellem, codd. addicerent, cum ita eleganter cresceret sententia. Ita Paullin. Petrocor. de Vit. Martin. II. 40. 'Stimulis miserorum corda perurens:' ad quem locum similia dedit Wopkens. Observ. Miscell. Nov. tom. VIII. p. 834. et facile hæc permutari potuerunt, propter ea quæ dixi ad Arator. II. 543. Omnes tamen ante editi *accederet*, et ita codd. ex quibus variantem scripturam non invenio notatam, et in contextum revocavit Jægerus, quam propter hunc consensum sequor. *Arntz.*

Discordiam] Cf. Rittershus. ad Salvian. de Gub. Dei VIII. p. 108. *Idem.*

§ 3 *Etruriæ adolescentem*] In Vet. asscriptum margini, 'Spurina fuit:' vere. Adi Valerium Maximum IV. 5. *Livin.*

Oblitterandam] Id est delendam, et extinguendam. 'Offensionem oblitterare' dixit Cicero post Redit. in Senat. 8. et 'colorem oblitterare' Apuleius Apol. quocum hunc locum contulit Scipio Gentil. Opp. tom. VI. p. 29. *Arntz.*

Decolorare] Seneca Nat. Quæst. II. 41. 'Decoloratur id, cujus color vitiatur, non mutatur.' *Jæger.*

Alte inpressis] Salvian. Gub. Dei VI. p. 124. 'inpressa altius vulnera:' ubi Weitzius, et quæ dixi ad Arator. I. 43. *Arntz.*

Devenustare] Joan. Saresb. III. 2. 'Personas omnium testimonio devenustent.' IV. 7. 'Ut non devenustent publicæ dignitatis gradum.' Habet enim 'de' in compositis vim imminuendi, de quo Bernart. ad Statium Achill. I. 8. *Idem.*

Adversus hujusmodi] Lege, *Num aliquid hujusmodi adversus amorem.* Acidal. Meliorem verborum ordinem primum dedit Gruterus, et reliqui præter Rivinum. *Arntz.*

§ 4 *Ac ne*] Forte *at ne.* Livin. Recte; et sic exhibet Patarol, quem sequor. *Jæger.* Nulla est contra codd. mutandi necessitas. Cicero de Orat. I. 2. 'Ac mihi quidem.' cap. 4. 'Ac ne illud quidem vere dici potest.' *Arntz.*

A temperantia] Lipsius alicubi, credo, ejicit *a temperantia.* At mihi videntur retinenda, legoque, *et temperantiæ purpuram sancti, &c.* Nam quod genitivi duo uni voci junguntur, fieri scilicet alias quoque solet, et bis illa sumenda. *Acidal.*

Sui ruboris] Unde Livineius hauserit *sui*, ignoro; forte ex Bertin. *Sancti* tantum probo. *Purpuram sancti ruboris* posuit pro pudore, qui temperantibus est proprius, et formæ ex-

imiæ, qualem in Spurinna laudat. Ita de Constantii forma Eumenius Constantio XIX. § 3. 'In fronte gravitatis, ... in rubore verecundiæ :' et Constantin. v. § 4. Indicat itaque, Imperatoris non fuisse, ut sine pudore temperantiam exueret. *Arntz.*

Vicem fortitudinis] Vitem centurionum, aliorumque militiæ ducum, et principum insigne fuisse, eamque, castris insertam, summam rerum imperiumque continuisse, nemo nescit. Inde et 'sub vineam,' et 'sub vitem jacere' miles dicitur Sex. Pompeio. Inde et ego arbitror *vitem fortitudinis* a Mamertino translatione quadam dictam. Vulgo tamen *vicem* scriptum est, nullo mihi satis commodo sensu. Idemque plane error est apud Cassiodorum lib. VII. Variar. in formula Principis Dalmatiarum. Nam quo loco impressi libri habent, 'Tu vicem tenes improbis minantem :' in veteribus scriptum est 'vitam,' quod in 'vitem' mutandum censeo. *Pithœus*, Advers. Subseciv. I. 15. Truncam vocem puto, et *cervicem fortitudinis* scribendum. Dixit enim antea, 'nisi forte existimamus, patientes vulnerum formas esse virtutum ;' huc annectit de 'cervice fortitudinis,' et 'oculis prudentiæ.' Cur autem ita? Quia in cervice vis ferendi, et nervorum conventus. Apuleius ita planissime de Philosophia: 'Inde est, quod fortitudinem nervos animi, ipsasque cervices ait Plato.' *Lipsius*, Epist. Quæst. III. 24. Lipsii lectio placet; cervix enim videtur fuisse symbolum fortitudinis. Sic enim Philippus Presbyter in libr. Jobi cap. XVI. 'Tenuit cervicem meam, et confregit me : in cervice,' ait, 'vel maxime virtus luctatorum significatur. Hanc igitur sibi Job a diabolo tentam, velut a potentiore, dicit, quem Job rectum confregerit.' *Juretus.* Pithœus *vitem* emendabat : dure, et cui equidem non applaudam. Mihi cum doctissimo Lipsio *cervicem* placet. *Livin.* Tetigit hunc locum Lipsius, credo, alicubi, et quantum memini, legit *cervicem* : bene. *Acidal.* Vox *vitem* criticis suspecta. Aptior videtur Lipsii lectio. *Patarol.* *Vicem* per talionem explicat Marcilius ad XII. Tabb. tom. IV. Thes. Otton. p. 287. ut indicet Mamertinus fortitudinis esse, *vicem*, sive vindictam, sive talionem expetere. Sed quid tum est 'talionem confodere?' et quis umquam *vicem fortitudinis* de talione, qua vir fortis utitur, exposuerit? Æque minus placet Lipsii *vitem*. Vitisne vulneribus confodi potest? Certa veritatis persuasione emendo, *faciem fortitudinis*. Tota enim est in iis comparatio, quæ de Spurinna commemoravit, et jam ad Julianum transfert. Repetamus singula ex § 3. 'candorem decolorare' hic est, 'candorem æquitatis obumbrare ;' porro 'oris nitorem devenustare' hic exprimit 'purpuram sancti ruboris abolere ;' denique 'faciem suam vulneribus sauciasse' repetit in verbis, 'faciem fortitudinis confodere vulneribus, eruere oculos.' Itaque *facies fortitudinis* est fortis facies, ut de similibus dictum est ad Incertum Constantin. III. § 6. ita 'virus veneni,' 'rupes saxi,' et similia habet Wopkens. Observ. Miscell. Nov. tom. VIII. p. 330. et ad Pacat. Paneg. c. XXV. Schottus Obs. II. 3. et ipse in Miscell. p. 62. 'faciem' vero de quibusvis rebus dici docuit pater meus ad Pacat. Paneg. XXXIII. § 3. et Schwarzius ad Mamertin. Maxim. XI. 6. *Arntz.*

Oculos providentiæ] Forte *prudentiæ*. Livin. Bene habet locus, neque necesse mutare in *prudentiam* vocem ultimam ; cum unum idemque complectatur et hæc, et illa. *Gruter.* Noluit nempe Julianus providentiæ divinæ repugnare. Nam, ut Zosimus Histor. III. 11. p. 206. habet, hanc εἶχε περὶ τὸ θεῖον προαίρεσιν, ὡς τοῖς Θεοῖς ἄμεινον, ἢ τοῖς Κωνσταντίου λόγοις

ἑαυτὸν τε καὶ τὸν ἑαυτοῦ βίον ἐκδοῦναι. In divina providentia animum ac fidem reponens, hujus arbitrio se permittere maluit. *Anonymus* in Strodtmanni Europ. Nov. Erud. part. VII. p. 585. *Arntz.*

§ 5 *Deinde*] *Dein* Guelf. cujus scripturam probavit Cortius ad Plinii Epist. VI. 16. 6. et restitui. *Arntz.*

Et mora, non longa] *Mora, ac non longa* Vet. *Putean.* *Ac non longa* Vet. Bertin. *Livin.* Non muto. Poterat tamen, *dies et mora non longa, ætatis successione omnem ill.* Acidal. Legit *successione* Acidalius. Sed, cum librorum auctoritas desit, nihil mutem. *Patarol.* Post *mora* conjunctionem *ac* inserunt cod. Liv. Bert. Put. Inde, puto, effinxit lectionem suam Patarol, *nec longa æt. succ.* Pro *successio* Cuspin. habet *accessio.* Quid si voces *ætatis successio*, vel *accessio* glossematis speciem habere judicemus? *Jæger.* Verba *non longa ætatis successio* pro glossemate habui. Hanc suspicionem vanam esse judicat Bibliotheca Philologica, fateturque, se ignorare, quid simile habeat *ætatis successio* cum *die*, et *mora*, et putat, esse tres in tribus illis verbis, quæ copula *ac* auctoritate codd. Livin. Bert. Put. jungenda sunt, gradus caussarum defloratæ in adolescente pulcritudinis. Ex hac viri docti sententia primus gradus caussarum defloratæ pulcritudinis est dies, alter est mora, tertius non longæ ætatis successio. Equidem id dicere oratorem putabam; etiamsi ille adolescens manum propriis vultibus non intulisset, tamen futurum fuisse, ut ipso temporis processu flos formæ perimeretur. Ovidius A. A. II. 113. sq. 'Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos, Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo.' 'Dies' pro tempore procedenti dicitur; e. g. Terent. Heaut. III. 1. 13. 'Vulgo audio Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.' Cicero Tusc. Quæst. III. 22. Quod Terent. hic diei, id Ovidius 'moræ' tribuit, Epp. ex Ponto IV. 11. 13. sq. 'Finitumque tuum, si non ratione, dolorem Ipsa jam pridem suspicor esse mora.' Quemadmodum dies, et mora adimit ægritudinem, ita et formæ pulchritudinem delet. Cum temporis processu 'successio ætatis' conjuncta est. Dum tempus procedit, dies diei, mensis mensi, annus anno vitæ vel ætatis succedit. 'Dies' et 'mora' itaque ab oratore nostro παραλλήλως ponuntur, nec, quodnam sit utriusque discrimen, exputare possum. Quod sequitur *non longa ætatis successio*, si quid addit sententiæ, indicat tantummodo, diem illam et moram non longam futuram fuisse. Eadem sententia exsistit, si *dies et mora non longa*, omisso illo *ætatis successio*, legatur. *Idem.* Etiam Guelf. *ac non longa*, quod restitui. 'Dies' accipitur pro multis diebus, de quo Burman. ad Claudian. Epist. IV. 4. *mora ac non longa successio* mihi videtur esse ἓν διὰ δυοῖν, quo forte usus, ut duplicem genitivum evitaret in *mora non longæ successionis ætatis.* Ita 'nomen ac terrorem,' similiaque dedit Wopkens. in Observ. Miscell. Nov. tom. II. p. 73. et ipse in Miscell. p. 27. Quid si *ac* pro copula exegetica capiamus? de quo usu dixi in Dissert. ad L. 2. D. de In jus voc. p. 263. Primum generaliter dicit diem florem corporis peremturum, deinde non longa quidem ætatis mora ad id opus fore addit. Posteriora itaque præcedentium facerent interpretationem, quantam morum intelligat. Ceterum in Guelf. est *ac mora ac non.* Arntz.

In virtutibus] Hic quidem *in* deleam. Nisi potius mutandum *At enim*, quod magis sane puto. *Acidal.*

CAP. VI. § 1 *Gentesque recensuitas*] Lego *gentesque recens victas.* Lipsius, Epist. Quæst. III. 24. *Recens victas* schedæ Langii. *Recensuitas* itidem et

in Vet. et Bertin. est, in Cuspin. Rhen. *recensitas*, neutrum probe. Vera lectio, quæ in Lang. sched. *recens victas*, scilicet a Constantino Magno, et ante a Constantio patre. *Livin.* Cum antea vulgatum *gentesque recensuitas*, aut adeo aliorum *recensitas*, nihil haberet in se loco huic tolerabile, passus sum abripi me ab unico exemplari scripto, exturbavique ineptam lectionem, ac recepi planissimam *recens victas*. Gruter. Veram lectionem e Lang. protulit Livineius, eamque recepit Gruterus cum recentioribus. Adnotavit eam quoque Schonhov. Rhenanus cum Stephan. *recensitas*. Livineius *recensuitas*. Utrumque mendose. *Jæger*. Difficilis locus, et mira lectionum varietas. Monstrum est in Guelf. *recesencitas*, adscripta tamen supra *n*, aut *c* posterius littera *s*. Ex edit. Puteolan. est *recensuitas*; ex Rhenan. *recensitas* dedit quoque Paull. Stephanus et Rivinus. Cum Grutero *recens victas* Ms. tribuere non audeo; est enim id in solis Langii schedis, in quibus, quod in Rhenani conjecturis sæpe deprehendi, hanc Lipsii adscriptam esse suspicor, de cujus tamen veritate non est, quod dubitemus, cum ita locus adcurate historiæ conveniat. Nimirum Alemanni, quos per *gentes* intelligit Mamertinus, suorum regum, Gundomadi et Vadomarii, ductu contra Romanos insurgunt, quibus a. CCCLIV. obviam tendit Constantius, sed sine prælio veniam pacemque dat, propter rationes, quas ipse in oratione ad milites explanat apud Ammianum Marcellin. lib. XIV. cap. 10. Hoc factum non intellexit Noster, quamvis ita sentiat Livineius, quia *victæ* dici nequeunt *gentes*, quibuscum non fuit debellatum, sed quæ, ipso fatente Constantio, jugum per pacem petitam subierant voluntariæ. Mox tamen a. CCCLVIII. iterum res novas moliuntur Alemannorum reges Chodomarius, Vestralpus, Urius, et alii, quibus se quoque junxerunt Vadomarii cives, quos celebri ad Argentoratum pugna vincit Julianus, et denique a. CCCLIX. pacem dat. Ammian. Marcell. XVI. 12. XVII. 1. XVIII. 2. atque hæ demum sunt *gentes recens victæ*, *et adversus jugum nuper* (id est a Constantio) *impositum contumaces*. At vero, mortuo Gundomado, pacem, duce Vadomario, iterum frangunt a. CCCLX. sed eos profligat, et domat Julianus. Ammian. XXI. 4. tunc autem erant ‘in redivivum furorem nefandis stimulis excitatæ.’ Si vero *adversus jugum contumaces* de jugo, per Julianum post pugnam Argentoratensem demum inposito, accipias, non intercesserim. *Arntz*.

Adversus jugum] *Adversum* Vet. *Sed adversum* legam, non *et adv*. Livin. Florus IV. 12. 2. ‘Nova quippe pax: necdum adsuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices ab imposito nuper jugo resiliebant.’ *Jæger*. *Adversum* etiam Guelf. Intellige jugum a Constantio, aut Juliano impositum. Cf. præced. observ. *Arntz*.

Irredivivo furore] Lego *in redivivum furorem*. Lipsius, Epist. Quæst. III. 24. Vet. *in redivivum furorem*. Putean. *In redivivum furorem* Vet. Langii schedæ, Bertin. Cuspin. *Livin*. Lege *in redivivum furorem*. Acidal. *In redivivum furorem* magno consensu meliores libri. Rhenan. Stephan. Livin. *irredivivo furore*. Ceterum legendum esse *recidivum*, patet ex iis quæ supra ad Incerti Paneg. Constantino Aug. XIII. 4. et superiori XXXV. § 4. adtulimus. *Jæger*. Guelf. et Schonhovii excerpta, *in redivivum furorem*. Ex Puteol. *irredivivo furore* lectum est ad Paull. Stephanum, qui primus Cuspiniani lectionem revocavit, iterum a Rivino neglectam. *Redivivo* ortum est ex scripturæ in codd. ratione, de qua dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. VIII. § 1. In *recidi-*

vum Jægero non adsentior. Furor enim, aliique adfectus, igni et flammæ comparantur, ut dixi ad Sedul. I. 196. hi per tempus sopiti si rursus exæstuent, potius dicentur *redivivi*, ut vivus de igne ardente. Vid. notata ibid. vs. 247. Cf. ad Incert. Constantin. XIII. § 4. *Arntz.*

Quæ omnia] Detractorum voces exponam, quas specie laudum accusationem peregisse ante dixit. Nam, quæ deinceps sequuntur, meo animo, ad Juliani apparatum pertinent, in Constantium moventis. *Livin.* Ut Livineii explicatio probabilis videatur, barbaros ab ipsis illis, quos Marcellinus adpellat, adulandi professoribus in Palatio Constantii, clam commotos, et ad rebellandum excitatos fuisse credamus, et *gentes recens victas* intelligamus non, ut supra voluit Livineius, a Constantino M. et Constantio, sed ab ipso Juliano superatas. *Jægerus.* Dixi præced. observ. *Arntz.*

Obstinata] Vet. *obstinatam.* Putean. Idemque notant Schonhovii excerpta, quia in Rhenan. est *obstinata.* Arntz.

Principis tandem] *Principis maximi* Vet. Sic infr. cap. 9. et alibi. *Putean.* Ipsius Juliani, qui aliquoties in Germanos rebellantes movit. *Cellar.* *Princeps maximus*, cujus victa fuit patientia, est ipse Julianus, qui infra cap. IX. § 4. 'maximus Imperator' vocatur, et quem aliquoties in Germanos rebellantes movisse Cellarius adnotavit. *Jæger.*

§ 2 *Cum ipso molimine*] Particula *in* deest Rhenan. Stephan. Livin. male. Non enim molimine suo, et apparatu; sed cum Alamanni rebellionem molirentur, cum in apparando fere essent occupati, eos oppressit. *Jæger.* *In* quoque Schonhovii excerpta, deditque recte Gruterus, et reliqui præter Rivinum; ignorat tamen Guelf. neque in suis invenit Puteanus, cum nihil ad ed. Rhenan. in qua abest, notaverit. *Molimine* pluribus exemplis confirmavit Marckland. Epist. Crit. ad F. Hare p. 29. *Arntz.*

Oppressisset Alamaniam] 'Opprimere' subitum, et inopinatum indicat eventum, quam verbi vim egregie probat Gothofredus in Dissert. ad L. 8. C. de Testam. § 4. *Alamaniam* h. l. de Germanis gentibus interpretatur Barthius ad Claudian. Cons. Honor. IV. 450. Cf. ad Eumen. Constantio II. § 1. Nazar. Paneg. XVIII. 1. intelligendæ autem sunt illæ Alemannorum nationes, de quarum regibus dixi hoc cap. § 1. *Idem.*

Montium nomina] Pro regionibus, fluviis, montibus, per periphrasin, de qua vid. Vechner. Hellenolex. II. 8. p. m. 528. et ibi Heusinger. *Jæger.* Not. ad Vell. Pat. I. 12. 7. et II. 69. 3. Burman. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 605. *Arntz.*

Peragraverat] Mamertin. Genethl. IV. fin. 'provinciæ vestræ, quas divina celeritate peragrastis.' Vocem puto Quinctiliano restituendam Declam. I. 13. 'Non venire debes ad secretam domus partem, nec tota tibi Penatium sacra peragenda sunt:' lego 'peragranda sunt,' ut hæ voces inveniuntur confusæ in codd. apud Livium IX. 15. 2. qua ratione suam quoque Ampelio Memor. c. 7. lectionem reddidit Dukerus. Per *ultima gentium regna* regum Alemannorum ditiones intellexit, quas Constantinopoli dicens eo adpellare potuit modo, quo dixi ad Mamertin. Maximian. V. § 2. et 'ultima barbariæ littora,' Eumen. Constantio VI. § 2. et 'Thule ultima' VII. § 2. *Idem.*

Regum capita] De contumelia hac militari vid. Brouckhus. ad Propert. I. 1. 4. *Jæger.* Alemannorum reges intelligo, Chodomarium, Vestralpum, Urium, Vadomarium, de quibus dixi hoc cap. § 1. De victis pede calcatis vid. not. patern. ad Pacat. Paneg. XXXVI. § 3. et XLV. § 4. *Arntz.*

Illyrici sinus] Quum in Constantinum moveret. *Cellar.* Forte *sinu*, aut prius legendum *medios*. Juliani iter per Illyricum refert Ammian. Marcell. XXI. 9. &c. *Patarol.* Rhenan. Stephan. Livin. et Mœrl. *sinus;* sic etiam Patarol, addita tamen nota, forte *sinu*, aut prius legendum *medios*. Hoc vero si admittas, deleta vocula *in* legendum est *aperuit*, uti Cuspin. Rhenan. Stephan. habent, pro *apparuit*, quod plerique, recte quidem, tuentur. *Jægerus.* *Sinus* ex Puteol. antiquissima usque ad Bauninm habent omnes, quem Rittershusii conjecturam in textum tacite admittentem secuti sunt Cellarius et Jægerus, similibus etiam exemplis confirmavit Wasse ad Sallust. Cat. c. 56. Pacat. Pan. XXXIX. 2. 'Ab ultimo Orientis sinu:' quibus proximum est illud Mamertini Genethl. IV. § 2. 'in medio Italiæ gremio apparuistis:' adde ad Nazarium Paneg. XXXVIII. § 3. Cum ex suis codd. nihil notaverint Puteanus et Livineius, in iis haud dubie *sinus*, invenerunt, quod servat quoque Mœrl. apud Jægerum, et forte Guelf. ex quo ad Cellarii edit. nihil notatum habeo. De Pataroli conjectura *medios* rectum est Jægeri judicium, quamvis pluralem defendere posset Virgil. Æn. I. init. 'Illyricos penetrare sinus.' De hoc vero post Alemannos victos in Illyricum itinere vid. Ammian. XXI. 9. *Arntz.*

Improvisus aperuit] *Aperuit*, non *apparuit*. Refer ad antecedentia, *aperuit inaudita regionum*. Anonymus apud Strodtman. Europ. Nov. Erudit. part. VII. p. 585. 'Aperire regionem' recte quidem dicitur, et sæpe de eo, qui regionem ante intactam primus intrat. Sic 'aperire limites' Vell. Pat. II. 120. 2. Florus II. 6. 4. 'Italiam sibi rupto fœdere aperiret.' III. 5. 8. 'Europam quoque regi aperiebat.' Lucanus I. 465. 'Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem:' ubi Burm. et Drakenb. ad Livium XLII. 53. 14. Sed hic nihil additur, quid *aperuerit;* quomodo enim huc referat Anonymus *inaudita regionum nomina* non video, quæ pendent a *peragraverat*, neque hic tacite repeti possunt. Præterea *adparuit* confirmatur ab addito *inprovisus*, id est, non provisus, non exspectatus, ut vocem interpretatur Schwarz. ad Plinii Paneg. LXV. § 3. adde not. ad Victor. Inlustr. XXIII. 9. 'apparere' enim de iis dicitur, quæ subito, et non exspectata conspiciuntur, et adsunt. Mamertin. Genethl. IV. § 2. 'repente in medio Italiæ gremio adparuistis.' Denique nostram lectionem tuetur Ausonius, hunc locum imitatus, Gratiar. Act. XXXVII. § 2. 'Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina ..... per totum, quam longum est, Illyrici latus .... celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis evolvis, ... ut Gallias tuas inopinatus inlustres.' Ibi enim *inlustrare* idem est, quod hic *adparere*. Cf. not. ad Mamertini locum. *Arntz.*

§ 3 *Comites viæ*] *Viæ* est itineris, πορείας. Infra: 'Qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse præter viam Imperatorem putabit.' Propertius: 'Et maris, et terræ cæca pericla viæ.' Iterum: 'Sit Galatæa tuæ non aliena viæ.' Sophocles Trachiniis, de Deianira:

Οὔ ποτ' εὐνάζειν ἀδακρύ-
των βλεφάρων πόθον, ἀλλ'
ἀείμναστον ἀνδρὸς
δεῖμα φέρουσαν ὁδοῦ,
ἐνθυμίοις εὐναῖς ἀναν-
δρώτοισι τρύχεσθαι κακὰν
δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν.

Quæ Latine totidem numeris mutabam: *Dulcibus nullam levare ægros Lacrymis oculos, sed, Olim mariti dum timet usque viæ, Sæva inquietem cura tori Frigentis angi, flebilis Jam jamque sperantem orsa Fati.* Livin.

Dubitasse credere] An? *dubitasse*,

crederent: est sane in duplici infinitivo quid parum suave. Comites viæ, conscii quam celeriter id iter perfecisset Julianus, mirabantur illam civium in urbibus dubitationem. *Arntz.*

§ 4 *Prolapsum*] *Primo lapsum* Vet. *Prolapsum* non sollicito, sed nec damnes, quod in Cuspin. offendi, *primæ lapsum cælo, &c.* Servius ad illa Æneid. II. 'Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium,' &c. 'Dicunt sane alii,' inquit, 'unum simulacrum, cælo lapsum, apud Athenas tantum fuisse, alii duo volunt, hoc, de quo diximus, (Trojanum) et illud Atheniense.' *Livin.* Editio, cui præfuit Cuspinianus, *quæ primæ lapsum cælo*, quod et heic locum suum habere queat. *Gruterus.* Cod. Gud. *primum lapsum.* Mœrl. *quæ primo lapsum, &c.* Ex compendio vocis *primo* ortum *pro*, et cum *lapsum* conjunctum fuisse videtur. 'Prolabendi' verbum hic profecto satis apte adhiberi nequit. Quare lectionem vulgatam necessario mutandam puto, et quidem ad præscriptum Cuspin. nam elegantius illud *primæ*, vel *prime*, in *primo*, opinor, abiit. *Jæger.* Id secutus sum, quia codd. in *primo* et *primum* favent. *Prolapsum* hic duriuscule poni jam monuit Wopkens. Obs. Miscell. Nov. tom. II. p. 88. rectius enim foret *delapsum*, ut apud Plutarch. Num. p. 68. de ancilibus, πέλτην ἐξ οὐρανοῦ καταφερομένην. *Arntz.*

Palladium] Palladis simulachrum, quod, dum Ilus Ilium conderet, et Deos precaretur, ut signum quodpiam darent, e cœlo decidit. Apollod. lib. III. Vide plura apud Natal. Com. Mythol. IV. 5. *Patarol.* Ovid. Fast. VI. 421. sqq. 'Creditur armiferæ signum cæleste Minervæ Urbis in Iliacæ desiluisse juga. Cura videre fuit: vidi templumque locumque. Hoc superest illi: Pallada Roma tenet.' Cf. Dionys. Halicarn. lib. II. p. m. 127. *Jæger.*

Sine magno attoniti] Forte inducenda hæc postrema vox *attoniti*. Baune. Necessitatem non video; non enim jungenda sunt *adtoniti horrore*, sed *adtoniti cernebant.* Recte enim interpunctionem post *adtoniti*, quæ est in ed. Cellarii, deleverunt Patarolus et Jægerus, cum *adtoniti* non ad solos senes, sed virgines, pueros, reliquosque quoque sit referendum. Infra XXIX. § 2. 'Vidimus adtonitos admirantium vultus.' *Arntz.*

Properantis anhelitum] Lege, *properantes anhelitus sine.* Ita statim subditur, 'crebriores sudorum rivos per fortia colla manantes.' *Acidalius.* Vulgatum servo; pertinet enim ad *Imperatorem*; et Acidalium decepit prava lectio *crebriores*, cui *anhelitus* erat convenientior, quam cum in *crebriorem* mutandam jubeant codd. stat vulgata *anhelitum.* Arntz.

Crebriores sudorum rivos] Reponendum forte, pro corrupto *crebriore, crebriores*; et distinguendum hoc modo: *sine sensu lassitudinis, crebriores sudorum rivos p. f. c. m.* Nisi tamen præferas, *properantis anhelitum, sine sensu lassitudinis, crebriorem; sudorum rivos p. f. c. m.* Ita Apulei. Metam. VIII. m. p. 214. 'Inter hæc unus ex illis bacchatur effusius, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens,' &c. et IX. p. 228. 'Producis hominem crebros anhelitus ægre reflantem.' Virgil. Æneid. v. 199. 'Tum creber anhelitus artus, Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis:' quem locum sub oculis habuisse videtur Mamertinus. *De Rooy* Spicil. Critic. c. 9. Sequor codd. Livin. Put. Mœrl. in quibus legitur *crebriorem*, ut ad *anhelitum* referatur. Nec abludit multum Cuspin. *crebriore.* Virgil. Æn. v. 199. 'Tum creber anhelitus artus, Aridaque ora quatit.' Plin. Hist. Nat. XXXII. 10. 40. 'Ignes sacros restinguunt ranarum viventium ventres impositi: pedibus posterioribus pronas adalligari jubent, ut crebriore anhelitu prosint.'

Quinctilian. Instit. Orat. II. 3. 55. 'Sunt, qui crebro anhelitu ..... imitentur jumenta onere et jugo laborantia.' *Jægerus*. Guelf. *celebriorem*, quod *crebriorem* confirmat: ita enim hæc quoque sunt confusa apud Eumen. Constantin. XIX. § 4. *Crebriore* est in ed. Paull. Stephani, qua usus Erud. de Rooy, cujus felicem ex ingenio conjecturam *crebriorem* confirmant codd. secundum quos, Jægerum secutus, textum dedi, cum antea legeretur, *lassitudinis, crebriores sudorum rivos*. Lucanus IV. 622. 'Quod creber anhelitus illi Prodidit, et fesso gelidus de corpore sudor.' Valer. Max. IX. 12. ext. 6. 'crebro anhelitu cachinnorum:' ita 'crebri singultus' apud Petron. Sat. c. 91. Valer. Flacc. III. 338. *Arntz*.

Onerarat] Ad 'barbam' pertinet Ammian. Marcell. XXV. 4. de Juliano: 'Capillis, tamquam pexisset, mollibus, hirsuta barba in acutum desinente vestitus.' *Arntz*.

Micantia] Ovidius Art. Am. II. 721. 'Adspicies oculos tremulo fulgore micantes.' Metam. I. 498. 'Videt igne micantes, Sideribus similes, oculos.' Adde XV. 674. Pricæus ad Apul. Met. II. p. 70. III. p. 168. V. p. 291. qui p. 711. adtulit Pollucis locum II. 4. quo sunt ὀφθαλμοὶ λάμποντες, φωσφόροι. De Juliano similiter Ammianus Marcell. XXV. 4. 'Venustate oculorum micantium flagrans, qui mentis ejus angustias indicabant.' Quæ ibi 'mentis angustiæ?' neque juvat Lindenbrogii 'argutias:' mihi in ultima syllaba *as* et sequenti *in* latere videtur 'aciem,' ut scripserit 'mentis ejus augustæ aciem ind.' ita 'mentis acies' est apud Ciceron. Tusc. Quæst. I. 30. de N. D. II. 17. Ex 'augustæ' facile fieri potuit 'angustias,' ut apud Boëth. Cons. Phil. III. Pros. 2. 'velut in augustam suæ mentis sedem,' Cod. meus 'angustam' cum aliis, et apud Klotz. Miscell. Crit. p. 78. *Arntz*.

§ 5 *Cernentibus*] Id est, apud eos, qui plus cernebant, quam laudandum esset, veluti Imperatoris anhelitum, et sudores, cessabant officia, quibus eum laudare, et gaudium suum profiteri debuissent, quia summa admiratione stupentes silebant. *Arntz*.

CAP. VII. § 1 *Sufficeret quidem*] Sic editi omnes, præter Cuspin. exhibentem *Sufficere quidem poterat*, uti etiam reperitur in codd. Mœrl. Gud. et Schonhov. *Jæger*. Sequi plerosque codd. malo, ex quibus textum dedi, propter vulgatam in *posse* periphrasin, ex qua hunc quoque locum emendavi ad Arator. Epist. ad Vigil. 15. Adde supra ad Mamertin. Maxim. init. Pricæum ad Apul. II. pag. 129. *Arntz*.

Laboribus fatigatum] Male post *fatigatum* comma posuit Cellarius, quo sequentium nexus turbatur. *Idem*.

Istrum] Qui et Danubius. Dictum de hoc ad Paneg. II. 16. *Patarol*.

§ 2 *Sancta Divinitas*] Infra: 'Illic (pro sancta Divinitas!) gaudentibus cunctis, quo ore, qua voce inquit, Ave Consul amplissime?' Iterum: 'Quid secutus sit, ipse scit, et quæcunque consilia ejus gaudet formare Divinitas.' Rursum: 'Absit, Auguste, et illud sancta Divinitas omen avertat, ut tu a quoquam mortalium expectes vicem beneficii.' *Livin*.

Despiceretur] *Despici* deorsum videri. *Rhenan*. Cf. ad Mamertin. Maxim. III. § 3. *Arntz*.

Genu nixa] *Genu flexa* citat Barthius ad Claudian. Cons. Honor. IV. 444. quod tamen in nullo inveni. 'Flectere poplitem' dixit Pacat. Paneg. XLI. § 5. Vid. ad Arator. I. 823. et 943. sed vulgatum præstat. Cf. ad Sedul. Hymn. II. 54. *Idem*.

§ 3 *Danubium incolunt*] Forte *colunt*, id est accolunt. *Livin*. Imo *accolunt*. Acidal. Nihil est mutandum. Justin. XVIII. 3. 8. 'Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt.' Idem XX. 1. 8.

'Venetos, quos incolas superi maris videmus.' Claudian. Epist. v. p. 633. ed. Gesn. 'Rubiconis incola.' Ponitur itaque hoc loco 'incolere' pro accolere, et 'urbes' pro incolis, ut sæpius. *Jægerus.* Justino et Claudiano, quos pro adserendo verbo 'incolere' laudavi, adjungenda est antiquior auctoritas Livii xxii. 20. 'omnium populorum, qui Iberum incolunt.' Senecæ Nat. Quæst. vi. 7. 'Adde ineluctabiles navigio paludes, nec ipsis quidem inter se pervias, quibus incoluntur.' *Idem.* *Accolunt* citat Barthius ad Claudian. iv. Cons. Honor. 444. quod tamen in nullo inveni, quamvis id tueantur, quæ dicta sunt ad Mamertin. Genethl. vii. § 1. ad Eumen. Constantin. xi. § 4. Vulgatam recte tuetur Jægerus; sæpe enim fluviorum nomina pro regionibus ponuntur, quas adluunt. Gratius Cyneg. 314. 'Nardiferumque metunt Gangem:' et 'vallis Hebri' apud eumd. vs. 128. Cf. Duker. ad Flor. i. 18. 24. patrem meum ad Pacat. Paneg. xxxiv. 1. *Arntz.*

Auditæ] *Auditæ* est ex antiquissima Puteolan. ex Cuspin. *aditæ* primus revocavit Paull. Stephanus, quem præter Rivinum omnes secuti. Similis permutatio est apud Eumen. Constantio xiii. § 1. *Idem.*

Decreta] Vir doctus in Lexic. Fabriano v. 'Levatus,' malit legere *desideria.* Jæger. Bibliotheca Philologica bene monet, *decreta* urbium aut hominum nullum hic locum habere posse; præferendum igitur esse verbum *desideria,* aut legendum *audita vota.* Idem. Nulla hic lectionum varietas; nisi quod Barthius ad Claudian. Cons. Honor. iv. 444. citat *secreta.* Imo vero rectum est *decreta.* Intelligendæ enim sunt civitatium querelæ, ex magistratuum decreto per legatos Juliano expositæ. Ita in L. 1. Cod. Theodos. de Legat. et Decret. 'decretis conditis, missisque legatis:' ubi Gothofred. hujus quoque loci non inmemor. *Arntz.*

Levati status] Id est, fortunæ, ut proxime, velut se ipse exponens, καὶ ἐπεξηγούμενος subdit. Seneca de Benef. iii. 8. 'Amavimus aliquem, et suspeximus, et fundatum ab eo statum nostrum professi sumus.' *Levati* sic dixit, ut infra, 'levati equorum pretiis enormibus Dalmatæ.' Cicero pro L. Corn. Balbo: 'Testantur (Gaditani) et mortuos nostros imperatores, quorum vivit immortalis memoria, et gloria, et hoc tempore ipso populum R. quem in (malim abesse *in*) caritate annonæ, ut sæpe ante fecerant, frumento suppeditato levaverunt.' Lucanus lib. iv. 'Tandem vulgata cruenti Fama mali, terras monstris æquorque levantem, Magnanimum Alcidem Libycas excivit in oras.' *Livin.* Eumen. Grat. Act. x. § 1. 'quibus nos opibus levaturus esses:' eodem sensu 'relevare' apud Savaron. ad Sidon. Epist. vii. 12. *Arntz.*

Instaurataque] Guelf. *instaurata æque.* Idem.

Barbaris] Capio de Quadis et Saxonibus, quos Julianus, Chariettonis cujusdam transfugæ ductu et insidiis, cæsos pluries, intercepto regio filio, ad conditiones pacis admisit, juratos tamen, in Romanos nunquam arma capturos. Zosimus Historiar. iii. *Livin.*

Nihil legisse] Malim *nihil egisse.* An *legisse viam* dixit? *Ritters.* *Egisse* habet Ms. Gud. et textus Pataroli, quem sequor. *Jæger.* Recte; opponit enim 'nihil agere,' et 'gestarum rerum multitudinem.' Littera *l* adhæsit ex voce præcedenti. De locutione 'nihil agere' vid. Muncker. ad Hygin. Poët. Astronom. i. 34. *Arntzenius.*

Cap. viii. § 1 *Facundia potens*] Quis mutet? Tamen mirum, ni autor scripsit, *fandi potens.* Sic Panegyr. Nazarii: 'Quis tam potens fandi,' &c. *Acidal.* Acidalii conjectura con-

firmari posset ex Prudentio Periat. x. 21. 'Sum mutus ipse, sed potens facundiæ.' Hegesippus Excid. Hieros. v. 10. 'Sermonis daretur copia, cujus potens.' Ut pro *qui potens* ex Ms. emendavit Gronov. Observ. in Eccles. 21. Tacitus Histor. III. 70. 'Neque jubendi, neque vetandi potens:' eadem substantivi constructio est apud Valer. Maxim. v. 3. 3. Valer. Flacc. VI. 680. Claudian. Cons. Honor. IV. 5. sed æque rectum est *facundia*, et proinde nulla mutandi necessitas. Ita 'potens fama,' Sallust. Jugurth. cap. 15. 'armis,' Virgil. Æn. I. 531. 'virtute,' Arator. Act. Apost. II. 78. Apud Ovidium Fast. v. 447. in Ms. est, 'Lingua venerande potenti:' ubi Burman. Lucas in Euang. XXIV. 19. et Act. Apost. VII. 22. δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ· quod per δυνατὸς λέγειν expressit Aristoph. Pisc. vs. 349. neque *potens* efficacia caret, quod, facundiæ et oratoribus proprium, maxime facundum indicat, facundia ad commovendum et persuadendum excellentem. Cf. Salmasius ad Capitolinum pag. 556. Taubman. ad Plaut. Trinum. v. 1. 1. Burman. ad Petron. Sat. cap. 89. quare δυνατὸς λόγῳ magis per *eloquentem*, quod fortius est, quam *disertum* vertendum recte censet Krebsius Observ. in N. T. ex Josepho pag. 196. Ita, ad Lucæ verba respiciens, de Moyse Joan. Saresber. Policr. II. 27. 'Disertus orator, potens in opere et sermone.' *Arntz.*

Omnium] Malim *Græcia, quæ omnia, &c.* Jægerus. Necessitatem non video; est enim abrupta oratio; neque offendat duplex adjectivum *omnium tuorum;* vid. supra ad Incert. Maxim. XI. § 5. Locutionem 'in majus extollere' explicuit Cortius ad Plinii Epist. III. 11. 1. *Arntzenius.*

Sola factorum glorias] Forte legendum, *sola ad factorum glorias verborum copiam tetendisti.* Putean. Consideretur, an debeat ferri. *Acidal.* Misera est rerum gestarum gloria, quæ ad verborum copiam extendenda est ab oratore; sed plane puerilis, et absurda laus est eloquentiæ Græcæ, *factorum gloriam ad verborum copiam tetendisse.* Maxima pars hominum verborum gloria abundat, factorum laude indiget. Manifestum igitur est, legendum cum Puteano, *sola ad factorum gloriam verborum copiam tetendisti;* quod interpretamur: Sola, verborum copia, cum factorum et rerum a magnis viris gestarum gloria contendisti. *Bibliotheca Philologica.* Ex universa orationis serie manifestum est, Græcos hic dici ingenio, et facundia effecisse, ut facta per se non mirabilia specimen eximiæ magnitudinis induerent, prodigii instar haberent. Hoc § 2. probat exemplo Argus, in cælum sublatæ ideo, quia Jasonem cum sociis, ablato vellere, et rapta Medea, ex Colchide revexerat; exemplo Triptolemi, quem, propter sationem inventam, curru a draconibus tracto volavisse finxerunt. Argumentatur deinde orator a minori ad majus: Si Græci res tenues ad miraculum usque extulerunt, quid facient de rebus Juliani, per se magnis et admiratione dignis, si ad celebrandas eas animum adjecerint? Lectio itaque Puteani, quam et ego vulgatæ præfero, ita mihi explicanda videtur: Sola ad amplificandam factorum gloriam verborum copiam dirigere, adhibere, augere scivisti. 'Tendere copiam verborum' insolens locutio, quadamtenus adfinis est illi Horat. Sat. II. I. 2. 'tendere opus' pro intendere, augere, quo sensu se 'tendere' legisse negat Bentleius. *Jægerus.* 'Verborum copia' est illa vis, et ubertas, quam 'dicendi copiam' dixit Cicero Topic. 18. pro Quinct. 2. Action. in Verr. 4. et alibi. Ex Puteani conjectura non alia potest esse sententia, quam Græcos ad factorum glorias eloquentiam per-

rexisse, et ad hæc extollenda adcommodasse. A manu, aliisve rebus per eam porrectis ea huic verbo tribuatur notio, ut apud Ciceron. de Orator. I. 40. 'Cunctis civibus lucem ingenii, et consilii sui porrigentem, atque tendentem.' Cf. Mencken. Observ. L. L. pag. 963. et V. D. ad Sil. Ital. XV. 640. Sed solane id fecit Græcia? fecerunt utique Romani aliique, et, si hoc voluisset Mamertinus, forte scripsisset, *factorum gloriis ad verborum copiam tetendisti*: id est, per extollendam factorum gloriam eloquentiæ, et dicendi consilium cepisti, hac ope ad eloquentiam perrexisti, fere ut Valer. Maxim. IV. 1. 3. 'Ad quem cultum tenderet insoliti cœtus pertinax studium.' Igitur longe melior est Jægeri interpretatio, ea eloquentiæ arte solos præstitisse Græcos, ut minoris momenti facta, ultra eorum indolem et veritatem, ad miraculum usque extulerint, quod 'dicendo amplificare, atque ornare' dixit Cicero de Orator. I. 51. inde aliquando Græcia 'mendax' dicitur, de quo Fabricius Comment. ad Poët. Christian. p. 64. Neque tamen hanc patitur interpretationem vulgata lectio, nec Puteani conjectura, quare locum alio esse modo sanandum arbitrer. Legerim nimirum, *factorum glorias ad verborum copiam intendisti*, id est, facta secundum tuam eloquentiæ copiam amplificasti, auxisti. Tacitus Histor. I. 12. 'Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat.' II. 54. 'Intendebat formidinem.' Utroque loco augendi notionem recte huic verbo tribuit Wasseus Ind. in Sallust. v. 'Intendo.' Adde eumdem Tacitum Histor. I. 24. 'Publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat:' et propius ad h. l. Annal. IV. 26. 'Huic negatus honor gloriam intendit.' Ælianus Var. Hist. X. 9. ἐνετείνετο ἡ ὄρεξις. Apud Propertium I. 14. 5. 'Et nemus omne satas intendat vertice silvas;' per 'augeat' explicat Burmannus Secundus, quamvis forte melius illic tegendi, et operiendi tribuatur significatio, de qua ipsius patruus ad Virgil. Æneid. IV. 506. Ab animalibus ducta esse potest illa amplificandi notio, si inflando cutem augeant et distendant, ut occurrit apud Phædr. I. 24. 6. ubi Burmann. prima tamen metaphoræ sedes in fidibus, aut arcu secundum Ciceronem reponi poterit, de quo Cortius ad Plin. Ep. II. 11. 15. ex qua distendendi, et deinde amplificandi notiones. Porro *ad* pro secundum sæpe occurrit. Cicero de Amicit. cap. 25. 'Ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem.' Parad. VI. 2. 'Est enim ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica.' Atque ita comparationi sæpe inservire, ut πρὸς apud Græcos, monui ad Eumen. Constantio XVIII. § 2. Facile autem in hoc loco aberraverit librarius, tum, quia 'tendere' et 'intendere' aliquando permutantur, cujusmodi exempla dedit Burman. ad Virgil. Æn. I. 18. tum vero præcipue, quia *in* a suo verbo absorpsit præcedens *m* in *copiam*. Cf. ad Mamertin. Genethl. XII. § 4. et ad Eumen. Constantio I. § 2. ut itaque Mamertinum Latine loquentem exhiberet, pro *tendisti* dedit *tetendisti*. Denique *facta* sunt egregia, et prædicatione digna, de quo ad Mamertin. Maximian. II. § 3. Plurale 'gloriæ' adtigi ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 4. et Constantin. XV. § 5. *Arntz.*

§ 2 *Navem unam*] Argo. *Livineius.* Fabulam vide apud Natal. Comit. I. 8. *Patarol.*

Aurati velleris] Cf. Staveren. ad Hygin. Fab. 3. p. 23. *Arntz.*

Virginis raptum] Medeæ. *Livin.*

Sideribus consecrasti] Nota fabula. Valer. Flaccus: 'Prima Deum magnis canimus freta pervia nautis, Fatidicamque ratem, Scythici quæ Pha-

sidos oras Ausa sequi, mediosque inter juga consita cursus Rumpere, flammifero tandem concedit Olympo.' *Livin.* Navem illam in cœlum a Jove sublatam, stellisque ornatam poëtis dictum. Manilius lib. I. 'Tum nobilis Argo In cœlum subducta mari, quod prima cucurrit, &c. Servando Dea facta Deos.' Astronomi nomen adhuc retinent, et congeriem quandam stellarum, ad navis modum dispositarum, Argon vocant. *Patarol.* Hygin. Poët. Astron. II. 37. ubi not. *Arntz.*

Puerum inventorem] Virgilius Georgic. I. 'Uncique puer monstrator aratri.' Triptolemum sentit. Adi Ovidium Met. v. extremo. Idem Trist. III. 8. 'Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus, Misit in ignotam qui rude semen humum.' Et alibi passim. *Livin.* Triptolemum Hygin. Fab. 147. Ovidius Metam. v. 645. *Cellarius.* Triptolemum, Celei, Eleusiæ regis, et Hyonæ filium, quem Ceres, a se nutritum, seminandi artem docuisse dicitur, ac per totum orbem misisse. Virgil. Georg. lib. I. 'Uncique puer monstrator aratri.' Rutilius Itin. I. 74. 'Et qui primus humo pressit aratra puer.' *Patarol.* Sidonius Apollin. Carm. IX. 178. 'Non cum Triptolemo verendam Eleusin, Qui primas populis dedere aristas, Pastas Chaonium per ilicetum.' Ampelius Memor. c. 15. 'Celeus cum Euboleo sacerdote, filiabus virginibus ministris, Treptolemo frugum præfecto:' ubi legendum esse 'Triptolemo' vix est ut moneam; sed pro 'Euboleo' conjicit Dukerus 'Eumolpo;' tu scribe 'Eubuleo.' Pausanias Attic. cap. 14. Καὶ γενέσθαι οἱ παῖδας Εὐβούλεα καὶ Τριπτόλεμον. Vid. etiam Clemens Protrept. pag. 13. *Arntz.*

Draconum alitum] Curru etenim, a draconibus tracto, vehi solitum finxere. Quare Claudian. lib. I. de Rapt. Proserp. 'Angues Triptolemi stridunt,' &c. *Patarol.* Sidonius Apollin. VI. Epist. 12. 'Et ille quasi in cælum relatus pro reperta spicarum novitate Triptolemus, quem Græcia sua, cæmentariis, pictoribus, significisque illustris, sacravit templis, formavit statuis, effigiavit imaginibus. Illum dubia fama conciliat per rudes adhuc, et Dodonigenas populos duabus vagum navibus, quibus poëtæ deinceps formam draconum deputaverunt, ignotam circumtulisse sementem:' ubi nec Nostri immemor Savaro. *Arntz.*

§ 3 *Lembis liburnisque*] Forte de eo cogitavit, quod tradit Ammian. Marcell. XXI. 9. 'Cumque ad locum venisset, unde navigari posse didicit flumen, lembis adscensis ... per alveum ... ferebatur occulte.' Lembi erant navigia parva, et breviora; liburnæ majora: quare illis magis in flumine, his in mari fuerunt usi. Cf. Servius ad Virgil. Georg. I. 201. Barthius ad Claudian. Laud. Stilic. I. 358. Scheffer. de Milit. Naval. II. p. 71. et 77. Salmas. ad Vopisc. p. 382. et 475. Rader. ad Curtium IV. 5. 18. Baune ad Mamertin. Maxim. XII. § 6. Græv. ad Flor. II. 6. 49. Duker. ad eumd. III. 9. 3. not. ad Eutrop. II. 20. De liburnarum magnitudine etiam quædam habet Torrent. ad Horat. Epod. I. 1. *Idem.*

Adimunt] Ut Argo illa. *Livin.*

Populant] Vet. *populantur.* Putean. *Populantur* Cuspin. *Livin.* Schonhov. Mœrl. Gud. *populantur.* Utrumque probum. *Jægerus.* Virgilius Æneid. IV. 402. 'Ac veluti ingentem formicæ farris acervum Cum populant:' ubi Burman. Æneid. I. 527. 'Aut ferro Libycos populare penates:' unde passivum est in quibusdam apud Lucan. Phars. II. 444. 'Nec tam patiente colono Arva premi, quam si ferro populentur et igni:' vulgo 'populetur.' Cf. Burman. Drakenb. ad Livium XXIV. 8. 14. V. D. ad Juvenc. Hist. Evang. III. 58. Muncker. ad Hygin. Fab. 100. et Poët. Astron. IV.

19. supr. ad Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 4. Hic tamen ob codd. consensum *populantur* prætuli. *Arntz.*

§ 4 *Remis ventisque*] Conjecit pater meus, *remis velisque*, ut apud Ciceron. Tuscul. III. 11. 'Omni contentione velis, ut ita dicam, remisque fugienda.' Plautum Asinar. I. 3. 5. 'Remigio veloque, quantum poteris, festina.' Sed neque exemplo caret vulgata. Cicero ad Divers. XII. 25. 'Inde ventis, remis, in patriam omni festinatione properavi.' Virgilius Æneid. III. 563. 'Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.' Add. V. D. ad Sil. Ital. I. 566. *Idem.*

Alta puppe] Similiter Virgilius Æneid. V. 12. 'Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:' ubi Cerda. *Idem.*

Cujuscemodi agros] Suspicabar verum *cuicuimodi*, hoc est, *εἰς τὰ τυχόντα πεδία*, fuisseque in principe scriptura *cuimodi*, curte, librario primorem syllabam geminare oblito, quo genere frequenter est peccatum. Sed Franc. Modio e Bertin. exscriptum *cujuscemodi*, proxime ad Nostrum, et eodem sensu. Pro Nostro quidem hæc Agellii stant, IX. 2. 'Demus huic aliquid æris, cuicuimodi est,' ut exhibent membranæ. *Livin.* Ad scripturam Bertin. quam a Grutero inde omnes editores receperunt, accedit proxime cod. Put. *ejuscemodi*. Mœrl. deserens hic comitem suum, exhibet *ejusmodi*. Jæger. Etiam Guelf. *ejusmodi;* et Puteol. omnesque ante Gruterum; postea quoque in utraque Rivinus, hac sententia, non per quoscumque sine discrimine agros frumenta sparsisse Julianum, sed Romanis fuisse beneficum. Mihi oppositio ponenda videtur inter *agros* et *oppida*, quare veterem lectionem præstare arbitror, cod. tamen Puteaneum secutus. *Arntz.*

Bonas spes] De hoc plurali vid. ad Eumen. Constantin. XV. § 3. *Idem.*

Trepidationes] Guelf. *trepidantes fugas*, quod placet; *trepidationes* enim vix differunt a proximo 'formidines,' et præterea tribus præcedentibus, 'spes,' 'libertatem,' 'divitias,' tria quoque opposuisse videtur, 'terrorem bellicum,' 'trepidantes fugas,' et 'formidines.' Ammianus Marcell. XVII. 8. 'alios præcipiti fuga trepidantes.' Sidonius Apoll. Carm. V. 426. 'Et fortia quævis Fecit iners trepidante fuga.' Est autem 'trepidantes' cum pavore quodam festinantes, et concurrentes, ut 'trepidantia carpenta' apud Florum III. 10. 17. ubi Duker. et Cortius ad Sallust. Jugurth. LXVII. 1. ita 'trepidantia officia' etiam explicat Burmannus apud Claudian. Cons. Honor. VI. 523. *Idem.*

Formidines obserentem] Plautus Trinummo: 'Post id frumenti cum alibi messus maxima est, Tribu' tantis illi minu' redit, quam obseveris.' Addit Philto: 'Hem: istic oportet obseri mores malos, Si in obserendo possint interfieri.' *Livineius.* Male Guelf. *formidinem;* pluralem postulant præcedentia. 'Obserere' habet quoque Cicero de Legib. II. 25. 'terra frugibus obseritur.' 'Campum obserere,' Columell. II. 9. 1. Taubman. ad Plaut. Trinumm. II. 4. 129. *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Quale id*] *Illud* recte, et ex more Tullii plurimi, et curatissimi. *Jæger.*

Istrum] 'Navigare Istrum' dixit, ut 'currere pelagus' Sedulius Epist. ad Macedon. p. 2. de quo Heinsius Add. ad Prudent. p. 155. Cf. ad Eumen. Constantio XI. § 4. Paria in 'ire vias,' et similibus notavit Muncker. ad Hygin. Fab. 38. *Arntz.*

Ad Adriam] Pro *Adriam*, Gud. *Hadriacum*. Mœrl. *Adriacum*, quod non dubito rescribere, scil. 'mare,' quod nomen, perinde ac *πέλαγος* Græcorum, sæpe deesse novimus. *Jægerus.* Cf. Duker. ad Flor. I. 18. 3. II. 5. 1. *Arntz.*

Tyrrhenum] Nota maria, quæ Italiam alluunt; Adria quidem supe-

rius, Tyrrhenum autem inferius. *Patarol.* His forte populis anno præcedente beneficia est largitus Julianus, cum in Sicilia degeret, tunc enim Syracusis data est L. 12. C. Theodos. de Curs. public. *Arntz.*

Mæotidem] Vet. *Mareoticum.* Puteanus. *Meroticum* Vet. *Mereoticum* Bertin. *Mareoticum* Cuspin. Non est de nihilo librorum in voce nota varietas. Eruebam e vestigiis, non infeliciter opinor, *Tyrrhenum mare, Oricum porrig.* Oricos Epiri civitas, et de Juliani beneficiis in Epirotas mox auctor. *Livineius.* De Mæotide vide dicta ad Eumen. Constantio XVIII. *Patarol.* Gud. *Epyroticium,* Mœrl. *Epiroticum.* Mæotidi certe, et Mareotidi locus hic non est. Sed nec Livineii ratio placet, Oricum, civitatem, maribus inserentis. Quare verissimam duco scripturam Mœrl. confirmatam quoque Gud. et ceteris. Ex voce nimirum *Epiroticum,* præfixa antecedentis vocis littera extrema *m,* et omissis, ut fieri non numquam constat, primoribus litteris *pi,* factum esse videtur *meroticum;* (cf. tamen infra ad voc. 'revexerunt' prodita) deinde ex hoc, sive incuria librarii, sive consilio correctoris, *mareoticum,* et hinc denique *Mæotidem.* Fateor tamen, me nondum observasse, illam maris Ionii partem, quæ littora Epiri adluit, mare *Epiroticum* vocari. *Jæger.* Vocatur tamen ita apud Servium ad Virgil. Æn. III. 211. 'Hujus (Ionii sinus) partes esse Adriaticum, Achaicum, et Epiroticum;' a quo eadem descripsit Isidorus Orig. XIII. 16. et quamvis illud nomen non occurreret, potuisset tamen ita dicere hoc mare Mamertinus, ut 'Epirotica mala,' Plinius Hist. Nat. XV. 14. 'Epiroticos canes,' Varro de R. R. II. 9. 5. 'Epiroticos boves,' Columell. de R. R. VI. 1. 'Epiroticas possessiones,' Nepos Attic. XIV. 3. Ad hunc vero locum quod adtinet, si a Cuspin. discedas, omnes edd. in Mæotidem conspirant, quod tamen alieno est loco positum. Fecit quidem duorum codd. Gud. sive Guelf. et Mœrl. auctoritas, ut Jægerum, qui *Epiroticum* primus dedit, non deseruerim, sed, ne quid dissimulem, de lectionis veritate diffido, quam forte propter sequens 'Epirotæ,' tamquam sibi magis cognitam, substituerit librarius, rejecta minus nota, et tamen veriore, *Mareoticum,* quam Puteani cod. et Cuspin. ed. tuentur. Beneficia nimirum, a Juliano in Adriatici, et Tyrrheni maris accolas collata, Noster prædicat; potuissetne igitur 'Mareotici maris' adpellatione Ægyptios complecti, quibus, anno hunc Panegyricum præcedente, id beneficii præstitit Imperator, ut quorumdam delatas ad se querelas represserit, ne in Ægypti detrimentum tenderent. Historiam narrat Ammian. Marcell. XXII. 6. ad quam referenda est L. 6. C. Theodos. Si cert. pet. ex suffrag. Est autem Mareotis non Epiri pars, quod aliquando censuit Barthius ad Grat. Cyneg. 113. ipse errorem suum confessus ad Stat. Silv. III. 2. 26. quamvis favere videatur Columella de R. R. III. 2. 24. ubi 'vites Mareoticas' inter Græcanicas refert, sed loco forte corrupto; est igitur Mareotis Ægypti palus, ut tradit Curtius IV. 7. 9. Strabo Geogr. XVII. p. 1137. Appian. Exped. Alex. p. III. 456. Vibius Sequester de Lacub. p. 114. Martianus Capella VI. p. 217. 'Mareotis Maretonium;' de qua voce postrema dixi in Miscell. p. 234. quare etiam pro Ægypto, ejusve parte ponitur apud Servium ad Virgil. Georg. II. 91. Isidor. Orig. XVII. 5. hanc vero paludem 'mare' adpellare potuit Mamertinus, Strabonis exemplo Geogr. XVII. p. 1142. de Ægypto: ἀμφίκλυστόν τε γάρ ἐστι τὸ χωρίον δυσὶ πελάγεσι, ... ἀπὸ μεσημβρίας τῷ τῆς λίμνης τῆς Μαρείας, ἣ καὶ Μαρεῶτις

λέγεται. Inde est 'Mareoticum,' ut 'uvæ Mareoticæ,' et 'vinum,' Horat. Od. I. 37. 14. Isidor. d. l. 'ebenus Mareotica,' Lucan. Phars. X. 117. ubi tamen 'Meroetica' placet Salmasio Exerc. Plin. p. 274. de quo consule Muncker. ad Fulgent. Mythol. II. p. 693. ed. Staver. Waddel. Anim. p. 155. 'classis Mareotica,' Sidon. Apoll. Carm. V. 462. 'Apis Mareoticus,' apud eumd. Carm. IX. 181. ita apud Martianum Capell. VI. p. 219. ex variantibus penes me ex Vossii Cod. emendandum, 'Mareoticum lacum', pro vulgato 'Maræotim.' Adde Casaubon. ad Strabon. d. l. p. 1151. Taubm. ad Plaut. Casin. III. 5. 15. Fateor equidem, nullam hoc cap. de Ægyptiis fieri mentionem, ad quos *Mareoticum* referatur, sed neque de Tyrrheni adcolis quid occurrit, cujus tamen maris meminit; hos itaque omnes complecti iis verbis arbitror, quæ § 4. sequuntur: 'universas urbes ope Imperatoria refotas enumerare longum est.' *Arntz.*

Ipso enim] Forte *eo ipso en. temp.* vel, *ipso enim illo temp.* Jæger. Valde hæc se commendat conjectura, ut apud Lactant. Instit. V. 2. 4. 'eodem ipso tempore;' nisi 'ipso' posuerit pro eodem, nimirum cum Istrum adhuc navigaret, quem usum probat Wopkens. in Observ. Miscell. Nov. T. VIII. p. 866. et ad Sedul. Carm. I. 48. De verbo 'levare' vide supr. VII. 3. *Arntz.*

Dalmatæ] Legimus in Ammiano XXV. 4. multa vectigalia a Juliano remissa civitatibus fuisse. Dalmatas equorum pretiis enormibus levatos laudat hic Noster, quod beneficium, iisdem a Juliano præstitum, simile illi puto, quod exhibet celebris ille Nervæ nummus, cum epigraphe, VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA.



Cum enim per Italiam, cæterasque provincias disposita essent animalia, et vehicula in usus publicos, et nonnumquam privatos, sumptibus earundem provinciarum, Nerva onus hoc Italiæ remisit, quod et a Juliano Dalmatiæ remissum ex Nostri verbis probabile est. Pluribus res esset illustranda; sed, cum disertissime materiam hanc Illustr. Spanhemius Dissert. IX. de Præst. et Usu Numism. pertractarit, ad ejusdem præclarum opus lectorem remitto, cum nihil melius a me proferri posse certo sciam. *Patarol.* De quibusdam equorum pretio levatis exponit Gothofred. ad L. 1. C. Theodos. de Equor. collat. Equi enim in usus militares erant præstandi, vel in eorum pretio fiebat exactio, si adærarentur, id est, solidi pro iis exigerentur. Cf. eumdem tom. II. p. 257. *Arntz.*

Epirotæ] Erat autem Epirus equorum ferax, ad quos tributum illud pertinet. Cf. Servium ad Virgil. Georg. I. 59. et III. 121. V. D. ad Gratium Cyneg. 530. Gothofred. ad L. 1. C. Theod. de Strator. *Idem.*

Intolerandi] Vet. *ad incitas int.* Putean. Palmare est, quod e duobus fidissimis codd. Vet. et Bert. insertum, *ad incitas:* subaudi 'lineas,' aut ψήφους. Isidorus Origin. XVIII. 'Calculi, qui moveri omnino non possunt, incitos dicunt. Unde et egentes homines inciti vocantur, quibus spes ultra procedendi nulla restat.' Bene eruditus Grammaticus. At Nonio Marcello,

si Dis placet, *incitas* est egestas. Plautus Pœnulo, Scena 'Sati' spectatum est:' 'Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.' Idem Trinummo, Scena 'Minu' quindecim:' 'Alii exulatum abierunt, alii emortui, Alii se suspendere. PH. Hem. ST. Hic nunc cujus est, Ut ad incitas redactu'st!' Pro eodem usurpatum et 'ad incita;' subintellige 'loca.' Lucilius Sat. III. 'Illud, ad incita cum redit, atque internecionem.' Idem XV. 'Villicum Aristocratem, mediastinum, atque bubulcum Commanducatus corrupit, ad incita adegit.' Nam male, et contra carminis legem *incitas* utrobique est in Nonio. Plura doctissimus Jos. Scaliger, Appendice ad Conjectanea in Varronis sextum. *Livin.* Verba *ad incitas*, petita ex cod. Livin. et Bertin. quibus etiam Put. cum Mœrl. se adjungunt, inde a Grutero præferunt edd. omnes. *Jæger.* Præterquam in utraque Rivinus; exstant quoque in Guelf. De locutione *ad incitas* cf. Salmas. ad Vopisc. p. 461. Taubman. ad Plautum Pœnul. IV. 1. 85. Trinum. II. 4. 136. Gronov. Lect. Plautin. p. 289. *Arntz.*

Revexerunt] Ita legitur in edd. omnibus. Mœrl. *reperere*, quod non potest non esse verum. Nam 'revehere fortunam' qua ratione dici possit, nemo facile docebit: at 'reperire,' i. e. quærere, et consequi 'fortunam' ad exemplum optimi cujusque dicitur. Sic Virgil. Æn. VI. 610. 'divitias repertas' ponit pro partis, et adquisitis. Litteræ *x* et *r* facile permutantur: et cum hic etiam *p* et *v* misceri videamus, fortasse supra pro *epiroticum* scriptum fuit *eviroticum*, et deinde pro hoc *meroticum*. Jæger. Ex Guelf. notatum video *reppetere;* forte tamen scriptum fuit *repperere*. Edidit Jægerus *repererunt*, sed tunc adcuratius ex Mœrl. foret *reperere*, cui terminationi favet quoque cod. Livineii et Guelf. Quamvis vero non negaverim, 'reperire fortunam' dici posse secundum ea, quæ notat Popma de Differ. Verb. III. p. 143. tamen nescio, qui illud langueat, nulliusque sit efficaciæ. Mihi *revexerunt*, aut potius *revexere* a Mamertini manu fuisse profectum est certissimum. Cum de equis, quorum feracem fuisse Epirum modo monui, agat, quamdam forte in hac voce elegantiam captavit; ut itaque 'revehere equo' quis dicitur, de quo Drakenb. ad Livium VII. 41. 3. et XXXIV. 15. 3. ita tributo levati Epirotæ per equos pristinam velut 'fortunam revexisse' dici possent. Sed non opus, ut eo confugiamus. Equis enim per sinum Ambracium, et mare Ionium ex Epiro in alias regiones transmissis, majorem ex earum venditione, et permutatione fortunam quærebant Epirotæ tributo levati; major itaque fortuna, sive acceptum pro iis pretium, aliæve res, in Epirum iisdem navibus transportatæ, efficiebant, ut fortunam suam *reveherent*. Ita de navi redeunte hoc verbum est usitatum. Pacatus Paneg. VII. § 4. 'Etsi ad portum mutati in melius revexerint flatus:' ubi frustra, judice etiam Jureto, *reduxerint* substituebat Balduinus. Plinius Paneg. XXXI. § 3. 'Refudimus Nilo suas copias, recepit frumenta, quæ miserat, deportatasque merces revexit.' *Arntz.*

§ 2 *Nicopolis*] Vide Strabonem lib. XVII. *Putean.* Suetonium lege August. cap. 18. Obnoxiam terræ motui fuisse auctor Seneca Natural. Quæst. VI. 26. *Livin.* Urbs Epiri ad Ambracium sinum, nunc *la Prevesa*. Patarol. Cf. Isidor. Orig. XV. 1. Servium ad Virgil. Æneid. III. 274. Scaliger Emend. Temp. p. 458. Demster. ad Rosin. Antiq. IV. 12. Oudend. ad Sueton. August. c. 18. *Arntz.*

Tropæi instar] Quemadmodum tropæa ornamentis, et armis hostilibus insignia fuerunt; (vid. Flor. II. 17. 16. et III. 2. 6.) ita Nicopolin quoque

spoliis et exuviis, *κόσμῳ ἐκ τῶν λαφύρων*, exornatam fuisse, loco mox citando, testatur Strabo. *Jæger.* Guelf. male *trophæi*. Vid. ad Eumen. Constantio v. § 2. *Arntz.*

Conciderat] Nimis subito eandem phrasin iterat: 'In miserandam ruinam conciderat Eleusina.' *Acidalius.* Nil opus, ut cum Putean. *ceciderat* legatur. 'Concidere' sæpe de urbium interitu occurrit. Velleius I. 7. 4. et cap. 13. 1. et de totius imperii ruina. 'Concidit Ilia tellus,' Virgil. Æn. XI. 245. Nepos Pelop. II. 4. 'quorum imperii majestas .... ab hoc initio perculsa concidit:' proprie enim de iis dicitur, quæ in terram decidunt, de quo Mencken. Observ. L. L. p. 144. ut Noster 'concidere in ruinam,' ita translate dixit Cicero ad Attic. VIII. 24. 'in optima concidit.' *Arntz.*

Sine tectis fora] Fora Græcorum et Romanorum tectis et ædificiis cincta erant, atque ornata. Vitruvius v. 1. 'Græci in quadrato, amplissimis et duplicibus porticibus, fora constituunt, crebrisque columnis, et lapideis, aut marmoreis epistyliis adornant, et supra ambulationes in contignationibus faciunt,' &c. Add. Ernesti ad Sueton. August. c. 29. *Jæger.*

§ 3 *Certamen ludicrum*] Strabo lib. XVII. ubi de Nicopoli agit, meminit hujus quinquennalis certaminis. *Putean.* Ab eodem Augusto ibi institutum, teste Sueton. c. 18. cujus verba, 'Ludosque illic quinquennales constituit.' *Patarol.* Strabo lib. VII. p. 225. ed. Casaub. Ἡ μὲν Νικόπολις εὐανδρεῖ, καὶ λαμβάνει καθ' ἡμέραν ἐπίδοσιν· χώραν τε ἔχουσα πόλλην, καὶ τὸν ἐκ τῶν λαφύρων κόσμον, τό τε κατασκευασθὲν τέμενος ἐν τῷ προαστείῳ, τὸ μὲν εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν πεντετηρικὸν, ἐν ἄλσει ἔχοντι γυμνάσιόν τε καὶ στάδιον. Cf. Sueton. August. c. 18. fin. *Jæger.* Triplex illud certamen fuisse, gymnicum, musicum, et equestre docet Lipsius ad Tacit. Annal. XV. 23. *Arntz.*

Justitium] Luctus publicus, et ἀπραξία. Sueton. Calig. cap. 5. in fin. 'Regum etiam regem et exercitatione venandi, et convictu magistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.' Vid. de vi et usu hujus vocis P. Fabr. Semestr. II. 10. *Jæger.* Et Priceum ad Apul. Metam. III. p. 241. Balduin. ad Pacat. Paneg. p. 153. Lucanus Pharsal. II. 17. 'Ferale per urbem Justitium: latuit plebeio tectus amictu Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces:' quæ parum videntur sana; in 'ferale justitium' quidam subaudiunt 'fuit,' aut 'indictum fuit;' emendat Burmannus, 'justitium placuit;' 'ferale perurguent' Clercquius, Observ. in Lucan. Specim. I. pag. 56. puto scriptum fuisse 'per urbe e,' lineolis supra utrumque *e* positis; lege itaque 'per urbem est;' posterius *e* præcedens absorpsit. At quis 'Omnis honos?' Vonckio in ed. suæ margine placebat 'Summus honos;' malim 'Primus,' id est senatores, quibus 'plebeius amictus' oportune opponitur. *Arntz.*

Athenæ] Vid. Meurs. de Fort. Ath. p. 78. *Jæger.* Justinus II. 6. 6. 'Litteræ certe, ac facundia, et hic civilis ordo disciplinæ veluti templum Athenas habent.' *Arntz.*

Conciderat Eleusina] Forte *Eleusin.* In Bertin. est *Eleusina conciderant*: inepte. *Livin.* 'Eleusis' etiam, et 'Lepsina' aliis dicta, urbs Atticæ ad oram maritimam, non longe ab Athenis, priscis admodum celebrata, ob Cereris templum, et sacra. *Patarol.* Guelf. *occiderat*: sed supra § 2. 'prope tota conciderat.' *Eleusina* eo more dixit, quo Græcum tertiæ declinationis accusativum mutant in Latinum primæ nominativum; ita in Lovan. apud Livium XXXI. 26. 3. 'est castellum Eleusinæ:' alia exempla dedit Davies. ad Ciceron. Tusc. Disp. I. 46. Wopkens. in Observ. Miscell. Nov. tom. II. p. 98. Gronov. Observ.

in Eccles. 9. pag. 96. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. lib. I. part. I. c. 3. et ipse ad Arator. I. 693. *Arntz.*

§ 4 *Epistolis*] Gud. habet *litteris*, a correctore, puto. Numero plurali pro singulari utitur, quemadmodum Justinus solet. Vid. Index Freinshem. Sic et Thucydides lib. I. p. m. 43. ed. H. Steph. litteras Argilio a Pausania datas vocat ἐπιστολάς: Nepos autem Pausan. IV. § 1. 'epistolam.' Pluralem nominis 'unus' substantivis pluralis numeri tantum jungi docent grammatici. Attamen et Cicero pro L. Flacco, c. 29. dixit: 'tibi invideo, quod unis vestimentis tamdiu lautus es.' Vid. etiam ejusd. orationis c. 26. et Cort. ad Sallust. Catil. VI. 2. *Jæger.* Epistolas Juliani mandata interpretor, de quo usu Taubman. ad Plaut. Pers. IV. 6. 11. L. 1. § 1. D. de Constit. Princip. 'Quodcumque igitur Imperator per epistolam et subscriptionem statuit:' et Justinianus § 6. 1. de Jur. Nat. ἐπιστολὰς ita etiam explicuit Krebsius Observ. in N. T. ex Josepho p. 226. Vere Jægerus pluralem nominis 'unus' ejusdem numeri substantivis jungi scribit, ut 'unis ædibus' apud Terent. Eunuch. II. 3. 75. 'unæ litteræ,' de quibus Cortius ad Ciceron. ad Divers. XIII. 25. sed illud in his tantum fieri grammaticis haud largior, neque etiam plurali 'epistolæ' pro singulari usum fuisse Mamertinum puto, ut de una fecit epistola Justinus, et alii, quamvis de Cicerone neget Grævius ad eumd. ad Attic. IX. 2. Nimirum Noster cum de pluribus ageret epistolis non aliter scribere potuit; sanequam grammaticorum legi prævalet illa Cortii, a Jægero citati, pluralem in voce 'unus' tunc locum habere, si de pluribus, rebusve inter se conjunctis sit sermo, quamvis singulari non careat substantivum. De pluribus necessariis scribens Cicero ad Divers. XIII. 7. 'pro his,' inquit, 'unis:' de pluribus scalis Sallust. Jugurth. LX. 7. 'una atque altera scalæ;' quamvis 'scalas' plurali tantum numero in usu esse tradit Charisius Sosipater ex membranis auctior apud Schottum Obs. I. 4. similiter in conjunctis: de omnis sexus et ætatis consensu Lactantius Instit. V. 13. 5. 'unis ac paribus animis;' pariter 'molas unas' Cato de R. R. c. 13. 1. huc refer 'unas quadrigas' apud Varron. de R. R. II. 5. 14. est enim 'quadriga' quoque singularis numeri, de quo Gellius N. A. XIX. 8. ubi Gronov. hac forma eo, quem protulit Jægerus, loco plurali in voce, cui non deest singularis: uti debuit Cicero ex conjunctorum natura, de homine, quem uno tantum vestimento fuisse indutum non crediderim. *Arntz.*

Mœnibus juventutem] I. e. tectis et ædificiis. Vid. Gronov. ad Justin. II. 12. 14. et Salmas. ad Flor. I. 4. 2. *Jæger.* Adde Salmas. ad Capitol. p. 122. Ursin. ad Vell. Pat. II. 48. 2. Gothofred. ad Cod. Theod. tom. V. p. 209. et 310. Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 111. Mencken. Observ. L. L. p. 625. et quæ dixi ad Sedulium IV. 40. Eleganter illis ædificiis *juventutem* tribuit, ut de vetustate collabentibus dicitur 'senectus.' Cf. Juret. ad Symmach. Epist. I. 4. *Arntzenius.*

Mundari] Forte *inundari*. Livin. Admodum verisimiliter Livineius, quamquam supra, aquarum penuria, omnia plena squaloris fuisse dicuntur, quo deinde, novatis aquæductibus, abluto, loca ipsa sunt mundata. *Jæger.* Quod supra dixit § 2. 'plena cuncta squaloris et pulveris,' hic postulat *mundari*. Constantinus in L. 1. C. de Aquæduct. 'Ut eorum opera aquarum ductus sordibus oppleti mundentur.' Cf. ad Arator. Act. Apost. II. 538. et Specim. Obs. 9. non dissimiliter Hygin. Fab. 30. pag. 85. ed. Staver. 'flumine ammisso totum stercus abluit;' quam lectionem

quamvis tueatur Munckerus, cum Micyllo tamen maluerim *inmisse;* de hoc loco Vossii conjecturas dedi ad Sedul. v. 420. *Arntz.*

Madere, fora] Distingue, *madere: fora, &c.* Acidal.

Celebrari, veteres] Distingue, *et celebrari veteres, et novos, &c.* Idem.

Cap. x. § 1 *Mœnia ab indigenis*] Distingue, *desolata mœnia, ab indigenis solitudinem, exulum turbam.* Idem.

Is nunc] *Si* abest male Rhenan. Stephan. *Jæger.* Recte jam revocavit Livineius, probantibus Guelf. et Schonhovii excerptis; in utraque Rhenan. secutus est Rivinus. *Arntz.*

Idem editum] Cf. De Rooy Spicil. Crit. p. 37. *Idem.*

Ac despiciat] Similis est Mamertini locus Maximian. III. § 3. 'In tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo veluti terras omnes, et maria despicias, vicissimque oculis ac mente collustres, ubi sit certa serenitas.' Cf. Not. Sidonius Apoll. Carm. VII. 17. 'Forte Pater Superum prospexit ab æthere terras, Ecce viget, quodcumque videt.' *Idem.*

Agros consitos] Cicero de Senect. cap. 17. 'Agrum diligenter consitum ostendisse:' plura Cortius ad Sallust. Jugurth. XLVIII. 4. *Idem.*

Urbes frequentes] 'Urbs frequens' incolis est, ut 'murus turribus frequens' apud Eumen. Constantin. XIX. § 1. *Idem.*

Oppidis fluentes] Optimum hoc urbibus semper reputatum, unde Virgilius Georg. lib. II. Italiæ laudes recensens cecinit, 'Fluminaque antiquos subterlabentia muros.' *Patarol.* Frontin. de Aquæduct. Art. I. 'Aquarum, quæ in urbem Romam influunt.' Art. 4. 'In urbem influunt aquæ.' L. 9. D. Quemadm. servit. amitt. 'Aqua, si in partem aquagii influxit;' ut recte editur, probantibus Hotomanno Observ. VII. 16. et Demster. ad Rosin. I. 14. quem more suo descripsit Keuchen. ad Frontin. de Aquæduct. p. 372. in Cod. Florent. et quibusdam edd. est 'in partem agri,' quod unde sit ortum, docet Brenckmannus. *Arntz.*

Privatas ædes sed magnifica] Sic Vet. *non privata, sed publica tecta:* recte. Sequor tamen lectionem cod. Pulm. *non privatas ædes, sed publica tecta.* *Non privatas* non modo privatas, ut infra, 'nec viros quidem, sed mulierculas,' id est, non viros modo. *Putean.* *Sed publica tecta* Vet. Bertin. *Livin.* Pro *magnifica* Vet. Bertin. legunt *publica*, quod rectum. *Ritters.* Displicet ejusdem vocis *magnifica* repetitio. An posteriori loco scribimus *regifica?* quæ poëtica vox non male huic usurpanda. *Acidalius.* Duplex hic est ellipsis. Deest primum *modo*, vel *tantum, solum*, more Græcorum Latinis etiam usitato. Vid. Schwebel. ad Bos Ellips. p. 559. et Onosand. c. 7. p. 40. Sic Eumenius pro Restaur. Schol. c. XIX. § 4. 'Si non potentia, seu etiam eloquentia Romana revirescat.' Cf. ibi adnotata. Deinde post *sed* omittitur *etiam*, vel *adeo*, non sine elegantia, et vi quadam sententiæ augendæ. Vid. Cort. ad Sallust. Cat. XVIII. 7. et Jugurth. XIV. 23. Heusinger. ad Nepot. Cimon. IV. 1. *Jæger.* Illud *sed magnifica* ed. Puteolanæ debetur, ex qua in reliquas pervenit usque ad Gruterum, qui recte *privatas ædes, sed publica* primus dedit, quamvis *magnifica* retinuerit Rivinus. De ellipsi *modo* post *non* dixi ad Mamertin. Genethl. XVI. § 4. Eumen. pro Instaur. Schol. XVII. § 4. Baune ad eumd. XIX. § 4. sed si hanc admittamus, id mihi dicere videtur Mamertinus, quod non adeo foret rarum. Quid enim? utrum id singulare, publica tecta magnifico cultu surgere? imo vero id illis est proprium; aut itaque cape inverso ordine, non publica tantum tecta, sed etiam privatas ædes, aut, quod malim sine ellipsi, ædes non surgere privatas, sed publica tecta,

id est, privatorum ædes splendore publicis nihil cedere: sive, ut scribit Joan. Saresber. vi. 28. 'Villas æmulas urbium conditas, domos vice templorum exornatas.' *Arntz.*

Terrarum ingeniis] Natura et vi insita. Sic Plinius H. N. xiv. 1. 'ad cæli mores, solique ingenia.' Cf. Freinshem. Ind. in Flor. v. 'Ingenium.' *Jæger.* Columella iii. 1. 2. 'Sui cujusque ingenii poma, vel semina gerunt.' Ita 'ingeniosum agrum' explicuit Gronov. Observ. iv. 15. adde Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. v. p. 141. Taubman. ad Plaut. Pœn. v. 4. 12. Heins. ad Claudian. Cons. Honor. iv. 494. ad Velleium ii. 115. 4. Duker. ad Flor. ii. 16. 16. Drakenb. ad Livium ii. 30. 4. et quæ dixi ad Arator. Epist. ad Florian. 16. *Arntz.*

Vincentes] Cf. ad Mamertin. Genethl. xv. § 4. *Idem.*

Læta camporum] Sic mox c. xii. § 1. 'laborum asperrima,' et § 3. 'laboriosissima negotiorum.' Cf. Schwarz. ad Plin. Paneg. xxx. § 4. et quæ adnotavimus supra ad Paneg. viii. 24. 1. *Jægerus.* Cf. ad Mamertin. Genethl. xvi. § 4. ad Eumen. pro Instaur. Schol. iii. § 3. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. i. p. 208. Maxime mihi blandiretur patris mei conjectura, *læta camporum*, cum totus in describenda sit agrorum fertilitate Mamertinus, nisi *lata* magis loca plana, collibus vallibusque opposita, indicaret, quo sensu accepisse videtur Nazarius Paneg. xxii. § 3. 'campum late jacentem.' Silius Ital. x. 363. 'Et lati fumabant sulfure campi.' Virgilius Æneid. vii. 486. 'Lati custodia credita campi:' ubi tamen in pluribus codd. est 'late,' quod probat Burman. et Heynius, Drakenb. ad Livium xi. 55. 5. *Arntz.*

Persona] Mœrl. exhibet *personare.* Jæger. Etiam Guelferb. Alterum propter poëticam descriptionem prætulerim. Petron. Sat. c. 120. 'Non verno persona cantu.' Statius Theb. i. 208. 'Et littora persona ludo:' ubi Barthius. *Arntz.*

Vicinam cæli] *Viciniam* recte. *Acidal.* *Vicinam* nempe regionem. Alii *viciniam.* Parum interest. *Anonymus* in Strodtmanni Europ. Nov. Erudit. part. vii. p. 585. *Vicinam* Guelf. ed. Rhenan. H. Stephan. et Rivini. Alterum probo, ut enim 'regionem' subaudiamus, vix probabitur. *Arntz.*

Derelinquet] Fortasse, ut visum est Acidalio, legendum *relinquet.* Ultimæ vocum antecedentium litteræ sequentibus facile adhærescunt. *Jæger.* Mihi fortior videtur vulgata, ut animum non redeundi indicet. Ita 'derelinquere' et 'deponere' junxit Cicero pro Cæcin. cap. 35. et 'deserere,' in Verr. iii. 51. *Arntz.*

Tuis] Id est, terris, quas beneficiis tibi devinxisti. Eumenius Constantio vi. 1. 'Gallias tuas, Cæsar, veniendo fecisti.' Ausonius Grat. Act. xxxvii. 2. 'Gallias tuas inopinatus inlustres.' *Idem.*

Rerum paratu] Laus vera Juliani. Eutropius x. 8. de ipso: 'In provinciales justissimus, et tributorum, quatenus fieri posset, repressor: civilis in cunctos, mediocrem habens ærarii curam.' Ambrosius in obitum Valentiniani, tom. v. p. 108. quum dixisset, nihil novum provincialibus indici passum, addit, 'Ex hoc laudant provinciæ Julianum.' *Cellarius.* Mœrl. et Gud. cum Patarol. *apparatu.* Sed illud non minus probum. *Jæger.* Vulgatam tuentur notata a Gothofredo ad L. 1. Cod. Theodos. de Indulgent. crimin. et De Rooy Anim. Crit. p. 261. *Arntz.*

In maxima quæstione] Id est, maxime quæratur. Cf. Schulting. ad Senec. Controv. ii. p. 147. *Idem.*

§ 3 *Vitæ tuæ*] Pacat. Paneg. xii. § 3. 'Sed qui vitæ tuæ sectam, rationesque cognoverit:' ubi not. *Idem.*

Maximum] Pulchre transit ad laudandam Juliani frugalitatem, quam

describit etiam Ammian. Marcell. XXV. 4. *Patarol.* Cicero Parad. VI. 3. 'O Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.' *Jæger.*

Tua] In Schonhov. excerptis est *parcimonia tua;* melior altera scriptura a 'parsi.' Cf. Dausquium Orthogr. part. II. p. 232. *Arntz.*

Prodigas cupiditates] Lege *profundas.* Faber. *Proprias* Vet. Bertin. *cupiditates proprias* Cuspin. *Livin.* Idem verbi bis poni vides. An ex industria auctoris? Pæne jam illuc labor, ut credam. Probare non tamen possum βαττολογίαν. *Acidal.* Vocabulum *propria* adeo frequens est his oratoribus, ut fortasse revocandum, atque scribendum sit, *quidquid enim alii in cup. proprias prodigebant.* Ita sane legitur in Ms. Gudiano, cum edd. ingerant, *quidquid enim alii in prodigas cupiditates prodigebant:* quam βαττολογίαν, mirum est, quod editores concoquere potuerint, cum nostra ista ex Ms. desumta scriptura dudum etiam ab Antonio Schonhovio pro discrepante lectione adnotata sit. *Acta Lipsiensia,* a. 1726. pag. 469. Satis speciose pro *prodigas* P. Faber legi jubet *profundas,* i. e. insatiabiles. Sed certiorem medicinam petimus ex codd. Mœrl. Gud. Schonh. qui *proprias* habent, quæ 'usibus publicis' scite opponuntur. *Jæger.* De emendationis veritate nulla dubitatio, probatæ quoque a viro clariss. Bibl. Crit. vol. II. part. I. p. 31. et a Cortio in margine ed. suæ, forte eorum quoque auctore, quæ ex Act. Lipsiens. adscripsi, quod ex cod. Gud. mentione, cujus variantes possedit, suspicari licet. Ordo verborum inversus *cupiditates proprias* est quoque in Gud. sive Guelf. eumque restitui, quia caussam dedisse videtur, ut *prodigas* propter proximum 'prodigebant' scripserit librarius, ut nonnulli codd. apud Virgilium Æneid. III. 627. 'Trepidi tremerent sub dentibus artus:' ubi tamen 'tepidi' prætulerim. *Cupiditates* ea est notione capiendum, de qua dixi ad Nazar. Paneg. XXXVIII. 5. *Arntz.*

Prodigebant] De hac voce, et 'prodigus' elegantia habet Marckland. Epist. Crit. ad F. Hare p. 83. *Idem.*

CAP. XI. § 1 *A ceteris civibus*] Vox *ceteris* abest Mœrl. et Gud. omissa fortasse ideo, quia Imperator in civium numero haberi non posse emendatori videbatur. Verum et ipsos Cæsares ac Principes, quamvis custodes, vindicesque salutis publicæ haberi volebant, 'cives' appellatos esse constat. Vid. Schwarz. ad Plin. LXXXIII. § 4. *Jæger.*

Splendore, sed] Deest jam in Puteolan. Ed. sed Cuspinianum secutus primus dedit Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum: me quidem judice, recte, ut gloriam ex fortibus factis indicet. *Arntz.*

Separaretur] Dignissimus est, qui hic, et ad sequentia adscribatur, Sallustii locus Orat. ad Cæsar. § 42. 'Neque aliter quisquam extollere sese, et divina mortalis adtingere potest, nisi, omissis pecuniæ et corporis gaudiis, animo indulgens, non adsentando, neque concupita præbendo perversam gratiam gratificans, sed in labore, patientia, bonisque præceptis, et factis fortibus exercitando. Nam domum, aut villam exstruere, eamque signis, aulæis, aliisque operibus exornare, et omnia potius, quam semet visendum, efficere, id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.' *Idem.*

§ 2 *Substructionum*] Ædificiorum internorum, puta porticuum, balinearum, cœnaculorum, &c. quales refert Sueton. in Neron. cap. 31. De ejusdem aurea domo, deque altera Caii Imp. Plinius XXXVI. 15. *Patarol.* De substructionibus proprie dictis vid. Vitruvius III. 3. ibique Philand. *Jæger.* In illo Vitruvii loco cap. princ. vox 'substructionum' abest a cod.

Franequerano. Sunt autem proprie, quæ in ædificando sub terræ superficie struuntur. Idem VI. 11. 'Maxima autem esse debet cura substructionum.' Livius XXXVII. 28. 3. 'substructionem super Æquimælium locaverunt.' Cum 'fulturis' junxit Plinius Epist. X. 48. 2. eo sensu 'substruere' dixit Plautus Mostell. I. 2. 40. Drakenb. ad Livium VI. 4. 12. de aliis 'substructionum' significationibus vid. Polenus ad Frontin. de Aquæd. Art. 3. *Arntz.*

Moles ingentes] An potius distinguendum *moles, ingestes auxil.?* Acidal. Eam distinctionem Livineius et meliores habent edd. Mihi autem scripsisse videtur, *moles, et ingentes;* præcedens syllaba *et* absorpsit. Nisi forte in primis syllabis vocis *ingentis* lateat repetitio τοῦ *inde.* Arntz.

Auxiliorum catervas] Viennensis liber, *aulicorum catervæ legionum.* Lips. Epist. Quæst. III. 24. Codd. scripti, et antiquitus impressi, *aulicorum catervæ.* Veniebat quidem in mentem *aucupum*, sed non etiam placebat. Magis arrideret *eunuchorum*, nisi nimium abiret a characteribus alterius vocis. *Gruter.* Ita Rhenan. Stephan. itemque Livin. nisi quod hic *catervæ* habet, non *catervas*, et post *moles* incidit, adeoque *ingentes* ad *catervæ* recte transfert, consentientibus libris reliquis. Pro corrupta voce *auxiliorum* cod. Mœrl. et Schonhov. et edd. ceteri *aulicorum.* Mihi conjectura Gruteri emendatrice non opus esse videtur. *Jægerus.* Vere ita emendatum esse confirmant, quæ de tonsoris, a Juliano interrogati, lucro narrat Ammianus Marcell. XXII. 4. *Arntz.*

§ 3 *Et cœnarum*] De luxu Romanorum Asiatico omnia, etiam annum, pervertente, locus est huic plane geminus, et uberior quidem in Latin. Pacati Drepanii Paneg. cap. XIII. et XIV. *Ritters.* Imperatorum luxus in mensis notissimus omnibus. De Nerone Sueton. cap. 27. de Domitiano Juvenal. Sat. IV. Immane Lucii Veri convivium pete e Capitolino. *Patarol.* Pacati locum cum nostro egregie contulit Junius Animadv. IV. 9. *Arntz.*

Cœnarum magnitudines] *Elaboratas* ex Putean. Mœrl. et Guelf. auctoritate dedi. Vulgata in codd. præcedentis syllabæ *um* nota, facile *e* absorpsit. Cœnas enim summo labore paratas, cibisque raris instructas, et exornatas indicat, quales describit Sedulius Prolog. Paschal. Carm. 9. 'Nobilium nitidis doctorum vescere cœnis, Quorum multiplices nec numerantur opes: Illic invenies, quidquid mare nutrit edendum, Quidquid terra creat, quidquid ad astra volat.' His autem 'elaborare' eximie convenit, quod per magna contentione efficere recte explicat Baunius supr. ad Incert. Constant. I. § 2. quare cum 'efficere' junxit Cicero ad Divers. IX. 16. et Noster infr. XXXII. in fin. Auctor ad Herenn. IV. 22. 'Non hæc videntur reperiri posse sine elaboratione, et consumtione operæ.' Cicero pro Cœl. c. 19. 'ratio cura et vigiliis elaborata.' *Idem.*

Romanus populus sanciebat] Viennensis liber, *R. P. sentiebat.* Lipsius, Epist. Quæst. III. 24. Vet. *sentiebat.* Putean. *R. P. sentiebat* Vet. Bertin. Cuspin. *R. P.* est *respublica*, non *Populus Romanus*, ut opinor. *Livin.* Quod hic ait de sanctionibus Pop. Romani, intelligit leges sumptuarias, quæ ex Macrobii Saturnalibus, et aliunde notissimæ sunt; utinam et moribus nostris usurpatæ! *Ritters.* Ineptum. Lege *Imperatorem faciebant* pro *R. P. sanciebat.* Si præcedentia relegis, vere. *Acidal.* Sic Rhenan. Stephan. Livin. Acidalius legit admodum ingeniose *Imperatorem faciebant.* Sed inspiciamus libros. Pro *sanciebat* Cod. Livin. Bertin. Put. Mœrl. cum Schonhov. Cuspin. et edd. reliquis *sentiebat.* Litteras *R. P.* hic significare non *Romanus Populus*, sed *res publica*, censet Livineius; non sine veri specie, quem

adeo sequor. Sic in eodem argumento Pacatus c. xiv. § 1. 'Nam delicati illi, ac fluentes, et quales tulit sæpe res publica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum,' &c. Accedit Cod. Gnd. qui diserte *res puca* habet. *Jægerus*. *Sanciebat* est in Puteol. Rectius ex Cuspin. dedit *sentiebat* Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum. Adstipulatur quoque Guelf. Est enim 'sentire' in damnum suum experiri, quod pluribus probavit pater meus ad Plinii Paneg. xvi. § 5. Burman. ad Claudian. Rapt. Pros. iii. 60. ad Valer. Flacc. iv. 745. ad Virgil. Æn. iv. 542. plena locutio 'damnum sentire' est in L. 203. D. de R. I. Damnum autem illud in eo erat, sive quod ingentes illi principum sumtus ærarium imminuebant, sive quod illum splendorem luxuriemque secuti cives suas ipsi facultates perdebant; hinc de Juliani tempore Ammianus Marcell. xxii. 4. 'fatendum est, pleramque eorum (Palatinorum) partem vitiorum omnium seminarium effusius aluisse, ita ut Rempubl. inficerent cupiditatibus pravis, plusque exemplis, quam peccandi licentia læderent multos.' Adde Pacat. Paneg. xiv. § 4. 'Sancire' nullius hic est efficaciæ; quæ enim de sumtuariis legibus habet Rittershusius, sententiæ adversantur; illæ nimirum istam cœnarum magnitudinem coërcebant, quam itaque 'sanxisse' dici nequeunt, neque, admissa hac lectione, sequentia satis apte cohærent. Eadem utriusque verbi permutatio est apud Nazar. Paneg. ii. § 2. In *Res publica* Jægerum secutus sum, quod cum *Pop. Rom.* confundi dictum est ad Incertum Maximian. viii. § 7. *Arntz.*

Quæsitissimæ dapes] Mœrl. et Gnd. *conquisitissimæ*. Cicero Tusc. v. 21. 'Mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur.' Sed illud alterum æque probatum. Sallust. Histor. Fragm. lib. ii. ex Macrob. Saturn. iii. 13. p. 961. ed. Cort. 'Epulæ quæsitissumæ; neque per omnem modo provinciam, sed trans maria, ex Mauretania volucrum, et ferarum incognita antea plura genera.' De istiusmodi ciborum terra marique exquisitis deliciis vid. Gellium Noct. Attic. vii. 16. *Jæger.* *Quæsitissimæ* probatum esse non diffiteor, in id laudasse sufficit Wasseum ad Sallust. Fragm. p. 57. ed. Haverc. propter sequentia tamen magis placet codd. scriptura *conquisitissimæ*, id est, dapes omnibus ex locis, etiam ex aëre, et mari petitæ; saltem fortius est, quam *exquisitissimæ*, quod placuisse videtur Torrentio ad Horat. Od. i. 38. 3. *Arntz.*

Non gestu] Pacatus in Theodosium: 'Nam appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos invitæ quodammodo, reluctantique Naturæ pericula rapuissent.' *Livineius.* Cave, *gestu* mutes in *gustu*. *Gestus* est *die auftracht der schusseln*. Cæterum integra hac oratione Christianorum molliciem, et luxuriam perstringere videtur, quam ipse Julianus iis objicit. Vid. Misopog. pag. 353. et quam ipse Gregor. Nazianzenus suis exprobrat, Orat. iii. p. 62. Cf. Zosim. iii. 11. pag. 274. *Anonymus* in Strodmann. Europ. Nov. Erudit. part. vii. p. 585. *Gestu* habet Puteol. Rhenan. H. Stephan. et Rivin. ut etiam hæc permutata monet Keuchen. ad Sammonic. de Medic. 506. Recte jam *gustu* dedit Livineius, cod. Guelf. et Schonhov. suffragio probatum. Confirmat etiam Pacatus Paneg. xiv. § 2. hunc locum imitatus; quod enim hic dixit 'dapes non sapore, sed sumtu æstimantes,' apud Nostrum est, *dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur*. Quam vocabulo 'gestus' notionem tribuit Anonymus, vellem, veterum auctoritate probasset, qui

eodem constanter de corporis motu utuntur; de mensa autem 'fercula' dixerunt, ut Pacatus XIV. § 3. aut 'missus.' Conf. Savaron. ad Sidon. Apoll. Epist. II. 9. *Arntz.*

Miracula avium] Cf. ad Mamertin. Maximian. X. § 7. hoc expressit Pacatus Paneg. XIII. § 4. per 'peregrini aëris volucrem.' *Idem.*

Pisces] Hæc imitatus Pacat. Paneg. XIII. § 4. dixit 'remotorum littorum piscem.' *Idem.*

Poma] Idem Pacatus d. l. 'alieni temporis florem.' Cf. Schulting. ad Senecæ Controv. II. p. 191. *Idem.*

Æstivæ nives] Idem Pacatus: 'Parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis innatassent rosæ, nisi æstiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregissent.' In infami quidem L. Veri Imperatoris convivio coronas datas, lemniscis aureis interpositis, et alieni temporis floribus Capitolinus refert. Nigrinus quoque apud Lucianum reprehendere solitus *τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιπλαμένους ῥόδων, καὶ τὸ σπάνιον αὐτῶν καὶ παρὰ καιρὸν ἀγαπῶντας, τὸ δὲ ἐν καίρῳ, καὶ κατὰ φύσιν ὡς εὐτελὲς ὑπερηφανοῦντας. Qui media se hieme rosis implerent, rarum illud, et intempestivum in iis amantes, sui temporis et naturale superbe, ut vile, ac nihili, despicati.* Livin.

Hibernæ rosæ] Quam 'seram rosam' dixit Horatius Od. I. 38. 3. ubi commode Torrentius adfert Senecæ locum Epist. 33. 'Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiscunt rosam,... bruma lilium, florem vernum exprimunt?' Sidon. Apoll. Carm. II. 110. 'Hibernæ rubuere rosæ, spretoque rigore Lilia permixtis insultavere pruinis.' Hunc 'alieni temporis florem' dixit Pacatus Paneg. XIII. § 4. Adde Cortium ad Plinii Epist. I. 3. 1. Duker. ad Flor. II. 8. 9. *Arntzenius.*

§ 4 *Comparandæ sunt*] Bene est, nec controvertam. In Bertin. tamen exerte est *eparandæ*, in Vet. *epandæ*, quod tantundem est, ut observamus ad Plinii Paneg. XXX. § 3. sed nimirum *par.* fuerit in autographo. Animadversum autem mihi, semicirculum inversum librariis *con* vel *com* valere. *Livin.* In Gud. et Mœrl. legitur *ei parandæ*, quod non multum recedit a conjectura Livineii, *τὸ ei* post *laquearia*, et rursus post *ministrorum* interponentis. *Jæger.* Lectionem ex Mœrl. et Guelf. restitui, quam sequens *qui* postulat, et quo etiam tendunt Bertin. et Vet. Livineii. *Arntzenius.*

Tecta laquearia] Ita omnes. Nec male. Virgilius Æneid. I. 726. 'Dependent lychni laquearibus aureis:' et quæ notarunt Torrent. ad Horat. Od. II. 18. 2. Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. VI. p. 174. Prævalet tamen apud me Guelf. scriptura *tecta laqueata*, quam reddidi. Cicero in Verr. I. 51. 'vidit undique tectum pulcerrime laqueatum:' de Legib. II. 1. 'pavimenta marmorea, et laqueata tecta contemno,' ubi Scheffer. Illud 'laquearia' ex eo fluxit, quia non videbant, unde 'solido auro' penderet; hoc itaque ad 'tecta' referre voluerunt, ut intelligerentur laquearia, quæ auro essent tecta. Sed 'solido auro' est ex auro. Ita sæpe scriptores. Virgil. Æneid. v. 663. 'Et pictas abiete puppes.' Prudentius Perist. v. 74. 'Hic sumtuosa splendido Delubra crescunt marmore.' Cf. Cannegiet. Rescript. Boxhorn. de Caton. cap. 30. De Rooy Spicil. Crit. p. 140. et quæ dixi ad Arator. I. 673. Ad hunc locum pertinet Horatius Od. II. 18. 1. 'Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar:' ubi Torrentius Plinium adscripsit, Hist. Nat. XXXIII. 3. 'Laquearia, quæ nunc et in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio.' Horatii locum bis adhibuit Isidorus Orig. XIV. 8. et XIX.

12. utroque cod. Groning. habet 'renitet,' sed contra metri legem. *Idem.*

Qui majorem] Forte *ei qui.* Livin. Non necesse, cum ex codd. *ei* ante *parandæ* inseruerim. Morem, quo cubaverit Julianus, ita describit Ammian. Marcell. XVI. 5. 'Ænea concha supposita brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam, ut cum nervorum vigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum:' ubi plura Vales. *Arntz.*

Cælo tantum] Sidonius Apoll. Carm. v. 531. 'Aprica Vel sub pelle jacet.' Joan. Sarisber. Policr. VI. 2. 'Interdum sub divo, interdum sub papilionibus commorantur, tunc demum ad usum erudiantur armorum.' *Idem.*

Ministrorum] Cf. de hac voce infra hoc cap. in fin. Coquos, similesque intelligit. Ita enim de Juliano Ammianus Marcell. XXII. 4. 'Omnes hujusmodi cum coquis, similibusque aliis eadem accipere bene consuetos, ut parum sibi necessarios, data, quo velint, eundi potestate, projecit.' Joann. Saresber. Policr. VIII. 21. de Juliano: 'Palatio expulit . . . coquos, quia, more philosophi, cibis simplicibus utebatur.' *Idem.*

Cui tam] Forte *ei cui.* Livin. Non necesse, postquam supra ante *parandæ* ex codd. *ei* sit insertum. *Arntz.*

Statarium prandium] Est, quod milites stantes, non decumbentes more veterum, sumerent. Ammianus Marcell. de eodem Juliano: 'Per varios autem procinctus, stans interdum more militiæ cibum brevem vilemque sumere visebatur.' Liv. l. XXXV. 'Citatosque singulos jurejurando adegit, nisi quibus morbus causa erit, non aliter quam stantes cibum potumque, quoad stipendia facerent, capturos esse.' Marcus Florus, sive Posthumius junior Decl. III. 'Cum alii excubent armati, alii claustra portarum tueantur, alii vallum fossasque scutis innixi cingant, cibum ipsum stantes capiant, tribunus inter scorta volutabitur.' Frequens mentio apud Ammianum Marcellinum de 'statariis pugnis;' ego aliquando mediocres interpretabar, ut Ennius 'statariam' mediocrem formam. Malo 'statarias pugnas' intelligi, a quibus equitatus abesset. Sic enim 'acies stataria' accipitur. Vide Turnebum, quid sint 'statariæ comœdiæ,' quid 'statarii actores.' *Durantius,* Variar. II. 19. Quod stando capitur, adeoque breve est, ac tenue. *Cellar.* Plura Vales. ad Ammian. XXV. 4. in universum enim *statarium* est, quod stat, aut stando peragitur: ita histriones, qui loco non moventur, 'statariam agere' dicuntur apud Terent. Heaut. Prol. 36. Pacatus Paneg. XXXI. § 1. 'mensularum servilium statarius lixa,' de quo Gronov. Observ. IV. 7. qualem *statarium* ad mensam ministrum exhibet depictum marmor apud Cannegieter. de Mutat. Nom. Ration. p. 284. 'stataria retia,' aliaque contulit Savaro ad Sidon. Apoll. Epist. II. 2. *Arntz.*

Castrensi cibo] 'Cibi castrenses' sunt laridum, caseus, posca. Ælius Spartianus in Hadriano: 'Cibis,' inquit, 'etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo, posca, exemplo Scipionis Æmiliani, et adoptatoris sui Trajani.' Sic enim lego, non 'auctoris;' forte hæc verba in textum irrepsere, ut pleraque alia. Addo ex jurisconsultorum libris salgama, et buccellatum. *Durantius,* Variar. II. 19. Militari, adeoque vili. De Juliano Ammian. Marcellin. XXV. 4. 'Hoc temperantiæ genus crescebat in majus, juvante parcimonia ciborum, et somni, quibus domi, forisque tenacius utebatur. Namque in pace ejus mensarum tenuitas erat recte noscentibus admiranda, velut ad pallium mox reversuri. Per varios autem provinctus, stans interdum more militari, cibum

brevem vilemque sumere visebatur.' Similiter de Pescennio Nigro Spartian. c. 11. 'Jam in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumsit ante papilionem: nec sibi umquam vel contra solem, vel contra imbres quæsivit tecti suffragium, (forte 'suffugium,') si miles non habuit.' Cf. Interprett. ad Pacat. cap. XIII. § 3. *Jægerus.* Nostrum imitatus videtur Pacatus Paneg. XIII. § 3. 'cum videret Imperatorem ... parce contenteque viventem, modico et castrensi cibo jejunia longa solantem.' Julianum, philosophi more, cibis fuisse simplicibus usum testatur Saresber. Policr. VIII. 21. de Augusto Sueton. cap. 76. quem locum ex eodem Saresberiensi emendavi in Miscell. cap. 6. adde Schwarzium ad Plinii Paneg. XX. § 3. similia ex historicis exempla contulit Joann. Saresber. v. 7. 'parvum victum, et rusticum' in tironibus commendat Vegetius de R. M. I. 3. cujus verbis usus est idem Saresber. VI. 2. Felix Jægeri in Spartiano conjectura ante in mentem quoque venerat viro clariss. in Observ. Miscell. vol. IV. p. 223. ut apud Ammian. Marcell. XVII. 13. Pro 'ad suffragia locorum palustrium' egregie 'suffragia' restituit Lindenbrogius, quam opem quoque fero Joann. Saresber. Policr. I. 4. 'sociis quæsivit suffragium vitæ;' lege 'suffugium,' et confer Lips. ad Senec. de Ira I. 11. Gruter. ad Tacit. Annal. XIV. 7. *Arntzenius.*

Ministro obvio] Recte *obvio*. Nam delicatis sordebat vulgus; electum quid, et rarum requirebant. Itaque nihil heic mutandum, ut pluribus ostendo in Suspicionum libellis, producto non uno Senecæ loco. Nimirum respicit orator ad illa proxime præcedentia: 'Neque enim comparandæ sunt picturatæ marmorum crustæ, et solido auro tecta laquearia, qui majorem anni partem in nuda humo cubet, et cælo tegatur: neque turba institutorum ad delitias ministrorum, cui tam pauca sunt administranda;' *obviusque* opponitur instituto ad delitias. *Gruter.* Credo, non hic locum habet vox *ministro*. Quid si legas *canistro* vel *catino?* Vasculi alicujus cibarii nomen fuit, quod *obvium* vult fuisse, ut et poculum, de quo statim addit. *Acidal.* Nescio undenam in mentem venerit Acidalio legendi potius *canistro*, seu *catino*. Patarolus. Recte vulgatum tuetur Gruterus. Est igitur 'obvius minister' qualiscumque, qui sine cibi discrimine occurreret, quam vocem hoc loco satis tuetur frequens illius, ut etiam in 'ministrare' et 'ministeria' de hujusmodi hominibus usus. Ausonius Grat. Act. XXXIV. § 2. 'præbes ministros, instruis cibos.' Adde patrem meum ad Plinii Paneg. XLIX. § 8. *Arntz.*

Poculo fortuito] Horatius: 'Nec fortuitum spernere cespitem Leges sinebant.' Neque aliter 'fortuito cœnare' Suetonius dixit, et 'per fortuita animalia vehi' Lampridius Elagabalo. *Livin.* 'Poculum' hic non proprie cum Acidalio intelligo; sed μετωνυμικῶς, pro latice, qui poculo continetur, ac bibitur. Fortuitum idem esse, ac τὸ τυχὸν, *quod fors offert*, probat Livineius, auctoritate Horatii, Suetonii, et Lampridii. Eadem profert, una cum hoc nostro loco, Torrentius ad l. c. Horat. Carmin. II. 15. 17. Sic et Ammian. Marcellin. XXV. 4. de Juliano: 'Munificis militis vili, et fortuito cibo contentus.' *Jæger.* 'Poculum' pro eo, quod continetur, est quoque apud Virgilium Georg. II. 128. 'Pocula si quando sævæ infecere novercæ.' Æneid. III. 354. 'Libabant pocula Baccho.' Et 'noxium poculum,' de quo Pricæus ad Apul. Met. II. p. 126. adde Salmas. ad Lamprid. p. 185. id 'fortuitum' dixit, ut Tacit. Hist. II. 5. 'cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans:' ubi Wopkensius in Com-

ment. penes me Ms. addidit locum Ambrosii Hexæm. v. 14. 'aliæ diverso et fortuito cibo;' ita enim dicitur, in quod fortuito incidimus, ut 'fortuitum auxilium,' Valer. Maxim. VIII. 1. abs. 6. 'dimicatio,' Hirtius B. Alexandr. 48. 1. ubi Oudend. 'lutum,' Petron. Sat. cap. 135. *Arntz.*

CAP. XII. § 1 *Parcus sibimet*] Ex Puteolana *sibimet* ediderunt, donec Paull. Stephanus ex Cuspin. vulgatam revocaverit, ab omnibus, præter Rivinum, retentam; in excerptis cod. Puteanei, quæ habeo, conjiciebat Vossius, *ipsemet*. Mutato ordine Livineius, *parcus severe*. Arntz.

Agitemus] Scil. vitam vivamus. Sallust. Jugurth. XVIII. 9. 'Medis autem, ac Armenis accessere Libyes; nam hi propius mare Africum agitabant.' Idem plene Catil. II. 1. 'Et jam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant.' Pari modo Græci, v. c. Ælian. V. H. III. 18. ἐν εἰρήνῃ διάγειν, scil. τὸν βίον. *Jæger.* Pacatus Paneg. XXXII. § 2. 'quo foris securus agitares.' Sallustius Fragm. Hist. I. 6. 'agitandi inops:' et III. 4. 'et nunc malis fructibus ipsa vix agitat.' Cf. Taubm. ad Plaut. Epid. II. 2. 59. plena locutio 'ævum, ætatem agere' est apud alios. Virgilius Æneid. x. 235. V. D. ad Plin. Paneg. XLIV. § 5. Mencken. Obs. L. L. p. 40. De Græco διάγειν Bos Ellips. p. 30. Leisner. *Arntz.*

Id usu] Mœrl. *illud*, quod probo, et recipio, ob rationem in superioribus jam redditam. *Jæger.* *Usu venire* est evenire, contingere, Nepos Alcib. IV. 5. 'Id quod usu venerat.' Ages. VIII. 2. 'Quod ei usu venit.' Petron. Sat. cap. 61. 'quod tibi usu venit.' Cf. Salmas. ad Lamprid. p. 229. Muncker. ad Fulgent. Mythol. p. 615. V. D. ad Livium IX. 12. 1. alii etiam 'usus venit.' Terentius Heaut. III. 2. 45. 'Et nec ego te, si usus veniat, magnifice, Chreme, Tractare possim.' Cato de R. R. 4. in fin. 'si quid usus venerit:' ubi tamen in codd. etiam *usu*: parum differt 'venire in consuetudinem,' de quo V. D. ad Plinii Paneg. XC. § 2. *Arntz.*

Difficiles] Nepos Attic. v. 1. 'divitem, difficillima natura.' Herald. ad Arnob. adv. Gent. I. pag. 16. not. patern. ad Pacat. Paneg. XIX. § 1. *Idem.*

Aliis tristiores] Acerbiores, iniquiores. Sic Tullius de Finib. IV. 28. Stoicorum 'tristitiam, atque asperitatem' dixit. Nero apud Sueton. c. 23. judicibus certaminum musicorum 'tristitiam ac malignitatem' inesse suspicatur. *Jæger.* Tacitus Annal. IV. 31. 'tristiora malle:' et 71. 'tristibus dictis atrocia facta conjungere;' V. 4. 'nihil triste eo die patratum;' Histor. I. 14. 'deterius interpretantibus tristior habebatur:' et cap. 38. 'quem tristitia et avaritia sui simillimum judicabat.' Ammian. XXV. 5. 'Præteritorum recordatio erat acerba, et exspectatio tristior inpendentium.' Sedulius v. 83. 'Continuo ad tristes Caiphæ deducitur ædes.' Drakenb. ad Silium II. 2. Cort. ad Porc. Latron. Declam. 7. ad Plinium Epist. I. 10. 7. 'Tristem vitam' hoc sensu egregia conjectura Ciceroni de Legib. II. 17. reddidit elegantissimus Koehler. Interpr. Jur. II. 2. adde not. patern. ad Pacat. Paneg. VI. § 2. et quæ dixi ad Arator. II. 110. *Arntz.*

Et privatas] Aut *et* delendum, aut ipsum *privatas* non sincerum. *Acidal.* Pro *et*, quod edd. antiquiores præferunt, et cod. Mœrlianus, ex cod. Livin. et Bertin. *etiam* a Grutero inde omnes exhibent; recte, puto; nam *et* compendium τῆς *etiam* est. Sensus mihi planus videtur, et sincerus, scil. Homines, non modo Principes, sed etiam privati, a voluptatibus alieni, difficiles et morosi mæstitia, sollicitudine, tædio, molestia domos ac familias suas adficiunt. *Jægerus.* Guelf. quoque *et*, quod post Gruterum reti-

suit Rivinus. *Arntz.*

§ 2 *At sanctissimus*] De 'sanctissimi' titulo cf. not. patern. ad Plinii Paneg. I. § 3. *Idem.*

Imperator studet] Hoc 'inpensius laborare' dixit Quinctil. Decl. IX. 7. 'inpensius studio prodesse,' Pacatus Paneg. XV. § 1. et 'majori diligentia studere,' Palladius de R. R. I. 20. 2. *Idem.*

Communibus] *Comibus* Bertin. *coibus* Vet. Erratum a compendiis. Nam *coibus* et *communibus* est, et *comibus*, ut in Bertin. est explicate. Infra: 'Tum aliud quoddam hominum genus est in amicitia Principis nostri, rude, ut urbanis istis videtur, parum come, subrusticum.' *Livin.* Introducunt alii *comibus*, non necessario. Nam *communis* opponitur ei, qui paucis se largitur; ut non uno exemplo firmavimus in Suspicionibus. *Gruter.* Lege *comibus def.* Acidal. Livineio placet *comibus*, quod non æque probo. *Patarol.* 'Communes' Latinis dici comes, civiles, ad Ciceron. Epist. ad Divers. IV. 9. p. 208. docet etiam Grævius; ibi simili ratione pro 'communem' non nulli 'comem' probabant. Sic quoque in Eutrop. VIII. 2. 15. et Nepot. Milt. VIII. 4. *Jæger.* Vulgata est illa 'comis' et 'communis' permutatio, de qua Drakenb. ad Livium XXV. 12. 9. Oudend. ad Sueton. Claud. cap. 21. Hic tamen prævalet *communibus;* quamvis enim hanc vocem generaliter per beneficum explicet Servius ad Virgil. Æneid. VIII. 275. idque tam comi, quam communi æque conveniat, tamen distinguendum censent nonnulli, qui 'comem' dicunt erga quosdam, non omnes, facilem et adfabilem, 'communem' vero erga quosvis. Eutropius VIII. 5. 'nimis circa omnes communis esset:' ubi Verheyk. de quo loco dixi in Miscell. p. 59. Victor Epit. XVIII. 5. 'Communem se adfatu, convivio, incessu præbebat.' Male illic in quibusdam 'comem.' Cf. Savaro ad Sidonii Apoll. Concion. p. 452. Bosii Index in Nepot. v. 'Communis,' Heinsius ad Ovid. Trist. IV. 4. 13. V. D. ad Sueton. Claud. cap. 21. Drakenb. ad Livium IV. 10. 8. Bunemann. ad Lactant. Instit. V. 22. 9. *Arntz.*

§ 3 *Otium præstat*] Hunc locum vir clariss. in Observ. Misc. Nov. tom. I. p. 144. cum illo Ovidii contulit, Trist. II. 233. 'Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas.' *Idem.*

Curarum avarus] Eas sibi soli servans. *Jæger.* Horatius Art. Poët. 324. 'Præter laudem nullius avaris.' Cassiodor. Var. I. 4. 'Avarus pecuniæ ambitum dissuadet.' Plura Heusinger ad Vechner. Hellenol. lib. I. part. II. c. 18. p. 280. *Arntz.*

Laboriosissima] Mœrl. *laboriosissimus negotiorum*, satis speciose. *Jæger.* Nihil mutandum; ita enim solet Noster; supr. § 1. 'laborum asperrima sibi sumens:' infr. XIII. in fin. 'laborum aspera non videbant.' Cf. supr. X. § 1. et Weitz. ad Valer. Flacc. I. 730. *Arntz.*

CAP. XIII. § 1 *Solitarium*] Vox illi propria, qui solus agit, ab aliorum consortio remotus. Cicero de Offic. II. 11. 'Solitario homini, atque in agro vitam agenti.' De Amicit. c. 23. 'natura solitarium nihil amat.' Varro de R. R. III. 16. 4. 'Apes non sunt solitaria natura:' et 'solitaria vita' apud Quinctil. I. O. I. 2. adde Stephan. ad Saxon. Grammat. Hist. Dan. II. p. 63. Hinc *solitarium imperium* habet, qui in eo, sine aliorum consortio, solus est, cui opponitur 'commune,' de quo Burmann. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 224. et 'socii regni' et 'consortes' apud Lucan. Phars. I. 92. de quo loco vid. Kœhler. Interpret. Jur. II. 9. hoc modo 'solitariam cœnam,' quam quis remotis aliis capit, dixit Plinius Paneg. XXXIX. § 6. 'solitarium hominem,' Apuleius Metam. III. p. 78. 'solitarium certamen,' Dict. Cretens. de Bell. Trojan. III. 8. eoque sensu

Christianis objecisse Romanos puto, quod Deum 'solitarium' colerent, qui solus omnia gubernabat, cum ipsi Deorum concilium Jovi tribuerent, apud Minuc. Fel. Octav. 10. Lactant. Instit. I. 7. 4. ubi tamen magis pro deserto accipit Buneman. *Arntzenius.*

Recordantibus] Mihi suspecta sunt *recordantibus*, *videlicet*, et *in propria furentes*. Jæger. Non video, quare *recordantibus* viro acutissimo suspectum videatur, nisi forte propter præcedens *nota*. Mihi hoc verbum studiose videtur adhibitum in rebus, et exemplis, ex prisca Romanorum historia petitis. Ita Cicero de Provinc. Consul. cap. 18. 'Ultimi temporis recordatione, et proximi memoria:' de Orator. I. 2. 'Repetenda est veteris cujusdam memoriæ non sane satis explicata recordatio.' *Arntz.*

Nomina eorum] Guelf. *nomina rerum*, sicut in eodem cod. hæc permutata sunt apud Eumen. pro Instaur. Schol. XVI. § 1. forte scripsit *reorum*, quæ confusa docet Drakenb. ad Livium XXI. 10. 6. quo modo in L. 1. pr. D. de Pact. pro 'inter eos' emendat 'inter reos' Byuckersh. Observ. Jur. VIII. 9. quamvis vulgata illic lectio servanda sit ex iis, quæ habet Marckart. Interpr. II. 6. Hic potius a conjecturis abstinendum. *Idem.*

Videlicet] Proxime Jægero hæc fuit vox suspecta, ex prava, ut arbitror, interpunctione. In antiquioribus nempe edd. legitur, *nomina eorum videlicet, qui:* in quibusdam uno tenore sine distinctione est, *recordantibus nomina eorum videlicet qui*. Dedit vero Patarolus, Cellarius, et Jægerus, *nomina eorum, videlicet qui*. Solus Henr. Stephanus, *recordantibus nomina, eorum videlicet qui*. Ita recte, si modo post *videlicet* etiam interpungas. Neque hic aliquid est suspectum. Cicero pro Cluent. cap. 54. 'Qui eorum: quorum? videlicet, qui supra scripti sunt.' Finib. v. 24. 'hac videlicet ratione, quod.' Invent. II. 4. 'Cum illum alterum, videlicet, qui nummos haberet.' Similem usum in 'scilicet' notavi in Miscell. p. 168. præsertim autem *videlicet* satis præsidii habet, si huic particulæ cum Laur. Valla amaritudinem quamdam irrisu permixtam tribuas, de quo Polenus ad Frontin. de Aquæduct. Art. 17. *Idem.*

Non propria ferentes] *In propria furentes;* corruptus locus. Forte legendum *improbe fur.* Markland, Epist. Crit. ad F. Hare p. 17. Alii vulgatam lectionem *in propria furentes* longe graviorem, et correctionem Marklandi frigidiusculam esse existimabunt. Notum enim est, quod ii, qui cum civibus bella gesserunt, sæpissime 'in sua,' 'in viscera sua,' 'in propria furere' dicantur, ut patet ex Justino III. 2. Floro II. 19. Lucano I. 3. atque aliis. *Acta Lipsiensia*, a. 1726. p. 469. *In propria furentes* magno consensu scripti, et excusi meliores. *Jæger.* Commemorat Bibliotheca Critica conjecturam Jer. Marklandi Epist. Crit. p. 17. sed eam verisimilem esse recte negat. *Idem.* Bibliothecæ Criticæ locus est vol. II. part. I. p. 33. Visa quidem hæc est suspecta Jægero, ad princ. hujus cap. sed inmerito. Lucanus I. 155. 'In sua regna furit.' Justinus XIII. 6. 17. 'In sua viscera armatur, ferrumque ab hostili bello in civilem sanguinem vertit, exemplo furentium.' Mamertin. Genethl. XVII. 1. 'Furit in viscera sua gens effrena Maurorum.' A quo nihil distat Hegesippus v. 2. 'furentibus tuis inter se visceribus,' quamvis in aliis sit 'ferventibus.' *In propria* autem notat in patriam; 'sedes proprias' alii dixerunt, de quibus Heinsius ad Claudian. Cons. Honor. VI. 23. et ipse ad Sedul. I. 329. adde Muncker. ad Lactant. Placid. Narrat. Fab. 20. Marklandi conjecturam ex Lucano I. 3. in margine edit. suæ damnaverat Cortius, quare eorum videtur auctor, quæ ex Act. Lipsiens. dedi. *Arntz.*

Adfectati regni] 'Adfectare' est pronum animum ad faciendum habere, quo sensu 'regnum adfectare' similiter est apud Curtium IV. 6. 4. Aurel. Victor. Inlustr. XV. 2. et XVII. 5. 'adfectionem tyrannidis' explicuit Salmas. ad Vulcat. Gallican. p. 109. Cf. Pricæus ad Apul. Met. I. p. 6. Ciofan. ad Ovidium Metam. I. 152. Schwarz. ad Plinii Paneg. XX. § 2. Cort. ad Sallust. Jugurth. LXVI. 1. Wasse Ind. v. 'Adfectabant;' Markland. Epist. Critic. p. 17. et supra ad Mamertin. Genethl. VII. § 7. *Idem.*

§ 2. *Saxo præcipites*] *Rupe Tarpeia præceps dati* Vet. Mira lectio *præceps dati*, et *in præceps* emendaram. Sed ecce et Sext. Victor: 'Senatus,' inquit, 'satellites, propinquosque per Scalas Gemonias præceps agendos decrevit.' *Livin.* Respicit ad exemplum M. Manlii Capitolini, in quo hæc omnia convenerunt. Lege Livium VI. 20. *Cellar.* M. Manlium innuit, quem populus Rom. 'altius se, et incivilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce dejecit,' ut ait Florus l. I. c. ult. *Patarol.* *Rupe Tarpeia* non male Livin. Cod. 'De saxo Tarpeio' est in hac historia apud Livium VI. 20. 12. sed vulgatum, quod etiam Guelf. habet, præfero; hæc enim rupes per excellentiam 'Saxum' dicitur. Cicero ad Attic. XIV. 15. 'de Saxo, in crucem, columnam tollere.' Senec. Controv. I. 3. 'Incesta de Saxo dejiciatur.' L. 25. § 1. D. de Pœn. 'ut de Saxo præcipitetur.' Fuit hæc ordinaria eorum pœna, qui regnum adfectarant, aut remp. prodiderant, de qua Faber Semestr. I. 18. Gronov. ad Senec. de Ira I. p. 31. Rycquius de Capitol. c. 4. V. D. ad Tacit. Annal. II. 32. et ipse pluribus in Specim. Observ. c. 1. Porro in omnibus est *præcipites;* sed ex Vet. Livineii et Guelf. dedi *præceps;* ita etiam citavit Barthius ad Claudian. Rapt. Pros. Præfat. 9. Tacitus Annal. VI. 17. 'dignitatem, ac famam præceps dabat:' ubi male nonnulli 'in præceps.' Aurel. Vict. Cæs. V. 12. 'sed eo præceps dati.' Dictys Cretens. B. Trojan. IV. 19. 'in flumen præceps dati.' Alii dixerunt 'præceps agi.' Victor Cæs. XII. 3. Cf. Wopkens. Observ. Miscell. Nov. tom. II. p. 74. et ad Tacit. Annal. VI. 17. in Act. Societ. Trajectin. tom. II. pag. 119. in his *præceps* ponitur pro præcipitio, de quo V. D. ad Silium Ital. VII. 282. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. I. p. 196. Plena locutione alii utuntur, ut 'in præceps dare,' Prudent. Perist. VII. 22. 'in præceps ferri,' Lactant. Instit. I. 11. 7. Joann. Saresb. I. 1. et III. 6. *Arntzenius.*

Bona publicata] Quæ pœna, liberæ reip. tempore, sola eorum erat, qui regnum adfectassent. Livius II. 8. 2. Hinc Cicero pro Dom. 17. 'Tam moderata judicia populi sint a majoribus constituta, ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur.' Cæsar ad parricidii crimen extendit, dimidiam vero in aliis criminibus publicari voluit. Sueton. Cæs. cap. 42. A Tiberii vero tempore in quibuscumque delictis omnium bonorum publicatio invaluisse videtur, propter Dion. Cass. LVII. p. 618. *Idem.*

Domus erutæ] Alludit, puto, ad Val. Poplicolam, qui in suspicionem affectati regni venit, quod domum in arcis modum haberet in summa Velia; ideo 'eminentes ædes suas in plana submisit.' Florus lib. I. cap. 9. Juretus legit *dirutæ*, sed melior sane vulgata lectio. *Patarol.* 'Eruere' pro diruere alii quoque posuerunt. Seneca Phœniss. Act. IV. vs. 555. sqq. 'Ne, precor, ferro erue Patriam, ac penates; neve, quas regere expetis, Everte Thebas.' Tacit. Histor. IV. 72. 1. 'Avido milite eruendæ civitatis.' *Jægerus.* 'Dirutam domum' in Manlii historia habet Aurel. Victor Inlustr. XXIV. 7. *Erutæ*

tamen pluribus locis, et hoc quoque Mamertini, tuetur ipse Juretus ad Symmach. Epist. VIII. 109. quam lectionem prætulerim, quia exprimit τὴν οἰκίαν κατασκάψαντες, quo de Manlii domo, ad quem potuit respicere, utitur Plutarch. Camill. p. 148. et fortior est, quam *dirutæ*; ejus enim loco ædem, atque officinam Monetæ fecerunt, ideoque magis fundamenta 'eruisse,' quam domum tantum 'diruisse' videntur; quamvis 'eruere' pro diruere quoque sit apud Tacitum Annal. IV. 72. 'avido milite eruendæ civitatis,' id est, funditus delendæ; ubi Ern. Ammian. Marcell. XVI. 12. 'civitates erutas vastavit.' XIX. 1. 'eruendæ urbis adparatu.' Dict. Cretens. Bell. Trojan. I. 15. 'regnum, atque omne Ilium eruissent.' II. 22. 'singuli ad eruendam civitatem vestram satis idonei sunt.' cap. 25. 'erutis amicissimis Trojæ civitatibus.' Inde per dejicere interpretatur Serv. ad Virgil. Æn. II. 628. Hanc quoque adfectati fuisse regni pœnam, addita lege, ne umquam ædes instaurarentur, ostendit Forner. Rer. Quotid. II. 17. *Arntz.*

Interdicta posteris nomina] Prænomina certa. Livius VI. de Manlio Capitolino: 'Adjectæ mortuo notæ sunt, publica una, quod cum domus ejus fuisset, ubi nunc ædes, atque officina Monetæ est, latum ad populum est, ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret; gentilitia altera, quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur.' *Livin.* Non intercedo, ut de prænomine capiatur. Sed quid si in universum cogitaverit de more, quo sequenti tempore istiusmodi damnatorum nomina ex Fastis, et monumentis publicis eraderentur? ut apud posteritatem eorum exstingueretur memoria, quo sensu 'posteris interdicta' dici possent. De utroque more Forner. Rer. Quotid. II. 17. et 18. Erasorum ex monumentis publicis nominum exempla dedit Falster. Amœn. Philol. p. 135. Hoc dicitur memoriam damnare in L. VIII. pr. C. ad Leg. Jul. Majest. quam descripsit Joan. Saresber. VI. 25. *Interdicti posteris* in utraque habet Rivinus. *Arntz.*

Cupidinem] De 'cæca cupidine' vid. Markland. ad Statii Silv. II. 1. 214. *Idem.*

In ferrum ruerunt] Pacatus Paneg. XXX. § 4. 'Ut ruere in ferrum, et obviam morti venire:' ubi plura pater meus. Virgilius Æneid. XI. 886. 'Inque arma ruentum:' apud Lucan. Phars. I. 68. 'Quid in arma furentem Inpulerit populum:' emendabat 'ruentem' Corn. Val. Vonck. Obs. Miscell. p. 128. sed 'in arma' construi potest cum 'inpulerit,' quamvis ceteroquin facilis foret emendatio, cum in margine edit. suæ se in Ms. apud Lucan. I. 254. invenisse testetur Vonckius 'Cimbrum furentem,' non 'ruentem;' apud Saxon. Grammat. Hist. Danic. II. p. 35. legendum puto, 'tam præceps in bella ruit,' non 'fuit.' *Idem.*

§ 3 *Paulisper vitæ*] Hoc eleganter 'precariæ vitæ reddere' dixit Pacatus Paneg. XX. § 5. *Idem.*

Nepotiano] Ambo imperium invaserunt. Flavius Popillius Nepotianus, (Sext. Victori est Potentianus, falso, et errore, ut opinor) 'materna stirpe Flavio' (id est, Constantino, ut alias semper Victori positum; nam matrem Eutropiam habebat, Divi Constantii, patris Constantini, filiam) 'propinquus,' (verba sunt ejusdem Victoris) 'cæso urbi præfecto, armataque gladiatorum manu.' *Livin.* Uterque invasor imperii: ille Constantini sorore genitus; hic magister militum, Francus genere. Vide Eutrop. X. 6. et Aurelium Victorem c. 63. 64. ille a Magnentio oppressus, hic a Constantio Augusto. *Cellarius.* Nepotianus, Constantini M. ex Eutropia sorore nepos, occiso Constan-

tio, Romæ se dixit Augustum; at post dies XXVIII. obtruncatus est ab Heraclida, Magnentii tyranni assecla. Testes Victor, Eutrop. lib. X. Orosius VII. 29. *Patarol.*

Silvane] De Silvano, et ejus morte vide Ammian. Marcell. lib. XV. *Puteam.* Flavius Silvanus, in Gallia ortus barbaris parentibus, sed ordine militiæ, et, quod olim a Magnentio transfugerat ad Constantium, pedestri magisterio donatus. Uterque intra octavum et vicesimum diem oppressus est, ille a Magnentianis, hic Agrippinæ a Constantianis. *Livin.* Bonicio natus, Francus genere, a Constantio contra Germanos missus, Coloniæ tyrannidem arripuit; mense autem imperii primo a suis militibus occisus est. Auctores cit. et Ammian. Marcell. XV. 5. *Patarol.* Cf. Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 304. et 305. In Schonbov. excerptis notatur *atque Silvane,* quia in Rhenan. est *Silvanæ.* Arntz.

Ponentesque mortes] *Præsentes*, instantes. Justin. XIII. 1. ' Exstincto, in ipso ætatis ac victoriarum flore, Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Sed nec devictæ gentes fidem nuntio habuerunt, quod, ut invictum regem, ita immortalem esse crediderant; recordantes, quoties præsenti morte ereptus esset.' Livineius in textu habet *ponentesque*, errore compendio scripturæ orto. *Jæger.* Curtius IX. 1. 12. ' morsum præsens mors sequebatur.' Valer. Flacc. VII. 458. ' Aut tua præsenti virtus educere leto.' Plurale ' mortes ' est quoque apud Incert. Constantin. XXIII. fin. ' Seseque letalibus vulneribus, et mortibus offerunt.' Pacatus Paneg. XXIX. § 1. ' de virorum mortibus loquor:' et ' mortes receptas,' ibid. XXXVI. § 2. adde ad Arator. I. 303. *Arntz.*

Et cum] Ita omnes. Guelf. *ut cum*, quod in textum admisi, tum propter repetitionem, tum quia in sequentibus *ut* reticetur, quare minus apta videtur copula. Plinius Paneg. LXXXVIII. § 1. ' Plerique Principes, cum essent civium domini:' ubi Schwarz. *Arntz.*

Ultro omnibus] Arbitror verum, *et* (*ultra*) *omn., &c.* Lege quæ notamus ad Plin. Paneg. VI. § 5. *Livin.* Sed vide ibi Schwarz. *Jæger.* Emendatione non opus esse, docent notata ad Eumen. Grat. Act. IX. § 4. *Arntz.*

Gratificemini] Nihil gratiæ detis, in nullius gratiam a norma justitiæ, et officii recedatis. Sallustius Jugurth. III. § 4. ' Nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiæ paucorum decus, atque libertatem suam gratificari.' Tacit. Annal. IV. 19. 1. ' Varro consul, qui .... odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur.' Simili modo, et significatu etiam Græci utuntur τῷ χαρίζεσθαι. Ælian. V. H. XIV. 8. Δύο εἰκόνας εἰργάσατο Πολύκλειτος κατὰ τὸ αὐτὸ, τὴν μὲν, τοῖς ὄχλοις χαριζόμενος, τὴν δὲ, κατὰ τὸν νόμον τῆς τέχνης. Act. Apostol. c. XXV. vs. 16. Οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν. *Jæger.* Wasse, et Cortius ad Sallust. Jugurth. III. § 4. et de χαρίζεσθαι Krebsius Observ. in N. T. ex Josepho p. 172. *Arntz.*

Sæviatis] Male Guelf. *serviatis.* Idem.

Inconcessis sed legitimis] Vet. et Vatican. delet *in.* Forte recte, si statim pro *sed* legatur *et.* Puteanus. Legendum *concessis.* Similis locus in Panegyr. Maximian. et Constantino: ' Ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus, in hoc sacrum pectus admitteres.' *Idem.* Scribo, *sit lectulus etiam sine concessis, et legitimis voluptatibus, &c.* Talis enim fuerit necesse est, ut comparationem lectuli Vestalis meruerit, nisi forte scripserat Mamertinus, quod tamen longius a libris recedit, *sit lectulus*

non tantum sine inconcessis, sed etiam legitimis voluptatibus, Vestalium thoris purior. Modius, Novant. Lection. Epist. 25. *Concessis* Vet. Bertin. Forte *et legitimis.* Livin. Non male Bongarsius, *sine concessis et legitimis;* et vero illud *concessis* visitur in duobus Mss. conjecitque etiam *et* Livineius: nam alias editi *sine inconcessis.* Gruter. Lege, *etiam sine concessis et legitimis vol.* Acidal. *Sine concessis et* emendavi auctoritate Francisci Modii Novant. Lect. Epist. 25. cum legeretur antea, *sine inconcessis, sed legitimis.* Patarol. Ita Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. In Cod. Mœrl. legitur *concessis*, et sic exhibent Francof. et utraque Parisin. accedente auctoritate Bongarsii, Puteani, Acidalii. Pro *sed* legendum esse *et* monuerunt, et probaverunt Puteanus, Livineius, Acidalius, Gruterus; eamque emendationem in contextum recepit Cellarius, itemque Patarol. Particulas *sed*, atque *et* sæpe numero permutari et in his Panegyricis vidimus, et ad Cornel. Nep. docet Heusingerus. 'Legitimæ et concessæ voluptates' sunt hic stricte voluptates conjugiales. Helena, Juliani conjux, eo tempore, quo hic Panegyricus dicebatur, jam erat defuncta. Vid. Ammian. Marcellin. XXI. I. Sententia verborum itaque hæc est: Sitis castissimi, et continentissimi, severe cohibeatis libidinem, etiamsi uxoribus careatis. *Jæger.* Modii conjecturam *concessis et* probat Dempster. ad Rosin. Antiq. II. 12. Etiam Perizonius ad Valer. Max. II. 1. 4. hunc locum ita citat, *lectulus et sine concessis et legitimis voluptatibus.* Ex Puteol. editum est *inconcessis*, quod ex codd. primus in *concessis* mutavit Gruterus, et recte probarunt sequentes præter Rivinum in pr. in sec. enim Grutero adhæsit. Deinde Modii conjecturam *et* primus tacite in textum admisit Cellarius, quem secuti Patarolus et Jægerus; hæc tamen minus est certa, renitentibus codd., etiam Guelf. ex quibus *sed* revocandum duxi. 'Legitimas et concessas voluptates' esse voluptates conjugiales, adeoque easdem, Jægero non largior. Utraque mihi differt. 'Concessam voluptatem' ad concubinatum refero, Juliani adhuc tempore permissum; neque enim a Constantino fuit abrogatus, ut dixi ad Nazarium Paneg. XXXVIII. § 5. quamvis eidem coërcendo hoc quæsiverit remedium, ut, ducta concubina, liberos facerent legitimos, cujus legis, jam deperditæ, memoriam, et, ni fallor, vestigia servavit Imp. Zeno in L. 5. C. de Natur. liber. hanc sicuti 'concessam voluptatem' dixit Mamertinus, ita 'licitam consuetudinem' Justinianus, in L. 5. C. Ad SCtum Orfit. et 'per leges nomen adsumsisse,' et 'extra legis pœnam esse' traditur in L. 3. § 1. D. de Concubin. id est, per legem Papiam, ut dixi in Miscell. p. 14. At vero 'legitimæ voluptates' sunt ex justis nuptiis, id est, quibus 'secundum præcepta legum coëunt,' ut scribit Imp. pr. 1. de Nupt. quod non opus est, ut de sola lege Julia interpretemur cum Schrodero Observ. Jur. I. 3. 'præcepta' enim illa jus civile notant, quare passim 'uxor legitima,' 'liberi legitimi' occurrunt. Simillimus huic, et qui meam interpretationem confirmat, est locus Incerti Maximian. IV. § 1. 'Primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres.' Ubi nuptias legitimas indicat 'adfectus maritalis,' meretricios amores 'vagæ cupiditates,' concubinatum denique 'concessæ ætati voluptates.' Adde Cannegiet. Rescript. Boxhorn. c. 20. Est itaque Mamertini sententia, sit lectulus sine voluptatibus cum concubina, sed in ipso etiam matrimonio purissimus: concubinatui non

adulgens, neque ipsum quoque matrimonium inlegitimo amplexu polluas. *Legitimis voluptatibus* non pendet a *sine*, sed est ablativus per se positus; *sed* vero est sed etiam, ut apud Lactant. Instit. I. 22. 6. 'Religiones non eas modo, quas ipse instituerat, sed omnes præterea dissolvit.' Cf. Manut. ad Ciceron. ad Divers. I. 6. et quæ adhibuerunt patruus meus ad Caton. Distich. IV. 30. Jæger. ad Nazar. Paneg. XXI. 2. et supr. X. 1. quædam quoque dedi in Miscell. p. 161. *Arntz.*

Vestalium toris] Nostrum imitatus est Ausonius Grat. Act. XXVI. 2. de Gratiano: 'Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius.' *Idem.*

Intectis verticibus] Id est, aperto, non tecto contra frigus capite. Tacitus Histor. IV. 46. 'prope intecto corpore:' et cap. 77. Victor Cæsar. XXI. 3. 'semet dedisset intecto corpore.' 'Intectos pedes' dixit Tacitus Annal. II. 59. et Apul. Metam. IX. p. m. 289. 'intectas domus,' Sallustius Fragm. Histor. VI. 18. Longol. ad Plin. Epist. X. 100. Est tamen vox media, quæ tectum quoque significat. Columella de R. R. XI. 3. 52. 'specularibus integi debebunt.' Oudend. ad Cæsar. B. G. VII. 73. 7. B. C. III. 19. 6. Drakenb. ad Livium VII. 23. 6. et XXVI. 17. 12. utrumque usum notavit Salmas. ad Vopisc. p. 368. et Reitzius in Ambig. p. 315. *Idem.*

Tantis negotiis] Forte *et tantis*. Livin. Facilis emendatio propter ultimam vocis præcedentis litteram; sed minus necessaria, ob novam periodum, in plerisque edd. minori tantum interpunctione male separatam. *Arntz.*

Aliquos inferos] Multum mihi placet Gronovii conjectura ad Senec. de Clement. I. 5. forte legendum esse *inferiores aliquos inferis*, cui favent Ciceronis citata ab ipso loca. In edit. tamen Gronovii minori hæc non exstat conjectura. *Idem.*

Laborum aspera] Est imitatio Ciceroniana Epist. ad Divers. I. 9. 'Hic meæ vitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem et speciem hujus vitæ intuentur, sollicitudinem et laborem perspicere non possunt.' *Bibliotheca Critica* vol. II. part. I. pag. 33. 'Aspera laborum,' ut supra XII. § 1. 'laborum asperrima:' et § 3. 'laboriosissima negotiorum:' ubi vide. *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *Cursum*] Conjiciunt *cursim*. Simplicissimum verum *rursum*. Acidal. Ammian. Marcell. XV. 5. 'cursim nos properantes.' Incertus Maximian. X. § 4. 'Quod ego cursim transeo.' Mamertinus Maximian. IV. § 3. 'quod ego cursim prætereo.' *Arntz.*

Deposito exercitus] Infra mox, 'Cum Romani populi victus, et exercitus commeatus esset in navibus,' &c. *Livin.* Pro nostra lectione stant libri scripti, et excusi recentiores. *Jæger.* Frontin. Strateg. III. 18. 3. 'Disposito quibusdam locis cibo.' Columella de R. R. VI. 16. 7. 'Sarculo, et segetibus, atque etiam pratis fundus est dispositus.' Nemesian. Cyneg. 321. 'His ita dispositis:' unde 'dispositiones' pro administrationibus. Savar. ad Sidon. Apoll. Epist. VII. 12. eadem, quæ hunc locum, corrupit permutatio Joannem Saresber. Policr. II. 21. p. 100. 'depositio faciendorum;' lege 'dispositio.' *Arntz.*

Romanam urbem] Non nego, *Romanam urbem* posse dici pro Roma, sicut Virgil. Æneid. I. 340. 'urbs Tyria' est Tyrus. Suspicor tamen, scriptum fuisse ab auctore simpliciter *urbem*, et deinde adjectum ab interprete aliquo *Romam*, vel *Romanam*, idque in textum postea admissum. *Jæger.* Nihil muto, cum 'Romana urbs' occurrat apud Livium VII. 18. 1. Cassiodor. Var. I. 1. et exemplis abundant notæ Cortii ad Sallust. Catil. XVIII.

8. Drakenborchii ad Livium XXIX. 4. 6. et patris mei ad Victor. Inlustr. VI. 8. *Arntz.*

Annonæ vacuam] Dixit, ut alibi 'opum vacuo,' et Eumenius in Constantinum 'vacuum commodorum.' Usurpatum et Plauto, ut Bacchidibus: 'Valens affictat me vacuum virium:' et alibi sæpe. *Livin.* Tacitus Hist. II. 71. 'vacuos honoris menses aperiret.' Annal. XV. 8. 'litteras .... rerum vacuas.' Valer. Max. VIII. 11. ext. 4. 'vacua rationis animalia.' Sallust. Jugurth. c. 95. 'frugum vacuus.' 'Vacuas cædis manus' dixit Ovid. Art. I. 642. 'vacuum ponderis æthera,' Rhemn. Palæm. de Ponder. 4. Eumenii apud Livineium locus est Constantin. XV. § 3. quem sese reperire non potuisse fatetur Heusinger ad Vechner. Hellenol. I. p. 247. adde Taubman. ad Plaut. Bacchid. I. 2. 47. et quæ dixi ad Arator. Act. Apost. II. 949. *Arntz.*

Reflexit, quemlibet] Distingue *reflexit. Quemlibet.* Acidalius. In distinctione emendanda Acidalio caussam dedit Rhenani et H. Stephan. edit. *Arntz.*

§ 2 *Fames tristissimum*] Cuspinianam lectionem *et* revocavit Paull. Stephanus, et sequentes. Est quoque copula in Schonhov. excerptis, sed in Guelf. deest, etiam in Putean. cum ad ed. Rhenani nihil pro varia lectione sit notatum; itaque deest quoque in edd. Puteol. Rhenan. Stephan. Livin. et Rivini. Hos, propter tres codd. Vet. Livineii, Put. et Guelf. sum secutus, ut sit *periculum* adpositum τοῦ *fames.* Hoc modo cepit Rhenanus, cum ad ed. suæ marginem adscripserit, *fames triste reip. periculum.* Confirmat nostram lectionem Ammian. Marc. XIX. 10. 'famem, ultimum malorum omnium, exspectantis.' et XVII. 9. 'fame, ignavissimo mortis genere, tabescentes.' *Idem.*

Stipendiis provinciarum] *Stipendia provinciarum* sunt certa pecuniæ summa, et tributum quotannis solvendum. Hic vero non proprie, sed de decumis frugum hanc vocem esse intelligendam arbitror: sicuti apud Ciceronem stipendiarii cum vectigalibus confundi videntur. Vid. Ernesti Clav. Ciceron. v. 'Stipendiarius.' *Jæger.* De provinciis vectigalibus quædam habet Vales. ad Ammian. Marcell. XIV. 8. hic vero 'stipendium' ad annonam recte refert Jægerus, de quo aliquid dixi ad Eumen. Grat. Act. VII. § 3. *Arntz.*

Undique comptis] Opinor legendum *coëmptis*, nisi mavis *comportatis.* Rhenan. Vox omissa caussam dedit Acidalio, ut *fructibus* vellet repeti, ad quod suum *coëmtis*, aut *comportatis* etiam retulit Rhenanus. Vulgatam lectionem jam exhibuit Livineius, a Guelf. quoque confirmatam. *Arntz.*

Ad opulentiam] Pro *opulentiam abundantiamque* (quæ voces una cum *esurient. jam* vitiose in Stephan. desunt) Cuspin. *iisque ad opulentam abundantiam;* et sic etiam Schonhov. omisso tamen τῷ *usque.* Sed præstat vulgata. Omnis enim abundantia opulenta est; abundantia vero addita opulentiæ maximam indicat copiarum adfluentiam. *Jæger.* Cuspinianum secutus est Paull. Stephanus. In meis Henr. Stephani edd. duabus, et Chouetiana, verba *opulentiam abundantiamque esur.* jam conspiciuntur. *Arntz.*

Refecit] Infra: 'An populus est timendus procuratori alimentorum suorum,' &c. *Livin. Refecit* solus Livineius; in Guelf. pessime est *refert.* Livius XXXVII. 33. 2. 'Refertaque urbs omnium rerum commeatibus.' Curtius v. 6. 2. 'urbes refertas opulentia regia.' De horreis Plinius Paneg. XXXI. 6. 'stupebant agricolæ plena horrea, quæ non ipsi refersissent.' Ammian. Marcell. XIX. 2. 'frumentis horrea referserunt:' hoc 'intercedere inopiæ' dixit Pacatus Pa-

neg. XXVII. § 3. de quo Schwarzius ad Plinii Paneg. XXV. § 5. *Arntz.*

§ 3 *Ad tempus*] Tollius ad Auson. Epitaph. 32. excidisse putat *imperii*, legendumque *ad tempus imperii*, quod minus necesse indicat præcedens 'tam brevi tempore;' neque aliud significat Mamertinus, quam Julianum tempus, quo posset esse otiosus, illi tempori addidisse, quo negotia tractaret. Huc pertinet, quod de eo testatur Ammian. Marcell. XVI. 5. 'ut noctes ad officia divideret tripertita, quietis, et publicæ rei, et Musarum.' *Idem.*

Nihil epulis] Imitatus Ciceronem videtur Noster, pro Arch. c. 6. 'Ut ab nullius umquam me tempore, aut commodo, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.' Et mox: 'Quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumsero.' Similiter de Gratiano Ausonius Grat. Act. XXXVII. § 2. 'Nulla requie otii, ne somni quidem, aut cibi munere liberali.' *Idem.*

Defraudat] *Defrudat* Vet. Bertin. *Livin.* Neque male. Cato de R. R. 4. 5. 'segetem ne defrudet:' ubi tamen dubia est lectio; cf. not. et Gesneri Lexic. Rustic. in v. Paullinus ad Cytherium pag. 842. ed. Fabric. 'Qui defrudati lubricis mundi bonis:' auctoritate codd. in his est lectio constituenda, cum utrumque sit usitatum, de quo Taubman. ad Plautum Asinar. I. 2. 81. Savaro ad Sidon. Epist. II. 2. hic plures in *defraudat* consentiunt, ut etiam Guelf. Auson. Grat. Act. XI. 3. 'te sæpius hoc honore defraudas.' Joann. Saresb. I. 4. 'Benedictione paterna meruit defraudari.' Ita etiam 'fraudare' pro privare. Muncker. ad Hygin. Fab. 89. Burman. ad Phædr. III. 15. 8. *Arntz.*

§ 4 *Metientur*] Simili artificio junioribus tribuitur, quod ætate provectiores agerent. Ammian. XVI. 12. 'Adultæ lanuginis juvenis, efficacia præcurrens ætatem.' Sidon. Apoll. Carm. VII. 218. 'Vel in ore precantis ephebi Verba senis.' Ausonius Epitaph. 32. 'Meritis anus est, ætate puella:' ubi Tollius, nec hujus loci inmemor. Ausonii loco simillimum est, quod legitur in inscriptione apud Gorium Inscript. Florent. part. I. p. 464. Ἐξ ἐτέων ὥρης, ὀλίγον δέμας, ἀλλὰ τέλειον· et quæ dedi ad Arator. Epist. ad Florian. 3. Savar. ad Sidon. Epist. II. 10. *Idem.*

§ 5 *Navibus*] Contra Plinii Panegyrico *manibus* pro *navibus* non semel corruptum. Vide cap. 3. et 81. *Livin.* Voces *manibus* et *navibus* in Plinii quoque Panegyrico permisceri docet Schwarz. in Observ. p. 535. *Jæger.* *Manibus*] Hanc lectionem probavit Schwarzius ad Plin. Paneg. Observ. 35. in fin. qui librarios aliquando ita peccasse notat ad eumd. c. XXXI. § 2. et LXXXI. § 4. In *manibus* tamen omnes conspirant codd. quod ineptum pronunciat Livineius; vide tamen, utrumne *navibus* sit ineptius, saltem supervacaneum. Qui 'naves Africano' fuisse 'tritico graves' adfirmavit, isne eadem periodo necesse habet præmittere frumentum *in navibus* fuisse? an vero id satis docet ipsa rei narratio? Ut paucis dicam, *in manibus* a Mamertino videtur profectum, id est, cum in propinquo esset frumentum, idque per naves brevi in portum delatum iri sperarent. Cæsar B. G. II. 19. 7. 'Jam in manibus nostris hostes viderentur,' id est, interprete Daviesio, ita in propinquo, ut pene manibus tangi possent. Q. Cicero de Petit. Cons. 12. 'Casu fieri, ut agantur ea, quæ non putaris; illa, quæ credideris in manibus esse, non agantur.' Apollonius Rhodius Argon. I. 1112. Καὶ πᾶσα περαίη Θρηϊκίης ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς προὔφαινετ' ἰδέσθαι· cui loco similis est hic Virgilii

Georg. II. 44. 'Primi lege littoris oram. In manibus terræ:' ubi Burmann. et ad Æneid. IX. 132. adde Gronov. ad Senec. Epist. 94. Barth. ad Stat. Theb. X. 29. Heins. ad Sil. Ital. XI. 163. Wasse ad Sallust. Catil. XX. V. D. ad Livium II. 46. 3. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. II. 12. Fames illa, de qua loquitur Mamertinus, triennio fere ante hunc Panegyricum Romam oppressit, de qua Ammian. XIX. 10. 'Nec enim per eum (Tertullum præfectum) steterat, quo minus tempore congruo alimenta navibus veherentur, quas maris casus, asperiores solitis, ventorumque procellæ reflantium, delatas in proximos sinus, introire portum Augusti discriminum magnitudine perterrebant.' Prope igitur portum fuerunt illæ naves, frumentumque erat *in manibus.* Alia vero est in Plinii Panegyrico ratio, quo usus est Livineius, ubi 'navibus' recte est emendatum, quia cum 'flumine' jungitur, 'in suo flumine, in suis navibus.' *Arntz.*

Trepidatione] Sollicita festinatione, et studio. Vid. J. F. Gronov. ad Liv. XXVII. 1. *Jæger.* Ita 'trepidus equus' pro festinante apud Silium Ital. XIII. 146. add. Serv. ad Virgil. Æn. IV. 121. IX. 114. Taubm. ad Plaut. Pœnul. III. 1. 41. Torrent. ad Horat. Od. II. 3. 12. Burman. ad Valer. Flacc. VI. 342. Duker. ad Flor. III. 10. 17. Schœtgen. ad Varron. de R. R. III. 16. 32. *Arntz.*

Africano tritico] Ex Ægypto. Dictum ad Plinii Paneg. cap. XXXI. *Patarol.* Vid. Schwarz. ad Plinii Paneg. c. XXXI. et in Observ. p. 583. sq. *Jægerus.* Ex Ægypto certe Romam advehi solebat frumentum. Tacitus Annal. II. 59. 'Cura provinciæ (Ægypti) prætendebatur, levavitque apertis horreis pretia frugum.' Adde Schwarz. ad Plinii Pan. XXX. § 1. et quæ dixi in Miscell. 17. in fin. Sed utrum h. l. intelligi queat, dubiæ est interpretationis. Quæ ex Ægypto frumentum illud advehebant naves, non video, quomodo littus Achaicum prætervectæ fuerint, ut Constantinopolin pervenirent. Si enim, ut mox Patarolus, Achaiam de tota Græcia capias, adeoque etiam de opposita Asiæ parte, magis Asiæ, quam illius Græciæ littora legissent, ut per mare Ægeum, et Hellespontum Constantinopolin irent: sin vero proprie Achaiam sumas, illius littora prætervehere potuerunt, ut in sinum Adriacum, non autem Constantinopolin navigarent. Aut itaque Africanum illud frumentum missum fuit ex Illyrico vel Epiro per Ambracium sinum, naviumque gubernatores Romam missi, et Constantio faventes, mutato cursu, Achaiæ littora prætervecti, et Græciam circumnavigantes Ægeum mare petierunt; frumentum enim, quod § 2. dicitur a Juliano 'undique coëmtum,' cum in mora esset periculum, magis in illis regionibus, quibus tunc versabatur, coëmisse, et inde Romam misisse videtur Julianus, quam in Ægypto. Si vero naves fuisse Ægyptias, aut Alexandrinas malles, ita res erit constituenda; easdem mare Tyrrhenum adpropinquasse, quo *in manibus* esse frumentum videretur, sed adverso vento, et procellis in proximos sinus fuisse delatas, ut tradit Ammian. XIX. 10. qui ventus itaque, Romam navigantibus adversus, eas in mare Ionium, et ad Achaiæ littora deducere potuit, quas flatu prospero præternavigarunt; addit quidem Ammianus, mutato in Austrum vento, Romam pervenisse frumentum, sed id de quibusdam intelligi navibus poterit, cum aliæ alium cursum tenuerint, per Austrum illum occasionem commodam nactæ, ut, Græciam ab altera parte præternavigantes, Constantinopolin pervenerint. *Arntz.*

Achaicum] Græciæ; nec enim puto Achaiæ nomen stricte sumi pro A-

chaia regione, sed pro tota Græcia, quæ etiam Achaia dicta. *Patarol.*

Pervolasse] Guelf. *provolasse.* Vulgatum tuentur notata ad Mamertin. Genethl. VIII. § 1. ubi eadem permutatio. Est in hoc verbo celeritatis indicium, de quo Weitz. ad Valer. Flacc. II. 72. not. ad Pacat. XXXVII. § 1. et 'volare' similiaque de navigantibus dici late docet Staver. ad Hygin. Fab. 57. *Arntz.*

Oram maritimam] Cum ex Ægypto Romam frumenta advehebantur, ut dictum jam ad Plin. Paneg. c. XXXI. quo citius pervenirent, nec tempestatibus retardarentur, Imperator Commodus, teste Lampridio, classem instituit Commodianam Herculeam dictam, quæ annonam transferret. Ab aliis mox etiam Imperatoribus hujus transvectionis securitati provisum, dispositis navigiis. Facile nunc intelligis, qui fuerint ii, *qui oram maritimam tuebantur.* Patarol.

Desidia indicum] *Desidia indicum,* qui non indicarunt. *Rhenan.* Rhenanus hanc probat lectionem, at illum unica littera fefellit. Rectius enim habet Vet. Cod. *judicium.* Ne quis autem de veritate hujus emendationis dubitet, conferat hunc locum Symmachi Epist. IV. 54. ubi etiam mentio Africani tritici, de quo hic agit Mamertinus: 'Sed quid mihi insusurras frugis Africanæ tenues commeatus? absit, ut præsens annus imitetur fortunam superiorum. Intercludet, ut spero, providentia tristes casuum vias sacris auribus edocendis, et castigatione judicum, quos alimentaria spectat invectio.' Idem Epist. X. 33. 'Ut judices Africanos, et Notarium, cui æternitas vestra mandavit frumentarios commeatus, severiora scripta destimulent,' &c. ac quidem puto ad hos judices pertinere, quod est in L. 6. C. de Navicular. ubi scribitur, 'judices, qui in partibus,' malim legere, ut est in Codice Theodosiano, unde illa lex deprompta est, 'in portibus suæ,' &c. *Juretus.* *Indicum* Vet. *indigum* Cuspin. Utrumque mendose. *Livin.* Qui nempe annonam non Romam, sed Constantinopolim transmiserint. *Judicum* autem nomine significantur ministri, seu adjutores præfecti Africæ, seu Ægypti annonæ procurandæ, ut habet Notitia Imperii. *Patarol.* *Judicum* præfert quoque Put. et Mœrl. cum edd. plerisque. *Jæger.* *Judicum* cod. Putean. tribuit Jægerus. ed. Paris. auctoritate, sed in meis ex illo cod. excerptis Mss. est *judicium,* quæ lectio esse potest vera ex duplici genitivi hujus terminatione, de qua dixi ad Eumen. Constantin. XII. § 2. et in *judicium* exempla alia dedi in Miscell. p. 207. Guelf. tamen *judicum,* quod primus dedit Livineius, et recte etiam tuetur Gothofred. ad L. 34. C. Theod. de Navicul. ubi plura ad h. l. Male Puteol. Rhenan. H. Stephan. et Rivinus, *indicum,* vulgata permutatione, de qua supr. ad Nazarium Paneg. I. § 2. et III. § 5. *Arntz.*

Pro se] Guelf. *per se:* neque hoc male. Vid. ad Mamertin. Maximian. VII. § 2. *Idem.*

§ 6 *Serenum renidens*] Mœrl. falso *serenus.* Nazarius XXXIV. § 4. 'venerandum quiddam, et amabile renidentem.' Tacitus Annal. IV. 60. 3, 'Enim vero Tiberius torvus, aut falsum renidens vultu.' De adjectivis adverbialiter positis vid. Vechner. Hellenol. I. 2. 9. p. m. 209. *Jægerus.* Cf. ad Nazar. XXXIV. § 4. et Torrent. ad Horat. Od. II. 18. 2. ut hic *serenum,* ita contra 'exitiabile renidens,' et similia dedit Pricæus ad Apul. Met. VI. p. 310. de adjectivorum usu ad Mamertin. Genethl. III. § 5. ad Eumen. Grat. Act. XIII. § 3. Jæger. ad Nazarium Paneg. XXXVI. § 5. *Arntzenius.*

Nihil esse] De ellipsi verbi 'dixit,' vel 'inquit,' vid. Schwebel. ad Bos Ellips. p. 442. et p. 460. *Jæger.* Non opus itaque, ut cum Guelf. legatur,

nihil inquit esse. Cf. Muncker. ad Hygin. Fab. 14. *Arntz.*

Sibi perisse] Quia Constantii debellandi consilia jam agitabat, et Constantinopolin pergendi, ubi hoc quoque frumento utendi foret facultas. Ad ea itaque præsagia hoc est referendum, quibus de Constantio utebatur Julianus, divinandi, ut credebatur, peritus; ita enim Ammian. Marcell. XXI. 1. 'Incendebatque ejus (Juliani) cupiditatem, pacatis jam Galliis, incessere ultro Constantium, conjiciens eum per vaticinandi præsagia multa, quæ callebat, et somnia, e vita protinus excessurum.' *Idem.*

§ 7 *In patriam*] Constantinopolim. Supra: 'Hæc tibi, nominis novi, sed antiquissimæ nobilitatis, civitas patria est.' *Livin.* De patria illa cf. supra II. § 3. *Arntz.*

Proditorem futuri] Vet. *proditionem; Iows prædictionem.* Putean. Rectius in Pulm. et Fabr. *proditionem.* Sic infra cap. XVIII. 'habes,' inquit, 'Imp. Aug., proditionem silentii mei.' *Idem.* Joann. Saresb. Policr. III. 5. fin. 'Omnis adulatio arcani consilii comites habet dolum, et fraudem, proditionemque et notam mendacii.' Quamvis 'prodere' generaliter designet edere, et proferre, de quo Cortius ad Plin. Epist. IV. 14. 1. tamen recte addit *futuri*, cum non ineleganter indicet occulta detegere, ut explicat Serv. ad Virgil. Æn. IV. 23. Ita Lucanus VII. 151. 'Non tamen abstinuit venturos prodere casus.' Sedulius Carm. V. 32. 'Scelerisque futuri Prodidit auctorem.' Ubi Gruner. *Arntz.*

Verborum ambago] Forte legendum *verborum ambiguo celaret*, sicuti Virgil. Æneid. IX. 425. 'celare tenebris.' Non caret tamen *ambago* auctoritate, v. g. Manilii IV. 304. *Schenckius.* Vulgatum ex codd. servo. Designat enim *ambago*, quod in obscuro est, adeoque ambiguum sermonem, ducta a viis metaphora: ut apud Prudent. contr. Symmach. II. 846. 'Nam multa ambago viarum Anfractus dubios habet, et perplexius errat.' Ubi tamen edidit Heinsius, 'multa ambage.' Eadem notione est in Glossis apud Barthium ad Stat. Theb. V. 520. frequentius tamen hac significatione est 'ambages.' Ovidius Metam. XIV. 57. 'Et obscurum verborum ambage novorum Ter novies carmen magico demurmurat ore.' Ibid. 879. 'Ut quos obscuri luses ambagibus oris Legimus infandæ Sphinga dedisse neci.' Ita ambiguis oraculorum responsis 'multas ambages' tribuit Joann. Saresber. Policr. II. 27. et de dubiis responsis vocem explicat Barthius ad Statium Theb. III. 614. hoc 'obtegere velo verborum' dixit Joan. Saresb. I. 6. *Arntz.*

Venturæ] Cf. ad Eumen. Grat. Act. VIII. § 3. et X. § 4. *Idem.*

Felicitatis conscius] *Futuræ felicitatis eventum* equidem decessus Constantii Imperatoris nuncium jam jam imminens exponam. Quo successu potiturum se rerum Julianus divinabat. Infra: 'Cui non vel illud tempus sedatæ præbuit mentis indicium, quo, horrendi belli metu Rep. liberata, elati sumus cuncti gestiente lætitia?' *Livin.* Excessum Constantii Augusti, quo totius imperii dominus Julianus factus est. *Cellar.* *Venturam felicitatem* Livin. cum Cellario recte de excessu Constantii Aug. interpretatur, quo totius imperii dominus Julianus factus est; cujus rei præsagio is negavit, naves σιτοφόρους, quæ pervolaverant Constantinopolin, (ea adhuc sub Constantii potestate esse credebatur) sibi, suisque periisse, et in manus alienas venisse; quia nimirum et Constantinopolitani una cum toto imperio mox ipsi pariturí erant. Illustrat hæc Ammian. Marc. XXII. 1. 'Dum hæc in diversa parte terrarum fortunæ struunt nobiles casus, Julianus, inter multa, quæ per Illyricum agitabat, exta rimabatur adsidue,

avesque suspiciens præscire festinabat accidentium finem: sed responsis ambiguis, et obscuris hærebat futurorum incertus. Eique tandem aruspicinæ peritus Aprunculus, Gallus orator, promotus rector postea Narbonensis, nuntiavit eventus, inspectu jecoris (ut aiebat ipse) prædoctus, quod operimento duplici viderat tectum. Quumque ille timeret, ne cupiditati suæ congruentia fingerentur, atque ideo mæstus, omen multo præsentius ipse conspexit, quod excessum Constantii clare monstrabat. Eodem enim puncto, quo idem obierat in Cilicia, lapso milite, qui se, insessurum equo, dextra manu erexit, humique prostrato, exclamavit illico, audientibus multis: 'Cecidisse, qui eum ad culmen evexit.' Fixa tamen firmitate consistens intra terminos Daciæ se continebat, sic quoque plurima pertimescens. Nec enim cautum ducebat, conjecturis credere, forsitan in contrarium erupturis. Inter quæ tam suspensa advenere, subito missi ad eum, legati, Theolaiphus et Aliguldus, defunctum Constantium nuntiantes, addentesque, quod eum voce suprema successorem suæ fecerit potestatis. Qua re cognita, post exemtos periculorum æstus, et bellicarum sollicitudinum turbas, in immensum elatus, jamque vaticiniis credens, et celeritatem negotiis suis aliquoties profuisse expertus, edixit iter in Thracias; motisque propere signis, emensa declivitate Succorum, Philippopolin petiit, Eumolpiada veterem, alacri gradu sequentibus, quos duxerat, cunctis. Advertebant enim, imperium, quod ereptum ibant cum ultimorum metu discriminum, præter spem, ordinario jure concessum.' *Jæger.* *Eventum* ex Cuspin. primus repetiit Paull. Stephanus, quem reliqui præter Rivinum secuti. Posset omitti, si mox cum Livineio legatur *divinus*; sed *conscius divinus* auribus est parum suave, neque addicunt codd. Huc pertinet Joann. Saresber. testimonium de Juliano, Policr. VIII. 21. 'Exercebatur in philosophia, invalescente semper ambitione imperii. Unde et amicis dicebat, felicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur imperio.' Quo augurio, propter suum in philosophiam studium, mihi respexisse videtur ad Antonini dictum, 'florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur,' quod Platoni tribuit Capitolin. Anton. Philos. 27. Socrati autem Joann. Saresber. Policr. IV. 6. *Arntz.*

Conscius divinus] *Divini* Vet. Cuspin. Rhenan. Non placet. *Livineius.* Livineius in textu *divinus* exhibet, ac lectionem reliquorum omnium sibi non placere indicat. Sed recte, ni fallor, habet vulgata, hoc sensu: Jam tum animus Imperatoris, tamquam divini ac vatis, futuram felicitatem prævidebat. *Jæger.* *Divinus* nec codd. neque, præter Livineium, edd. agnoscunt, idque auribus parum suave. *Divini conscius* potest esse, eorum conscius, quæ a Diis erant decreta, ut 'conscius cælestis arcani' apud Pacat. Paneg. XIX. § 2. apud Joann. Saresb. Policr. II. 19. in fin. 'cælestium conscii secretorum:' et c. 28. pag. 132. 'conscius divini consilii.' Sed cum magis operam dederit Julianus, forte ad eorum scientiam, qua futura prædicerent, pertinet, ut *divinus* de futurorum præscio explicuit Muncker. ad Hygin. Fab. 118. et Mencken. Observ. L. L. p. 290. hos 'præscios futurorum,' 'arcani consilii conscios' dixit Joann. Saresb. II. 28. p. 133. et 'futurorum conscios,' V. 27. *Arntz.*

CAP. XV. § 1 *Cis pauculos dies*] Sex. Victor: 'Eum (Vetranionem) Constantius cis mensem decimum, facundiæ vi dejectum imperio, in privatum otium removit.' Usus et Plautus Mostellaria: 'Cis hercle paucas tempestates Tranio Augebis ruri nu-

merum, genu ferratile.' Ubi quod Muretus Variar. v. 9. 'numero' rescripsit, meo animo, frustra est, hoc quidem loci. *Livin.* Addi potest ex Plaut. Mercat. I. 2. 41. 'Liberum Caput tibi faciam, paucos cis menses.' Truculent. II. 3. 26. sq. 'Ita ego illam ædepol servem, itaque parce victitem, Ut nulla faxim cis dies paucos siet.' *Jæger.* Vid. Taubman. ad Plaut. Mostell. I. 1. 17. et Mercat. I. 2. 42. Gronov. Lection. Plautin. pag. 188. *Arntz.*

§ 2 *Pectoris comitio*] Apuleius Apolog. p. 277. lin. 28. Elmenhorst. 'Dares nunc aliquem similiter grandiloquum: diceret suo more, cum primis cui ulla fandi cura sit, impensius cetero corpore os colendum; quod esset animi vestibulum, et orationis janua, et cogitationum comitium.' *Jæger.* Cf. Taubman. ad Plaut. Mostell. III. 1. 157. Scipion. Gentil. Opp. tom. VI. p. 37. *Arntz.*

Electus sum] Sollemne consulatus verbum esse docet Schwarz. ad Plinii Paneg. LXII. § 5. Sese vero primum esse lectum dicit, quia id habebatur honorificentissimum, de quo Langlæus Semest. VII. p. 379. *Idem.*

Adoreis militaribus] Laudibus, et meritis. Festus: 'Adoream laudem, sive gloriam dicebant.' Plinius XVIII. § 3. 'Gloriam ipsam a farris honore adoream appellabant.' *Cellar.* Ammian. Marcell. XX. 4. 'Magnorum ejus laborum, factorumque vehens adoreas celsas.' Apul. Metam. VII. p. 143. ed. Pric. 'fortibus factis adoreæ plenæ.' 'Virtutis adoream' dixit Idem III. p. 55. Prudent. Hamart. 216. Hegesipp. Excid. Hieros. V. 46. Claudianus de Laud. Stilic. I. 384. 'Hæc omnes veterum revocavit adorea laurus.' Notionis rationem dedit Serv. ad Virgil. Æneid. X. 677. sed aliam Taubman. ad Plaut. Amphitr. I. 1. 38. *Arntz.*

Collega] Flavius Nevita. *Livineius.* Nevita, ut Fasti tradunt, et Ammianus XXI. 24. qui etiam XVII. 12. de militari ejus laude: 'Huic pugnæ Nevita, postea consul, equestri præpositus turmæ et adfuisse, et fortiter fecisse firmatur.' *Cellar.* Fl. Nevita, natione, ut creditur, Gothus, barbarus certe, ut conjicitur ex iis, quæ de ipso affert Ammian. XXI. 10. cujus etiam bellicas laudes, quas noster attingit, conjectare licet ex eodem: nam XVII. 6. ipsum contra Juthungos fortiter fecisse scribit; ipsique præterea militares dignitates plurimas a Juliano collatas. *Patarol.* Cf. supr. p. 654. et quæ in ipsius contemtum tradit Ammian. XXI. 10. de quo loco dixi supr. I. § 1. et § 4. *Arntz.*

§ 3 *Gratias, Imperator*] Vet. *age Imp.* Puteanus. Mœrl. *Gratias tibi Imperatori, gratias, si m. &c.* Jæger. Cum Mœrl. scribit Guelf. Sequens *Imperator* vulgatæ favet. *Arntz.*

§ 4 *Malevolorum*] Puteolan. ed. *malivolorum.* Ita etiam Rhenan. et aliæ antiquiores, quod probat Dausq. Orthogr. Part. II. p. 191. *Idem.*

Consulatu eo] Alii *meo*: vere. *Acidal.* Magno veram lectionem consensu tuentur manu et typis scripti emendatiores. *Jæger.*

Lividus jactitat] Gud. et Mœrl. *lividius.* Jæger. Hoc restitui, utpote ex usu comparativorum elegantius, de quo Periz. ad Sanct. Min. II. 10. quos comparativos per imminutionem adpellat Servius ad Virgil. Æn. V. 490. qui ad lib. VI. 520. *lividus* hoc sensu tantum apud neotericos inveniri adfirmat, ubi tamen vid. Burman. Est sane apud Ovidium Fastor. I. 74. 'Differ opus, livida lingua, tuum.' Juvenal. Sat. XI. 110. 'Quibus invideas, si lividulus sis.' Adde Mencken. Observ. L. L. p. 590. 'liventi oculo perstringere' dixit Joann. Saresber. I. 13. et 'livorem' pro invidia Ciceronis ævo adseruit Schwarz. ad Plinii Paneg. LVIII. § 5. *Arntz.*

Refutatur] Hoc vult, credo, alienum esse imperio Juliani minus dig-

nos legere, Constantianis magistratibus rapina, et omni crudelitate infamibus. Julianus ad Alypium, Constantii olim partium, ut apparet: Σύ τε γὰρ οὐδὲν δέῃ συγκαταστρεφομένου τὴν πόλιν βασιλέως, ἐγώ τε πολλῶν δέομαι τῶν συνεπανορθούντων τὰ πεπτωκότα κακῶς. *Nam metu regis indiges, qui urbem una evertat, et opus mihi multi, qui pariter instaurent, quæ fœde collapsa.* Vide tamen, quæ initio hujus ipsius laudationis ex Ammiano notamus. *Livin.* Recte explicat Livineius. Eadem est sententia supra v. § 1. 'Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis et gloriæ (Juliani) refutarentur.' Ita hic *tempore* est imperio Juliani, modoque, quo illud tenet, et gubernat, sive iis, quæ hoc tempore contingunt, (de quo vocis usu Burman. ad Vell. Pat. II. 114. 3.) quo modo etiam 'annus,' 'dies,' et similia. Sallust. Catil. XLVII. 2. 'annum, quem bello civili cruentum fore.' Barthius ad Stat. Theb. VIII. 665. Gronov. Observ. I. 2. Cortius ad Ciceron. ad Divers. II. 12. 1. *Arntz.*

Satis est. Jam tamen] *Jam tum* Vet. Bertin. *Tamen* retineo, et observa, sis, lector, errorem a compendiis. Nam vetus scriptura *tn*, cui *tu* admodum vicinum. *Livin.* Distingue, *refutatur, adv. q. d. s. est: jam tamen.* Neque enim aliter sensus sat claruerit. *Acidal.* In aliis legitur *tum*, fortasse melius. Hic tamen mendum aliquod esse suspicor, aut sane sententia durior est, et subobscura. *Patarol.* Ita Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Gruter. Patar. itemque Paris. prior, quamquam errore operarum in hac corruptum in *Jam tam in.* Livineius ex suo cod. et Bertin. quibus etiam Put. Gud. cum Mœrl. se adjungunt, *tum* adnotavit, idque recepit Baunius cum Cellario. Argutius sane videtur h. l. *tamen*, cujus hæc vis est: Qui fieri potest, ut parum dignus habear consulatu? cum tamen Julianus, jam Imperator, (qui virtutis studium in multis excitavit, bonorumque adeo virorum penuria non laboravit) me ad illum honoris gradum evexerit. Pristinam itaque lectionem postliminio receptam volumus. *Jæger.* Acidalii distinctio ad edd. ante Gruterum pertinet, in quibus *satis est* a sequente *jam* majori interpunctionis signo separabatur, quo plane peribat sententia. Recte *tamen* vindicavit, locumque explicuit Jægerus. Indicat enim hæc vocula id, quod contra obmoveri queat, fieri nimirum haud potuisse, ut ad consulatum indignus promoveretur. Quod in codd. *tum* legatur, est ex vulgata permutatione, etiam in horum Panegyricorum codd. ut apud Mamertin. Genethl. x. § 1. et XVIII. § 3. Eumen. Grat. Act. VII. § 4. *Arntz.*

Parebat] Cuspin. et Schonhov. *patebat;* minus recte, sed errore admodum facili. *Jæger.* Victor Cæs. I. 1. 'Mos Romæ incessit, uni prorsus parendi.' Curtius III. 1. 23. 'Omnisque hæc regio paruit regi.' Apud Rutil. Itin. II. 49. 'Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat:' miratus Crusius Prob. Crit. p. 63. neminem emendasse 'parebat:' mirari desiisset, si metri leges cogitasset, jure reprehensus a Rhoerio Fer. Dav. pag. 239. *Arntz.*

§ 5 *Nihil separatim*] Sic legerim: *Quid quod nihil speranti mihi.* Rhenan. Recte *speranti* emendant. Sed ordo verborum ut recte fluat, parenthesin adhibe in hunc modum: *quid quod nihil speranti mihi de honoris augmento (neque enim ultra præfecturam se votorum meorum modestia porrigebat) perfertur nuntius, &c.* Acidal.

Honoris augumento] Legerim *honoris augmento.* Rhenan. *Augmento* forte: cod. Vatican. *augmento.* Putean. Cf. quæ de hac voce disserit Dukerus de Latin. Vet. Jurisconsult. pag. 411. In Guelf. male est *argumento,* quod suspicor in Vatican. apud Puteanum

quoque fuisse, quia ceteroquin non opus fuisset, ut ipse *augmento* conjecisset. Ita tamen, ut editur, in excerptis quoque illius cod. penes me Mss. legitur. *Arntz.*

Præfecturam] Est præfectura prætorii, de qua cap. I. § 5. *Jager.* Cf. supra p. 654. *Arntz.*

Præfertur nuntius] Eodem modo hæc permutantur apud Eumen. Grat. Act. XII. § 2. Plinium Epist. I. 23. 5. ubi Not. Heins. ad Prudent. Psychom. 511. et quæ notavi ad Arator. Act. Apost. I. 903. Nuncium hunc Chalcedone accepisse videtur Mamertinus. Vid. supra p. 655. *Idem.*

Sine impendio] Imperatores, cum viro bono, et pauperi honores mandabant, plurimum onera, et impensas in se recipiebant, et ex ærario suo, aut publico largiebantur ad ludos, et ceteram pompam. Id dicebant 'sine impendio creari,' quamquam Mamertini locus in aliam sententiam valere possit. Sed Vopiscus clare in Epistola Valeriani ad Aurelianum: 'Sperare te cum eodem Ulpio Crinito consulatum convenit sumptu publico.' Spartianus in Hadriano: 'Ac statim Pannoniis imposuit, decreto consulatu cum sumptibus.' Et de Imperatore ipso, onus in se recipiente, Dio in Alexandro: 'Me,' inquit, 'consulem designavit, et sumptus, quos postulat ea dignitas, se facturum recepit.' *Lipsius*, Epistol. Quæst. I. 15. Julius Capitolinus M. Antonio: 'Sed multum ex his Frontoni detulit, cui et statuam in senatu petiit, Proculum vero usque ad proconsulatum provexit, oneribus in se receptis.' Valerianus Epistola ad Aurelianum, quam Vopiscus refert: 'Consulatum cum Ulpio Crinito in annum sequentem, in locum Gallieni et Valeriani, sperare te convenit sumptu publico.' Adde alteram ejusdem ad Ælium Xiphidium, ærario præfectum. *Livin.* Inopem se fuisse ipse testatur infra Mamertinus, XVII. § 3. 'Unde enim mihi adspirandi ad hoc nomen esset amentia, opum vacuo, et ignaro ambiendi?' *Jæger.* Mihi ad morem, quem Lipsius et Livineius tangunt, hic quidem locus haud pertinere videtur, quare in aliam valere posse sententiam ille recte addidit. 'Inpendium' enim pecuniam indicat, qua sub prioribus Impp. munera velut emerent, consuetudine ita vulgata, ut paucos sine pecunia honorum factos esse compotes jure dicat. Hanc esse Mamertini mentem aperte docet locus a Jægero citatus, quo sub aliis principibus, id est, Julianum præcedentibus, inanem consulatus spem se fovisse adfirmat, quia 'opum erat vacuus;' ubi 'opes' non possunt denotare pecuniam, quam ex liberalitate dabant Impp. tunc enim nihil obstitisset, quo minus consul fieri potuisset; sed eam, quam ipse dare iis debuisset, qui sibi Imperatoris favorem conciliarent, quo ad consulatum perveniret, quamque propter inopiam dare non poterat. Eodem modo Ausonius Grat. Act. VI. § 2. de suo consulatu: 'non emi, nec possum continentiam jactare, non habui.' Adde infra XVIII. § 5. 'Nec sane mihi consul gratuito factus viderer, si honorem precibus emissem :.... neque enim existimo molestius esse pecuniam, quam preces fundere.' XIX. § 4. 'Perditissimum quemque ex aulicis frequentabant, ... donisque captabant.' Ibid. § 5. 'Iter sibi ad consulatum pecunia munientes.' XXI. § 4. 'Quisquis, inquam, capere magistratum voles, auri atque argenti negligens esto.' Adde, quæ de suffragatoribus infra XXI. § 1. *Arntzenius.*

Quod numquam] Postulat crescentis orationis gradatio, *quod nonnumquam.* Lipsius Epist. Quæst. III. 24. *Nonnumquam* cum doctissimo Lipsio reponam. *Livin.* Magna veri specie se hæc commendat conjectura, et permutata hæc occurrunt apud Dra-

kenb. ad Livium IX. 18. 12. et c. 37. 2. et in Plinii Paneg. LXXIII. § 5. Nil juvant codd. *Arntz.*

Quod nemini] Encomiastice dictum: nam antea de Hadriano Spartianus: 'Serviano, sororis viro, &c. tertium consulatum, &c. non petenti, ac sine precatione concessit.' *Patarol.* Quod sine petitione neminem creatam esse consulem dicit, non nimis presse intelligi debet. Nam, (ut taceam de priscis quibusdam Coss. et de Pompeio M. cui tertius consulatus non petenti oblatus fuit,) Plinius Paneg. cap. XCI. sqq. non obscure indicat, ultro sibi, et collegæ datum esse consulatum. Et Spartianus Hadrian. c. 8. In fine deesse videtur verbum *contigit:* nescio, an more Græcorum, qui *συμβαίνειν* omittunt. Possit tamen et alia ratione res expediri, scilicet, pro *nuntius* legendo *nuntium;* et tunc sententia planior esset, *quod* (nuntium) . . . *paucis* . . . *numquam* . . . *nemini* (perlatum fuit). Sed ne sic quidem satis mihi fieret. Quare de sententia priore non decedo. Verbum *contigit* omissum restituit etiam Plinio Schwarz. Paneg. LXXI. § 3. *Jæger.* Non opus, ut ideo *nuncium* emendaretur; *quod* enim post masculini aut feminini generis substantiva sequi, docuerunt V. D. ad Fulgent. Mythol. III. 8. Not. patern. ad Pacat. Paneg. I. § 5. Ex compendio, quo optimi etiam scriptores usi, subaudiri posset *contigit,* cujusmodi exempla contulerunt V. D. ad Hygin. Fab. 14. pag. 54. ed. Staver. proclivior tamen sum, ut ex præcedentibus repetatur *perlatum fuit,* præsertim quia id post *nuncius* sæpe reticetur, quod probarunt Gron. ad Livium XXXVII. 10. 5. et XLI. 3. 5. V. D. ad Frontin. Strateg. I. 1. 10. Unde apud Sallust. Catil. LVII. 1. 'in castra nuncius pervenit:' de verbo 'pervenit' se diffidere scribit Cortius, quamvis in optimo Daventriensi invenerim. Vulgo quidem 'perferre' cum præpositione 'ad' construitur, quod præcedentibus, *paucis,* et *nemini,* haud congrueret; sed neque exemplis tertius caret casus, sive *nuncius* omittatur, sive addatur. Virgilius Æneid. IX. 691. 'Ductori Turno, diversa in parte furenti, Turbantique viros, perfertur nuncius.' XI. 181. 'Nato manes perferte sub imos.' Ibid. vs. 828. 'Et hæc Turno mandata novissima perfer.' Similiter 'ire' cum dativo pro accusativo cum 'ad' adtigit Gronov. Diatrib. Stat. cap. 1. in fin. *Arntz.*

CAP. XVI. § 1 *Populi Romani*] Florente republica ante Imperatores. *Patarol.* Sub Tiberio id jus ad Impp. transiisse docui in Miscell. cap. 11. *Arntz.*

Candidatorum] Magistratus, honoresque petentium, qui 'candidati' dicti a veste candida, qua uti solebant. *Patarol.*

Labores] Prætereo hæc, et quæ sequuntur, notis illustrare: trita enim, ac nota singulis. Si quis plura cupit, consulat Nicolaum Gruchium lib. I. de Comit. cap. 3. *Idem.* De illis candidatorum laboribus multa contulit Abram. ad Ciceron. pro Milon. cap. 16. *Arntz.*

Omnium nomina tribuum] Nomina tribuum ediscere candidato Romano magnus labor esse haud potuit: at nomina civium ediscere, ut eos singulos nominatim possent appellare, multo difficilius fuit. Utebantur quidem hac in re opera nomenclatorum; sed auctor noster id more rhetorico dissimulat. *Tributim* salutandi erant omnes ipso comitiorum die. Vid. Gruch. de Comit. Roman. I. 4. Ac licet consules, de quibus hic sermo, centuriatis comitiis crearentur, tamen et in his populum in tribus fuisse divisum satis certum est. Vid. Gruch. l. c. Auson. Grat. Act. c. 5. et Ernesti Clav. Cicer. v. 'Tribus,' idemque ad Sueton. Jul. c. 80. 'Singuli' vero erant salutandi ante diem comitiorum, cum petebant candidati,

et prensabant. *Jæger.* *Tributim* cum Caspin. dedit Paull. Stephanus; sequentes *tribuum* retinuerunt, donec alterum, codd. ita jubentibus, verissime reddidit Jægerus, mutata interpunctione, qua in plerisque edd. jungitur cum præcedente *nomina:* distinxit vero Livineius, *nomina, tribuum homines, atque etiam.* De tribuum in comitiis quoque centuriatis habita ratione conf. Gronov. Observ. IV. 1. quam cogitasse etiam videtur Pacatus Paneg. III. § 6. 'Omnium suffragiis hominum tributim centuriatimque legeretur.' *Arntz.*

Homines atque etiam singuli] Vet. *tributim omnes, atque etiam.* Putean. Scribendum *omnes atque etiam singuli.* Meursius, Auctar. Philog. cap. 27. Lege *omnes atque sing.* Acidal. *Omnes* pro vulgato *homines* cum Acidalio, Patarolo, Cellario, et cod. Gud. legendum est. *Jæger.* Ex Gud. tamen, sive Guelf. notatum habeo *homines.* Ob *singuli* certissima est scriptura *omnes,* quam primus recte recepit Cellarius. In aliis codd. facile librariis fraudi potuit esse frequens utriusque vocis permutatio, ut apud Mamertin. Maximian. XII. § 3. Genethl. XIX. § 2. Eumen. pro Instaur. Schol. XIV. § 4. Quare *etiam* neglexerit in textu Cellarius, non video, quod codd. tuentur, et exempla a patre meo prolata ad Plinii Paneg. LXXXII. § 4. Eumenius pro Instaur. Schol. XV. § 2. 'Suis atque etiam permovendo consiliis.' Ubi vide. *Arntz.*

Prehensandæ] Ausonius ad Gratian. 'Consul ego, Imp. Aug. munere tuo, non passus septa, non loculos, qui non prensaverim manus, nec salutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim,' &c. *Putean.* Codd. Put. et Livin. adstipulatur Guelf. Ex his *prensandæ* reddidi, vocem in ambitu sollemnem. Cicero de Orator. I. 24. 'Cum peterem magistratum, solebam in prensando dimittere a me Scævolam.' Attic. I. 1. 'Nos autem initium prensandi facere cogitabamus.' Livius IV. 48. 11. 'Prensantur a principibus tribuni:' ubi in quibusdam quoque est 'prehensantur.' Forte *prehensandæ* placere posset, propter additum *manus,* quia apud Tacitum Hist. I. 66. legitur, 'genua, vestigia prehensando:' et IV. 46. 'prehensare commanipularium pectora.' Sed in melioribus edd. utroque loco etiam ex codd. 'prensando,' et 'prensare' est restitutum, id est, cum quodam nisu prehendere, ut explicat Oudend. ad Lucan. III. 664. Horatius Sat. I. 9. 164. 'Et prensare manu lentissima brachia.' *Arntz.*

Omnibus adridendum] Hanc 'petitorum comitatem' dixit Pacatus Paneg. XX. § 5. ubi Livin. *Idem.*

Cum ignotis] Hinc Antonio vertit vitio Cicero de Petit. Cons. cap. 7. 'Quid incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine adpellare non possit? mihi quidem stultius nihil videtur, quam existimare eum studiosum tui, quem non noris.' *Idem.*

Non deceret] Q. Cicero de Petit. Consul. c. 11. 'Opus est magnopere blanditia; quæ etiamsi vitiosa est et turpis in cetera vita, tamen in petitione est necessaria. Tunc enim, cum deteriorem aliquem assentando facit, improba est: cum amiciorem, non tam vituperanda. Petitori vero necessaria est, cujus et frons, et vultus, et sermo ad eorum, quoscumque convenerit, sensum et voluntatem commutandus est.' *Jæger.* Tullius pro Milon. cap. 16. 'Scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita cupiditas consulatus.' *Arntzenius.*

§ 2 *Crassi*] Licinii Crassi, de quo Valer. Max. IV. 5. n. 4. *Patarol.*

Peteret consulatum] Sumptum e Cicerone, apud quem de Orator. lib.

I. ipse hic L. Crassus de se confitetur: 'Equidem, cum peterem magistratus, solebam in prensando dimittere a me Scævolam, cum ei ita dicerem, me velle esse ineptum. Id erat petere blandius. Quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse unum hominem ('semper judicavi esse hom. unum' Ms.) ex omnibus, quo præsente ego ineptus esse minime vellem.' Refert et Valer. Maximus IV. 5. *Livin.* In loco Ciceronis habet cod. Traject. 'hunc autem esse minime vellem,' omissis intermediis; ordine autem mutato Pearce: 'hunc autem esse hominem unum ex omnibus.' Cf. illic Harlesium. De ipsa re dixi ad D'Arnaudtii Vit. Scævol. p. 24. *Arntzenius.*

Scævola socero] Q. Mucio Scævola. *Livin.* Eodem nimirum, qui vulgo Augur, cui ex Lælia uxore duæ fuerunt filiæ, quarum alteram Crasso in matrimonium dedit. Cf. D'Arnaud. Vit. Scævol. § 12. *Arntz.*

Muci] Puteol. Rhen. H. Stephan. et Rivinus, *Muti:* male; Græcis enim est Μούκιος. *Idem.*

Honestari] Acidalius emendat *honestare,* subauditis nimirum pronominibus *te me;* Livineius *me* conjicit inserendum esse, quod sane cod. Gud. et Mœrl. exhibent, et non commode abesse facile apparet. Nam, cum verbum secundæ personæ adsit, ex linguæ Latinæ rationibus etiam pronomine secundæ personæ deberet ellipsis expleri; vide Voss. de Construct. cap. 58. quod tamen hic fieri nequit. Quare *me* illud, ad exemplum Pataroli, admittendum duximus. *Jæger.* A plerisque edd. aberat *me,* quod recte ex libris scriptis revocavit Jægerus. Atque ita quoque correxerat H. J. Arntzenius ad G. Arnaldum Dissert. de Vitis Scævolar. p. 24. *Bibliotheca Critica* vol. II. p. 33. Inverso ordine Jægerus, *honestari me.* Arntz.

§ 3 *At vero ego*] Efficaciæ caussa *ego* additur, de quo ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 1. et XVII. § 5. Not. pat. ad Pacat. XL. § 1. *Idem.*

Nullius amorem] Guelf. *amore,* haud dubie, omissa lineola, pro *amorem,* quod in suis etiam habuit Puteanus, quia ad Rhenan. edit. nihil notavit. *Favorem* quoque Schonhov. excerpta, quod tamquam aptius ex Cuspin. repetiit Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum. *Idem.*

§ 4 *Saltem*] Vide ad Mamertin. Maximian. V. § 3. usus hac voce est pro 'tantum,' non satis eleganter, de quo vide Vorstii judicium in Latin. Merit. Susp. cap. 18. *Idem.*

CAP. XVII. § 1 *Apud te animi*] Vox *omnia* abest Rhenan. Stephan. Livin. Sed legitur in scriptis, et editis reliquis, et debet adesse, quia mox XVIII. § 1. dicit, 'Nondum tamen cuncta prodidimus,' &c. *Jæger.* Infr. XVIII. § 1. 'omnia pectoris arcana vacuabo.' *Arntz.*

Opera reserabo] Vet. *reperta; ἴσως operta.* Sic Nazar. Constantin. I. Sic quoque cod. Vatic. habet. *Puteanus.* Sic legendum, ut in Pith. et Fabr. *operta animi.* Sic loquitur Nazarius ad Constantin. I. 'Jactat quippe se nunc cum maxime alacris omnium, ac beata devotio, nec operta mentium rimari necesse est.' *Idem.* Lego *operta.* Faber. *Operta* Bertin. Cuspin. *Livin.* Scribendum *animi operta.* Meursius Auctar. Philol. cap. 27. *Operta* legendum potius, quam ut vulgo præter auctoritates librorum veterum, vel hoc argumenti satis esse poterat, quod statim subjicit, *omnia pectoris arcana vacuabo.* Ritters. Recte Grutero placuit *operta,* a quo discedere non debuisset Patarolus, idque confirmat Guelf. et Nazarii apud Puteanum locus. *Animi operta* sunt, quæ infr. XVIII. § 1. 'secretum,' et 'pectoris arcana' dixit. Est enim 'opertum,' quod pectore latet, ut 'offensarum operta' apud Tacitum Hist. III. 65. 'operta odia' apud eumd. Annal. II. 57. quæ recte per non

manifesta interpretatur Heinsius in Observ. Miscell. tom. IX. pag. 387. Cicero de Finib. II. 2. 'Hæc patefactio quasi rerum opertarum, cum, quid quidque sit, aperitur.' Hæc sunt aliis 'pectoris penetralia.' Apul. Metam. III. pag. 53. ed. Pric. 'quæcumque igitur commisero hujus religiosi pectoris tui penetralibus:' aliis vero mentis et pectoris 'latebræ,' et 'recessus,' de quo ad Nazarium Paneg. VII. § 3. *Aperta* primus dedit Paull. Stephanus, quod Patarolum fuisse secutum miror; est enim sententiæ contrarium. Quid opus 'reserare,' quod jam sit apertum? 'reserare' dicimus, quæ sunt clausa, secreta, non manifesta. Petron. Fragm. p. 680. 'Sic commissa verens avidus reserare minister.' Valer. Flacc. II. 438. 'Hospitibus reserans secreta.' Sulpic. Sever. Hist. Sacr. II. 8. 8. 'reserare occultam fraudem:' hoc 'revelare mentis arcana' dixit Joann. Saresb. Pol. lib. I. p. 4. facile tamen utraque permutari vox potuit, ut factum apud Heinsium Advers. I. 14. Drakenb. ad Livium XXIX. 14. 9. et apud Statium Theb. VIII. 110. et XII. 136. in Christii Cod. *aperto* invenit Klotzius Miscell. Crit. pag. 88. et 99. quamvis utroque loco vulgata præstet. *Arntz.*

In capita civium] Ridiculus sanequam est Bannius, qui jus in civium vitam consulibus, et prætoribus tribuit. Jurisdictione usi fuerunt prætores, de cujus natura sub Constantino vid. L. 2. C. de Offic. Prætor. quamvis, hoc quidem tempore, inane magis honoris nomen fuisse, qui ætate minoribus etiam daretur, judicet Gothofredus ad L. 1. C. Theod. de Prætor. Ne Coss. quidem libera rep. hoc in universum tribuere potuit Bannius, multo minus Impp. tempore, quo consulatus maxime imminuta erat dignitas, de quo dixi supra II. § 2. Reines. V. L. II. 15. Maximam enim utriusque muneris partem in præfectos urbis, et prætorio transtulerunt Impp. data insuper criminum puniendorum, summique supplicii potestate, propter quam hos esse magistratus opinor, quos numquam se concupivisse testatur Mamertinus. Præterea si intelligeretur consulatus, ipse sibi adversaretur; hujus enim amore se per omnem ætatem flagrasse dicit, § 2. *Idem.*

Pro virili portione] Id est, pro viribus. Tacitus Julii Agricolæ Vita: 'Tu vero felix, Agricola, non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans, et libens fatum excepisti, tanquam pro virili portione innocentiam Principi (Domitiano) donares.' 'Pro virili parte' Cicero dixit Philipp. XIII. 'Nam cum Magnum Pompeium auctoritate adduxit ad pacem, remque publicam sine armis maximo civilis belli periculo liberavit, tum me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto.' Usus et pro Sextio, et alibi. *Livineius.* Lactantius II. 7. 2. 'Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam.' *Pro virili portione*, vel *parte*, non est, ut Livineius h. l. aliique interpretantur, pro viribus, sed pro parte ea, quæ ex quacumque re unicuique debetur, quam quisque suscipere debet, *pro rata.* Vid. Ernesti Clavi Ciceron. v. 'Virilis.' *Jagerus.* Recte. Cf. ad Lactantii locum Bunemannus. Quinctil. Inst. Orat. XII. 1. 'Pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus:' et c. 11. 'præcepta dicendi pro virili parte adjuvari posse per nos videbantur.' Plinius Epist. VIII. 6. 6. 'cui se omnes pro virili parte obligatos esse fatentur,' quod illic numquam pro viribus notare potest. Adde Wasseum Ind. Sallustii v. 'Virile,' Drakenb. ad Livium III. 71. 8. et X. 8. 4. In Guelf. est *reipoæ*, id est *reipublicæ*: utrum legendum *portio reipublicæ?* ut *pro virili* simpliciter ponatur, subaudita *parte.* Arntz.

Propter opinionem] *Propter* hic privative capiendum videtur, scilicet, ad vitandam desidiæ suspicionem, ne quis putaret, me esse desidem. Sic adhibetur etiam διὰ D. Paullo Epist. I. ad Corinth. VII. 2. Διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. Potest tamen et impulsive (sit venia verbo) exponi, nimirum, non refugi, quia putabam desidis esse refugere. *Jæger.* Prior interpretatio est verior. Sidon. Apoll. Epist. VI. 3. 'Modo ne sibi suisque desidiæ vitio perperam cavisse culpetur.' Est itaque *opinio* falsa, de qua supra IV. § 5. 'Desidiæ opinio' inde oriri poterat, quod industrii civis haud esse videretur, sese muneribus publicis subducere velle; hinc Joann. Saresb. IV. 11. 'Se civium suorum nequaquam subtrahant votis.' *Arntz.*

§ 2 *Ambitu appetii*] Mœrl. *ambitor;* et præferendum, ut exquisitius, arbitror. Lamprid. Alexandr. Sever. cap. 28. 'Ita et patronis auctoribus damnatus ambitor est.' *Jæger. Ambitor* in suis quoque vidit Puteanus, quia ad Rhenan. nihil notavit; est quoque in Puteolan. Paull. Stephani et pr. Rivin. A Livineio est *ambitu*, forte ex Bertin. quod Gruterus, et sequentes probarunt; sed *ambitor* recte revocavit Jægerus, vocem quidem minus usitatam, nec tamen sine exemplo. Servius ad Virgil. Æn. IV. 283. 'Ambitores etiam dicuntur, qui, ut honores consequantur, discurrendo, et rogando suffragia adquirunt.' Ex Auctore Queroli inter ejusmodi substantiva hanc recensuit Barthius ad Statium Theb. III. 79. Adde Burman. ad Anthol. Latin. tom. II. pag. 169. *Arntz.*

Ab ætate puerili] Aut istud delendum, ut superioris glossema: vel certe pro *puerili* legendum *virili*. Faber. Glossema sunt. *Livin.* Sed quid si 'ætatem puerilem' de adolescentia et juventute capiatur? ut omnem fere ætatem hæc verba contineant, usque dum natu grandior fieret. Asyndeton enim nostro frequens esse patebit infr. XXIV. § 6. Ita 'puer' sæpe occurrit. Rutilius Itin. I. 173. 'Rexerat ante puer populos pro consule Pœnos:' ubi V. D. quem 'juvenem' dixit, mox 'puerum' adpellat Statius Theb. IX. 808. et 810. adde Barth. ad Calpurn. Eclog. II. 1. Drakenb. ad Silium IV. 462. et supra ad Eumen. Grat. Act. IV. § 2. *Arntz.*

Hanc usque canitiem] Pro *usque* Mœrl. habet *ipsam*. Jæger.

§ 4 *Nam primum*] *Nam* hic inidoneum. Potius *at*, vel *tunc*. Acidal. Τὸ *nam* Quinctiliano passim adhiberi, ubi nihil præcessit, cujus caussa reddatur, observavit Gesnerus, v. g. Procem. sect. 16. 'Nunc autem, quæ velut propria philosophiæ asseruntur, passim tractamus omnes. Quis enim non de justo, æquo, ac bono, modo non et vir pessimus, loquitur? Quis non etiam rusticorum aliqua de caussis naturalibus quærit? Nam verborum proprietas ac differentia omnibus, qui sermonem curæ habent, debet esse communis.' Fortasse et hic simili ratione usurpatur. *Jæger.* Potest *nam* accipi, ut transitioni inserviat, et priora conjungat. Ita passim jurisconsulti L. 1. § 6. D. de Postul. 'Accipere debemus ex feritate magis, quam ex animalis genere. Nam quid si leo sit:' alia habet Noodtius ad D. de Edend. et ad Tit. de R. V. et p. 126. Stewech. ad Veget. de R. M. II. 18. Tursellin. de Partic. p. 533. ed. Schwarz. Cortius ad Sallust. Catil. XLVI. 2. Burman. ad Quinctil. Instit. II. p. 144. Oudend. ad Sueton. Cæs. 44. patruus meus ad Caton. Distich. III. 21. Schwarz. ad Plinii Paneg. Obs. 28. Ernesti Clav. Ciceron. v. 'Nam.' Est tamen, ut Mamertinum scripsisse suspicer *tum primum*. Nemesianus Ecl. II. 7. 'Tum primum dulci carpebant gaudia furto.' Sallustius Jugurth. cap. V. 'Quia tum primum superbiæ nobilitatis obviam

itum est.' Pacatus Paneg. XIX. fin. 'et tum primum inciperent.' Adde Tursellin. de Partic. p. 1069. ed. Schwarz. Drakenb. ad Livium V. 13. 6. et Epit. VII. *Arntz.*

Cæsar esses] Sub Imperatore Constantio. *Patarol.*

§ 5 *Te, Auguste*] Forte legendum *Augustum.* Nam supra dixit, 'cum Cæsar esses.' *Putean.*

Spectatorem] Judicem, probatorem. Terent. Eunuch. III. 5. 18. 'Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem.' *Jæger.* Plinius Paneg. XIII. § 2. 'Cum spectator moderatorque ineuntium certamina virorum.' Ausonius Mosell. 386. 'Aut unus tantum justi spectator et æqui Pollet Aristides.' 'Spectatorem bonarum artium' dixit Symmach. Epist. II. 2. quo sensu et 'veteris monetæ spectatorem' dixit III. 13. et de 'pecuniæ spectatoribus' hoc sensu Taubman. ad Plautum Pers. III. 5. 35. ad Virgil. Æneid. VI. 687. 'Spectare' enim notat examinare, æstimare, et inde probare, de quo Servius ad Virgil. Æn. IX. 235. et Burman. ad eumd. Ecl. III. 48. *Arntz.*

Tunc mecum dixi] *Mecum dandi Mam.* Vet. scripturam, quæ in Vet. repræsentavi cum fide, eaque diu me multumque frustra fatigavit, donec tandem in Cuspin. inveni, *tunc mecum, Claudi Mamertine, &c.* Quod perspicue, et palmario verum est, nec longiorem orationem desiderat. *Livin.* Nomen *Claudi* facile in *dandi*, et deinde hoc, quia ineptum erat, in *dixi*, commutatum fuit. *Jæger.*

Huc usque non frustra] Sequor collocationem verborum, quæ est in cod. Bertin. Vulgo, *huc usque non frustra.* Prior illa melior lucidiorque mihi videtur. *Idem.*

Judicem] Vid. Barth. ad Claudian. Laud. Stilic. II. 124. *Arntz.*

CAP. XVIII. § 1 *Pectoris arcana*] Vid. cap. præced. init. *Arntz.*

§ 2 *Suspendisses*] Hoc loquendi genere sæpius antiquos fuisse usos, quam nos scimus, aut nobis imaginamur, scribit Grævius ad Auctor. ad Herennium III. 9. ita illud apud Ciceron. Tuscul. Quæst. II. 17. 'satisfactum iis sit,' recte tuetur Gronov. Observ. II. 2. quem etiam vide IV. 20. Ovidius Heroid. IV. 139. 'Viderit amplexos aliquis, laudabimur ambo.' Tibullus I. 7. 59. 'Adtigeris; labentur opes.' Gratius Cyneg. 454. 'Illum agat infandæ comes huc audacia culpæ, Discet.' Vide et illic Vlitium ad vs. 60. Lucanus Phars. VIII. 417. 'Hæreat Eoæ vulnus miserabile sortis.' Plura dabunt Freinshem. ad Curtium III. 12. 19. V. D. ad Ovid. Amor. I. 4. 29. Brouckhus. ad Tibull. I. 7. 43. Bentl. ad Horat. Sat. II. 6. 48. Oudend. ad Lucan. IX. 288. Gronov. ad Senec. de Benef. III. 33. Cortius ad Plin. Epist. I. 12. 8. et VIII. 6. 2. Longol. ad eumd. X. 82. 2. patruus meus ad Caton. Distich. IV. 41. *Idem.*

Artificii] Supra Eumen. Grat. Act. Constant. Aug. c. X. 3. 'Sine ullo artificio cito promere, quæ sperari diu debeant.' Vid. et Pacat. XIX. § 1. *Jæger.* Adde V. D. ad Pacati locum. De eo, quod contra Juliani mores hoc fuisse dicit, cf. infr. XXVI. § 3. *Arntz.*

§ 3 *Periculum commisisti*] *Remisisti* Vet. Bertin. Cuspin. Bene. Lege ad Eumen. Grat. Act. IX. § 4. *Livin.* Lege *remisisti,* noto jam usu, et significatu ejus verbi, Panegyr. Flaviens. nomine Constant. 'Has omnes difficultates, Imp., verecundiæ nostræ remisisti.' *Acidal.* Cf. notata ad Eumenii locum. *Arntz.*

Si præstare] Lege, *Imperator, quasi præstare dub.* Acidal. Præter necessitatem. 'Dubitat,' i. e. cunctatur, non vult 'præstare, qui in posterum tempus differt.' Vid. Senec. de Benef. II. 1. *Jæger.* Cf. supra ad Incert. Constantin. XV. § 4. Secutus sum interpunctionem, quam tacite

admisit Jægerus. Vulgo exstat, *Imperator, si præstare dub.* Arntz.

Quid inde fieret] In Vatican. prius erat, *quid me;* fortasse recte. Puteam. *Me fieret* duo membranacei. Nam vulgati, *quid inde fieret.* Gruterus. *Quid me* scripti codices. Supple *de me.* Vid. Donatum in Andr. IV. 2. 26. *Cellar.* Deest eleganter præpositio *de,* de qua ellipsi vid. quos laudat Burmann. ad Phædr. III. 20. 8. *Jæger.* Adde Taubman. ad Plaut. Mil. IV. 1. 26. Tursell. de Partic. p. 217. ed. Schwarz. Burman. ad Quinctil. Instit. I. 5. Ridicule in utraque Rivinus, *quid inde fieret.* Arntz.

Post repulsam] Quæ turpis judicabatur; sicque ipsam vocat Horatius Epist. I. 'Turpemque repulsam.' *Patarol.*

Continetur, gradus] *Quo amor continetur* Aldus. *Schonhov.* *Amic. continetur, amor,* Bertin. Cuspin. Præclare. *Livin.* Mœrl. et Gud. cum Rhenan. Stephan. Livin. *gradus;* quod corrigit Acidalius, legendo *nodus,* et deinde pro *polluitur, solvitur;* etsi non vere, tamen non inepte. *Jæger.* Plinius Paneg. LXII. § 4. 'quodque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus.' *Arntz.*

§ 5 *Molestius esse*] Nullam rem carius constare, quam quæ precibus sit emta, scribit Seneca de Benef. II. 1. quocum hunc locum contulit Schulting. ad D. de His qui not. inf. § 6. mox in fin. 'maximo vendit beneficium, qui preces accipit:' id itaque accipienti est molestum, unde Joann. Saresber. v. 10. 'bis enim emit, qui rogat.' *Idem.*

§ 6 *Denique*] Eam hic vim habet hæc particula, quasi diceret, *Adeo verum est, non molestius esse pecuniam, quam preces fundere, ut omnes in emendo videamus, &c.* Vid. Salmas. ad Flor. I. 16. 3. 'Omnium .... pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo: denique his floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi, Cererisque certamen dicitur.' *Jægerus.* *Denique* est, ut paucis dicam, ut brevis sim, de quo usu Tursellin. de Partic. p. 221. ed. Schwarz. Gothofred. ad Tertull. ad Nation. I. 4. Vorstius ad Sulpic. Sever. Hist. Sacr. I. 21. 3. Burman. ad Quinctil. Declam. I. 6. Oudend. ad Sueton. Aug. 23. Burman. Secund. ad Anthol. Latin. tom. I. p. 437. *Arntz.*

Repensandi] Cf. Muncker. ad Hygin. Fab. 106. in fin. *Idem.*

Certoque animo] *Certoque* est in Puteolan. quod tueri posset Cicero pro Quinct. cap. 24. 'animo certo, et confirmato me posse;' *et erecto* ex Cuspin. habet Paull. Stephanus; *erectoque* dedit Gruterus, et sequentes præter Rivinum in pr. qua Puteolanam lectionem expressit, quam in sec. in *erectoque* mutavit. Plinius Paneg. LXX. § 3. 'erexitque animos ad æmulandum:' ubi Schwarz. cap. LXXXV. § 3. 'neque est ullus adfectus tam erectus, et liber.' Cicero de Senect. 20. 'alacri animo et erecto.' Tacit. Hist. III. 65. et Annal. III. 7. ubi Ernestius: cum ψυχῇ εὐοδουμένῃ comparat Pricæus ad Joann. Epist. III. vs. 2. 'erectam circa studia mentem' dixit Quinctil. Instit. I. 3. adde Burman. ad Vell. II. 41. 1. Oudend. ad Hirtium B. Afric. 10. 4. Mencken. Observ. L. L. p. 328. 'erigere animum' est apud Curtium IV. 7. 1. et X. 6. 20. Ruhnken. ad Rutil. Lupum p. 52. 'excelsum' dixit Cicero Offic. II. 10. 'excelso animo magnoque despiciunt.' *Idem.*

Adlegant] Simile quid est in Paneg. Eumenii Flav. nom. cap. 9. *Patarol.* Homer. Iliad. I. 498. sq. Καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, Χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ. Seneca de Benef. II. 2. 'Molestum verbum est, onerosum, et demisso vultu dicendum, *Rogo.*' Vid. et Eumen. Grat. Act. cap. IX. *Jægerus.* Senecæ locum cogitasse videtur Joan. Saresb. Policr. v. 10. 'Verbum vere-

cundum, supplici, ac submissa voce dicendum, *Rogo*. Arntz.

In genua submitti] Infra XX. § 4. 'Demissi, jacentesque vix capita supra eorum, quos precabantur, genua tollebant:' aut 'genu adtollebant.' Adde Omeis. ad Juvenc. Hist. Euang. I. 785. cum πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον apud Lucam Euang. V. 12. hunc locum contulit Pricæus. *Idem*.

Ex animi] *Animi mei* Bertin. *Livin*. Non male. Cicero de Offic. III. 29. 'quod ex animi tui sententia juraris.' Orator. II. 64. 'Ex tui animi sententia tu uxorem habes: Non hercule, inquit, ex mei animi sententia.' Vulgatum tamen tuetur notata a Cortio ad Sallust. Cat. LI. 5. *Arntz*.

Maximo vendit] Videtur noster sententiam hausisse ex Seneca, cujus verba de Benef. II. 1. 'Nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est.' *Patarol*. Guelf. *vendat*. Forte librarius *loquar* pro futuro, et *ex animi sententia loquar* pro parenthesi habuit, quo *vendat* ad ut retulit. Eumenius Grat. Act. IX. § 2. 'Vera beneficia, quæ non precibus efflagitata, sed ex voluntaria tua bonitate proveniunt.' Ubi Baune et Patarol. *Arntz*.

CAP. XIX. § 1 *Centuriatis*] Erant ex cæteris numerosiora; omnis enim ætatis ac census cives in iis suffragia ferebant, ad creandos maximos magistratus, inter quos etiam legumlatores, teste Dionysio Halicarn. lib. X. 'Centuriata' ideo dicta, quod ad eadem populus per centurias vocabatur. In centurias autem divisus fuerat a Romulo primum, mox a Servio, juxta rationem census, sed et juxta eandem census rationem quælibet centuria subdivisa etiam per ætatem, ita ut nonnullæ census ejusdem 'centuriæ juniorum,' 'seniorum' aliæ dicerentur. Vide plura apud Livium lib. I. et Halicarnassæum lib. IV. *Patarol*.

Consul creatus] Guelf. *consultatus*: utrum in eo latet? 'consul salutatus essem.' Ita 'salutare regem' pro nominare est apud Curtium IV. 1. 22. Justinum I. 10. 9. et II. 2. 2. Valer. Max. VII. 3. ext. 2. quamvis in his locutionis ratio possit esse in adorationis more, et venerationis indiciis, ut 'salutare Deos' non numquam occurrit, quæ in Coss. deerat. *Arntz*.

Gloriosus] In Guelf. est *glorius*, quod, scripturæ compendio, Rhenani conjecturam confirmat, quæ tamen in Puteol. jam exstitit. Cf. Pricæus ad Epist. II. Paulli ad Timoth. III. 2. *Idem*.

Viderer] In Rhenan. hæc est interpunctio, *viderer*, *minime? Siquidem*, *&c.* quam recte ita mutant Schonhovii excerpta, *viderer? minime. Siquidem*. Idem.

Divisorum] Inepte *diversorum* est in Vet. Sunt enim 'divisores,' qui pronunciatas a petitoribus pecunias viritim per tribus dividunt, ut notum. *Livin*. Suetonius Aug. c. 3. 'inter divisores operasque campestres' esse. Vide ibi Torrent. *Cellar*. Qui pecuniam in populum, nomine candidatorum, erogabant. Quæ quidem pecuniæ dispensatio non omnino vetita Romæ, si modum servasset legibus præstitutum, quem si excederet, jure damnabatur. Genus hoc ambitus suis temporibus exercitum sine pudore, auctor est Plutarch. in Caton. Uticens. et in Cæs. Exaggerat et Lucanus lib. I. 'Rapti pretio fasces, sectorque favoris Ipse sui populus, letalisque ambitus urbi.' *Patarolus*. Fuerunt hi inter operas campestres in comitiis, et fortassis iidem, qui 'diribitores tabellarum.' Sic certe Ausonius Grat. Act. V. § 2. 'cum diribitore nil pepigi.' Multi tamen eo loco legunt 'cum distributore.' Per eos vero tribus pecunia solebat corrumpi. More suo, id est, omnium optime de iis exposuit Ernestius in Clav. Ciceron. v. 'Divisor.' Cod. Gud. inepte habet *diversorum*. Jæger. Cicero pro Planc. 19. 'per quem sequestrem, quo divisore corrupta (tri-

bus) sit.' *Arntz.*

Lucellorum præstigiæ] *Luculorum præst.* est in Vet. Juvem ego, et rescribam *loculorum*, meo animo, vere. *Livin.* Alii legunt *loculorum*, quemadmodum et apud Auson. Paneg. c. v. *Patarol.* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Gruter. Parisin. prior. Patar. *lucellorum*; Gud. et Mœrl. *lucullorum*; cod. Livin. *luculorum*, pro quo Livineius, ingeniosa emendatione, rescribit *loculorum*. Lectionem sic emendatam recepit Baunius, eumque cum Cellario et nos sequimur. 'Loculi' dicuntur cistæ, seu sitellæ, in quas tabellæ conjiciebantur, ut hac ratione dirimi suffragia, et numerari possent. Qua in re, quamquam adpositi erant custodes, fraudem intercedere potuisse, sine dubio intelligitur. *Jæger.* Recte sentiunt, qui vocem de cistis interpretantur, in quas suffragiorum tabellæ conjiciebantur. Sisennius Fragm. Histor. apud Nonium de Propriet. Serm. II. § 176. 'cistæque, quæ erant legum ferendarum gratia paratæ, defecerant.' Plinius H. N. XXIII. 11. Nummum de eo exstare apud Liebe Goth. Numism. p. 224. ex Grunero didici, Introd. in Antiq. R. part. III. c. 6. § 8. in Not. Erant autem ad pontem positæ, quem transibant suffragia laturi, quo spectat difficilis locus Auctor. ad Herennium, II. 12. 'Majestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo constat: quæ sunt ea? quæ capiunt suffragia populi, et magistratus consilia. Nempe igitur tu et populum suffragio, et magistratum consilio privasti, cum pontes disturbasti.' In quibus 'ea quæ capiunt' spuria habet Grævius, totam vero periodum, 'quæ sunt ea? quæ capiunt,' Oudendorpius; cum tamen hæc constanter servent codd. mutato interrogationis signo, legerim, 'quæ sunt ea, quæ capiunt?' id est, tollunt, auferunt, quibus populum privant, ut apud Pacatum Paneg. XII. § 4. 'cupiditas privata capiendi,' quamvis illic 'rapiendi' emendaverit Juretus, quod in Vet. Puteani legitur, et edi solet, de quo vid. Cortius ad Sallust. Catil. v. 6. male tamen Mamertinum pro Pacato citans. Quod vero propius hunc locum tangit, *loculorum* ex Livineii conjectura primus in textu recepit Baunius, cum priores edd. etiam antiqua Puteol. *lucellorum* exhibeant, quod postea iterum revocavit Patarolus, eum Baunium secuti sint Cellarius et Jægerus, Ausonii auctoritate muniti. Si tamen codd. in *lucullorum*, aut *luculorum*, et edd. veterum in *lucellorum*, consensum considerem, fit mihi verisimilius nostrum scripsisse *locellorum*, quod eadem libertate recepi, qua alii in Livineii conjectura sibi sumserunt. Martialis XIV. 13. 'Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli, Munus erit, nihil est, ipse locellus erit:' de quo loco cf. De Rooy Animadv. Critic. p. 250. Idem Martial. X. 88. 'Omnes persequeris prætorum, Cotta, locellos.' Saxo Grammat. Hist. Danic. I. p. 17. 'Æra aliena sequi locello:' ubi Stephanus; simili modo in suffragiorum caussa cistellam dixit Auctor ad Herenn. II. 12. usus vero hac voce videtur Mamertinus, quia 'loculi,' vel 'locelli' privatæ, et præsentis erant pecuniæ conditoria, ut apud Horat. Sat. I. 3. 17. Sueton. in Galb. 12. idem itaque, quod γραμματεῖον dixerunt Attici, de quo Salmasius de Mod. Usurar. p. 422. emtæ igitur numis suffragiorum tabulæ instar erant depositæ in loculis pecuniæ. Ceterum Puteani notam ex edit. Paris. dedi, sed in excerptis penes me Mss. ex Vet. et Vatic. notatur *luculorum*, ut est in Vet. Livineii. *Arntz.*

Operarum] Cicero pro Milon. c. 9. 'Ubi vidit (P. Clodius) homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem; idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffra-

giis P. R. sæpe esse declaratum: palam agere cœpit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes, et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse.' Velleius Paterc. II. 47. 'In gladios, cædesque civium furente ambitu, cujus neque finis reperiebatur, nec modus, tectius consulatus soli Cn. Pompeio... delatus est.' Plutarch. in Cat. Min. p. 1434. H. Stephan. Ἐπεὶ δὲ Σκιπίωνος, καὶ Ὑψαίου, καὶ Μίλωνος ὑπατείαν μετερχομένων, οὐ μόνον ἐκείνοις τοῖς συντρόφοις ἤδη καὶ συμπολιτευομένοις ἀδικήμασι, δωροδοκίαις καὶ δεκασμοῖς, ἀλλ' ἄντικρυς δι' ὅπλων καὶ φόνων εἰς ἐμφύλιον πόλεμον ὠθουμένων, τόλμῃ καὶ ἀπονοίᾳ, κ. τ. λ. *Jæger.* A Jægero collatis similis est Appiani locus Bell. Civil. II. p. 724. Αἵ τε γὰρ ἀρχαὶ κατὰ στάσιν, ἢ δωροδοκίαν, σπουδῇ τε ἀδίκῳ καὶ λίθοις ἢ ξίφεσι καθίσταντο, καὶ τὸ δεκάζειν ἢ δωροδοκεῖν ἀναισχύντως τότε μάλιστα ἐπλεόνασεν· ὅ τε δῆμος αὐτὸς ἔμμισθος ἐπὶ τὰς χειροτονίας ᾔει. Sallustius Catil. XLIX. 'Opifices, atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio remp. vexare soliti erant.' Quocum hunc quoque locum contulit Wasseus. Adde Gronov. Obs. III. 11. Suetonius August. cap. 3. 'Inter divisores, operasque campestres:' de quo Ernesti Clav. Ciceron. v. 'Divisor.' *Arntz.*

§ 2 *Plures enim quem*] *Plures, id est quem* Vet. Rhenan. Aperte probum. Sed in Cuspin. repperi, *quem plures i. quem, &c.* per notam, et compendio. A quo quantum abest *n?* Id *enim* valet. Unde hic error in exemplari nostro. *Livin.*

Priores probarunt] *Pejores* etiam Rhenanus legendum conjecerat, quod Vet. Bertin. Cuspin. confirmant, spectantque huc Plinii hæc Epist. II. 12. 'Sed hoc pluribus visum est. Numerantur enim sententiæ, non ponderantur. Nec aliud in publico consilio fieri potest, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa; nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est.' *Livin.* Illustrat hæc Livineius ex Plinio; addi potest Seneca de Vit. Beata, c. 2. 'Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est.' Cf. Interprett. ad Terent. Eunuch. Prolog. vs. 1. et 2. *Jæger.* Plinii apud Livineium sententiæ convenit, quod de testibus tradit jurisconsultus in L. 21. D. de Testib. 'Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testium fidem;' quo etiam loco usus est Joann. Saresber. Policr. v. 14. *Arntz.*

Gabinios designatos] Puto *Vatinios.* Lipsius, Epistol. Quæst. III. 24. *Gabinios* non damnem; non; sed verisimile mihi cum Catone competitorem commissum, qui profecto *Vatinius.* Seneca libello, 'Quod in sapientem non cadit injuria,' c. 1. 'Nuper cum incidisset mentio Catonis, indigne ferebas, quod Catonem ætas sua parum intellexisset, quod supra Pompeios et Cæsares surgentem infra Vatinios posuisset,' &c. Rursum de Divin. Provid. cap. 3. 'Quod ad Catonem pertinet, summam illi felicitatem contigisse consensus hominum fatebitur, quem sibi rerum Natura dilegit, cum quo metuenda collideret. Inimicitiæ potentum graves sunt? Opponatur simul Pompeio, Cæsari, et Crasso. Grave est a deterioribus honore anteiri? Vatinio postferatur.' Adde Valer. Maximum VII. 5. *Livin.* In eadem quoque est sententia Bongarsius, qua Livineius: ac suspicatur posse substitui *Gabiniis Vatinios*, et opponuntur sane passim, ceu composita paria, 'Vatinii' ac 'Catones,' non 'Gabinii.' *Gruterus.* Lege *Vatinios design.* Acidal. *Vati-*

nios Lipsius, et doctissimus quisque legunt, quia Vatinius, non Gabinius, in prætura Catoni prælatus fuit. Plutarch. in Catone Minor. p. 779. Valer. Max. VII. 5. Senec. de Provid. c. 3. *Cellar.* Malunt alii legere *Vatinios*, Vatinium illum intelligentes, qui prælatus est Catoni, 'maximo comitiorum crimine,' inquit Valer. Maxim. VII. 5. At quis expungat *Gabinios?* Gabinii descriptio peti potest ex Tullio Orat. pro P. Sextio, et de Provinc. Consul. Et quidem nostrum generaliter potius loqui credam, et *Catones* pro viris bonis, *Gabinios* pro pessimis usurpare. *Patarol.* Sine controversia historiæ congruentior est lectio, quam in textum recepit Cellarius, *Vatinios.* Etsi enim A. Gabinius, Pisonis in consulatu collega, vir pessimus fuit, et flagitiis contaminatissimus; vid. Ciceron. pro Sext. c. 8. et 9. tamen non ita apte componitur Catoni, quam Vatinius, præturæ competitor, cujus itidem scelera, et turpitudinem vitæ commemorat Cicero Orat. in eum habita, et alibi. Verum, cum scriptores memoriæ vitio nonnumquam labantur, præsertim illi, qui sequioris sunt ætatis, in rebus vetustis, nolui mutare scripturam omnium librorum. Sic Mamertin. Panegyr. Genethl. Maximian. XIX. § 5. rostra fori Rom. in Campo ponit: sic rostra illa Carthaginiensium navibus ablata fuisse quidam tradiderunt. Vid. Schwarz. ad l. c. Mamertin. Sapienter Ernestius Excurs. XXIV. ad Sueton. Neron. c. 17. 'Mihi,' inquit, 'ridiculum videtur, dici, Suetonium in his peccasse memoriæ lapsu. Etenim si quis scriptor alius generis, orator, philosophus, aut poëta, qui obiter rem talem, tanquam exempli causa, attingeret, ἁμαρτήματος μνημονικοῦ argueretur, ferri posset hæc reprehensio. Nam his non necessaria est maxima diligentia, iique exempla fere e memoria depromunt. Itaque videmus, et concedimus, eos interdum memoria lapsos in nominibus locorum, hominumque, in numeris,' &c. Cf. supra Nazarii Paneg. Constantino Aug. XI. § 5. *Jægerus.* Guelf. etiam *Gabinios*, quod contra omnes codd., sola Lipsii auctoritate, cum Cellario mutare non audeo. Memoriæ vitio labi potuit Mamertinus, a quo neque alii sunt absolvendi, ut docet Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. p. 657. Staver. ipse Justinianus in Novell. LXXVIII. 5. Antoninum Pium pro Caracalla nominat; neque tamen huc retulerim Novell. XXII. 43. tamquam memoriæ vitio Julium Miscellam legis auctorem habuerit, cum Imperatoris caussam egregie sit tuitus Bachius in Opusc. p. 191. Mihi tamen hoc loco magis placet Pataroli interpretatio, cum Gabinium etiam 'hominem ignotum, et sordidum' dixerit Cicero de Legib. III. 16. et contra idem de Amicit. 6. 'virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones:' idque confirmare videtur elegans pluralis numeri usus in hominum vitiis, aut virtutibus significandis. Infr. XX. § 1. 'Manilios, Scævolas, Servios,' pro juris peritissimis. Pacatus Paneg. VII. § 4. 'Syllas, Catulos, Scipiones loquor:' et IX. § 5. 'agrestes Curii, sic veteres Coruncanii.' Joann. Saresber. Prolog. lib. I. 'Quis enim Alexandros sciret, aut Cæsares.' Adde ad Mamertin. Maximian. II. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Debent recordari*] *Debet record.* est in Cuspin. non *debent*, utrumque falso, et ab ignoratione curtæ scripturæ. Nam *d̄et* in exaratitiis libris et *debet* et *dent* valet. *Livin.* *Dent recordari* pro faciant recordari, in memoriam revocent, ita dicitur, ut Horat. Epist. I. 16. 61. 'Da mihi fallere, da justum, sanctumque videri.' Seneca Med. vs. 32. 'Da, da per auras curribus patriis vehi.' Ovid. Met. XIV. 695. 'Mihi multa vetustas Scire dedit.' Pro verbo nomen posuit Ci-

cero Epist. ad Divers. v. 13. 9. 'Das mihi jucundas recordationes conscientiæ nostræ, rerumque earum, quas te inprimis auctore gessimus.' *Jæger.* Similia dedi ad Sedul. Carm. I. 65. Wopkens. ad eumd. IV. 282. ad Arator. I. 118. Reusch. ad Juvenc. I. 274. *Dent* etiam Guelf. et ed. Puteol. Livineii *debent* prætulit Paull. Stephanus. *Arntz.*

§ 4 *Ex aulicis*] Plinius Paneg. LXXXVIII. § 1. 'Plerique Principes, cum essent civium domini, libertorum erant servi. Horum consiliis, horum nutu regebantur; per hos audiebant, per hos loquebantur; per hos prætura etiam, et sacerdotia, et consulatus, immo et ab his, petebantur.' *Jæger.*

Eum adsiduis] Vitiose Cuspin. et Schonhov. *cum adsiduis.* Ante *eum* deest vox *ita*, quæ in hac verborum constructione alias adhibetur, e. g. Seneca de Constant. Sapient. c. 11. 'Ut quisque contemtissimus, et ut maxime ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est.' Vid. Cort. ad Sallust. Jugurth. XXXI. 14. *Jæger.* De ellipsi τοῦ *ita* post *ut* exempla dederunt Torrent. ad Valer. Max. IX. 8. 1. Drakenb. ad Livium IX. 17. 4. et XXXIV. 9. 10. *Arntz.*

Emerebantur] Forte legendum *demerebantur*. Ritters. Sic dedit Patarol. Potest tamen et vulgata se tueri. Nam *emerere* pro demerere dici ostendit Heins. ad Ovid. Ep. Heroid. VI. 138. *Jæger.* Ante Patarolum *demerebantur* jam dederat Cellarius, quod propter *adsiduis obsequiis* defendi posset, cum *de* in compositis augeat, ut docet Bernartius ad Stat. Theb. I. 2. Schulting. ad Senecæ Controv. v. p. 298. sed nihil est necesse, cum 'emereri' vel pro maxime mereri, vel pro simplici possit accipi, quod observat Drakenb. ad Livium XXXII. 2. 3. in compositis enim *e* æque atque *de* augere observavit Noodtius ad D. de His qui not. inf. Velleius II. 66. 1. 'quam quid emeruissent:' ubi in quibusdam quoque 'demeruissent.' Cf. Heinsium ad eumd. c. XI. 2. et CXXVII. 1. Valer. Max. IV. 1. 6. 'Tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum gesserat in emerendis.' v. 2. ext. 4. 'Quos juvandi, et emerendi cupiditate flagrabat.' Ovidius Heroid. VI. 138. 'Crimine dotata est, emeruitque virum:' ubi in quibusdam quoque 'demerui.' Consule Heinsium ad eumd. Art. II. 252. Muncker. ad Lactant. Placid. Narrat. Fabul. 10. Drakenb. ad Silium VII. 19. et XI. 464. Burman. ad Nemesian. Cyneg. 145. ad Quinctil. Instit. X. 1. ad Lucan. I. 356. et Burman. Secund. ad Anthol. Latin. tom. I. p. 133. Nostro fere convenit Joann. Saresb. Policr. III. 10. 'Romanus omnis adulatione corrumpitur, aut corrumpit. Certe si non verbis, possunt omnes fraudulentis muneribus expugnari.' *Arntz.*

§ 5 *Sed mulierculas*] Supra X. § 1. 'non privatas ædes, sed publica tecta:' ubi vide adnotata. *Jæger.* Ellipsin τοῦ *etiam* eo loco probari posse non puto, sed certiora protuli ad XIII. § 3. *Exambibant* recte ad archaismos refert Rittershus. infr. XXIII. § 3. Pacatus Paneg. XI. § 2. 'et tamquam tentaret, ambibat.' Cf. Servium ad Virgil. Æn. VI. 468. Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. p. 609. ed. Stav. Cortium ad Sallust. Catil. LXI. § 8. et quæ dixi ad Arator. Act. Apost. I. 487. Nostro convenit Joann. Saresber. locus III. 13. init. 'Qui (adulator) nihil aliud quærit, nisi ut placeat. Si potest, per se: sin autem personam suppositam, quærit uxorem forte, aliamve conjunctam vel jure, vel affectione.' Ubi legendum puto, 'sin autem per personam,' nimirum quærit, ut placeat. *Arntz.*

Spadones quoque] Quorum in pluribus magna erat apud quosdam Imperatores auctoritas. Ammian. Marcell. XIV. 11. 'Adcessere spadones,

quorum ea tempestate plus habendi cupiditas ultra mortalem modum adolescebat, inter ministeria vitæ secretioris, per arcanos susurros nutrimenta fictis criminibus subserentes.' XVIII. 5. 'Invenit tandem ansam nocendi fortissimo viro, auctore et incitatore cœtu spadonum, qui feri, et acidi semper, parentesque necessitudinibus ceteris, divitias solas, ut filiolas jucundissimas, amplectuntur.' Cf. Retesium Excurs. Analect. III. tom. v. Thes. Otton. p. 1285. *Idem.*

A consortio] Hunc locum adhibuit Markland. Epist. Crit. p. 103. ut Salmasii emendationem tueatur apud Apul. de Deo Socrat. p. 296. ed. Colv. 'Qui vero propter adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus in terra vagatione, ceu quodam exsortio punitur.' Ubi vulgo legitur, 'exsilio punitur.' *Idem.*

Naturæ origo] Duplex nostro spadonum genus signatur: sed Lotichius in Petron. tertium addit, singulaque gemino carmine complectitur: 'Castratos natura facit; violenta spadones Mangonum improbitas; eunuchos sola voluptas.' *Patarol.* Matth. XIX. 12. Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω· καὶ εἰσὶν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων· ubi vid. Interprett. item L. 128. D. de V. S. 'Spadonum generalis appellatio est: quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ, sed et si quod aliud genus spadonum est, continentur.' Vid. et ejus Tit. explicatores. *Jæger.* Uno 'spadonum' vocabulo quoscumque intellexisse Mamertinum, procreationi minus utiles, adeoque etiam castratos, sequentia docent. Id recte fieri negavit Ferrand. Adduens. Explicat. II. 19. sed contra docuit Riccius, Vindic. Jur. cap. 4. Oisel. ad Caii Instit. I. 5. 3. in diverso enim horum hominum jure demum sunt distinguendi, ut in L. 39. § 1. D. de Jur. dot. quo 'castrati' dicuntur, quibus omnis in perpetuum generandi est ademta potestas. Glossæ Nomicæ: Καστράτωρ· εὐνοῦχος· ubi Καστράτος emendat Labbæus; sed ν insertum ex recentioris ævi more recte tuetur Rover. Emend. ad Gloss. Nom. p. 91. 'Spadones' vero sunt, in quibus quidem vitium procreationi obstat, sed quod tempore, aut cura tolli potest. Iterum Glossæ Nomicæ: Σπαδόνες· οἱ ψύξιν τῶν γονίμων μορίων ὑποστάντες· et Theophilus ad § 9. I. de Adoption. adde Curtium Εἰκάστων I. 37. Torsit vero quosdam Justiniani locus, § 9. I. de Adoption. 'ii, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt:' ubi Petitus Observ. II. 6. emendandum censuit, 'generare nunc non possunt;' Gothofredus autem ad L. 2. § 1. D. de Adoption. 'nondum possunt;' quod in membranis a se quoque repertum testatur Riccius Vind. Jur. 4. sed emendatione opus non esse melior ostendit interpretatio, quam dederunt Ferrandus Adduens. d. l. et Schultiug. ad Πρῶτα D. de Adopt. § 6. *Arntz.*

Cladis corporis] Claudiani versus pulcherrimos e. I. in Eutropium ascribam: 'Illas præterea rerum Natura creavit, Hos fecere manus, seu prima Semiramis, astu Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ Mollities, lævesque genæ se prodere possent, Hos sibi conjunxit similes, seu Parthica ferro Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram. Servatoque diu puerili flore coëgit Arte retardatam Veneri servire juventam.' *Livineius.* Hoc 'damnum amissi corporis' dixit Phædr. III. 11. 3. ubi Gudius; quibus autem modis hoc fecerint, tradit Barthius ad Claudian. in Eutrop. I. 47. *Arntz.*

§ 6 *Veterum nomina*] Posteri clarorum virorum, antiquis nobilibus orti. Vid. Vechner. Hellenolex. II. 8. p. m. 527. sq. itemque Acidal. et Gruter. ad Vell. Paterc. II. 69. Arn-

tzen. ad Pacat. c. IX. 5. *Jæger.* Pro veteribus, eadem periphrasi, quæ notata est supr. VI. § 2. adde patruum meum ad Caton. Distich. IV. 47. *Arntzenius.*

Cohorte Imperatoria] Hanc Sueton. Galb. c. 7. 'cohortem amicorum' nominat. Add. Torrent. ad Horat. Epist. I. 8. 2. *Jæger.* Hinc 'aulæ perfidiam' plures tribuunt, de quo Weitzius ad Valer. Flacc. VII. 102. Lucanus VIII. 493. 'Exeat aula Qui velit esse pius: virtus, et summa potestas Haud coëunt:' quo etiam loco in simili re usus est Joann. Saresber. Policr. v. 10. et VIII. 17. *Arntz.*

Et improbissimum] Mira lectio, quæ in Vet. *et probissimum adul.* Et fallor? an germanum, quod Bertin. præfert, *probrosissimum.* Livin. Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. *improbissimum.* Mœrl. *probrosissimum:* recte. Ex hoc natum *probissimum,* quod deinde mutatum a correctore in *improbissimum.* Lectionem nostram inde a Gruter. præferunt edd. omnes. *Jægerus.* Retinuit tamen pristinam lectionem Rivinus; in Guelf. est *etiam probrosissimam,* quod restitui, et sententiam intendit. Cf. ad Eumen. Grat. Act. VII. § 2. *Arntz.*

Adulabant] *Adorabant* forsan. *Schenhov.* Vetuste dixit, ut Ausonius in Gratianum: 'Tribus non circuivi, centurias non adulavi.' *Livin.* Verbum active usurpatum rari exempli est. *Patarol.* Mœrl. habet *adulabantur.* Sed nihil est mutandum. Nam et 'adulare' recte dicitur. Cf. Voss. de Analog. III. 7. *Jæger.* Antholog. Latin. IV. 267. 'Cumque pater, materque Deos pro me adularent:' quod ad archaismos jure refert Rittershusius infr. XXIII. § 3. alia habent exempla Barthius ad Stat. Theb. IX. 324. Pricæus ad Apuleium Metam. v. p. 278. V. D. ad Valer. Max. III. 4. 3. Withof. Specim. Gunther. p. 157. passivum Ciceroni solet tribui, de Offic. I. 26. 'ne adsentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus:' posteriora pro glossa habet Gruterus, et Heuman. Parerg. 49. forte ut passivi usus evitetur, quod commodius fieri posset, si, quod placere Wopkensio memini, legatur, 'adulari hos sinamus.' Simili modo occurrit 'abomino' apud Plaut. Trinum. III. 2. 82. aliæ Gothofred. ad Tertull. ad Nation. I. 3. adde supr. VIII. 3. *Arntz.*

§ 7 *Qua sacra, qua profana*] Minus recte. *Jæger.* Plautus Milit. IV. 2. 20. 'Qui consectare, qua mares, qua feminas:' ubi plura Taubman. Propertius II. 13. 46. 'Qua tibi terra velim, qua tibi fiat aqua:' ubi Burman. Cicero ad Attic. IV. 19. 'qua dominus, qua advocati.' IX. 14. 'qua itineris, qua navigationis.' Aliis parco, quæ larga manu dederunt Tursellin. de Partic. p. 809. Heinsius ad Valer. Flacc. v. 85. Savaro ad Sidon. Epist. II. 2. Cortius ad Plinii Epist. VI. 28. 1. et IX. 2. 2. Rittershus. ad eumd. x. 18. 2. Drakenb. ad Livium II. 35. 4. Gebhard. ad eumd. II. 45. 3. Nostro suffragatur Joann. Saresber. Policr. v. 16. 'concussores mihi potius videor videre, quam judices, ac si ad hoc solum dati sint, ut provinciam spolient.' *Arntz.*

Studium] Nota insignem locum de causis, ex quibus rectorum studiorum interitus oriri solet: et confer Dialogum Quinctiliani de Causis corruptæ eloquentiæ, qui vulgo Tacito adscribitur. Confer item Petronium Arbitrum initio Satyrici. *Ritters.* Finem huic capiti Gruterus, et qui eum sequuntur, constituunt in voce *studium:* mihi vero τὸ *munientes* terminum ponendum, et ab *Itaque nullum, &c.* novum caput ordiendum esse videtur. *Jæger.* Clariss. Jægeri judicium secutus ordinem mutavi. *Arntz.*

CAP. XX. § 1 *Manlios*] Vet. *Manilios:* optime. *Puteanus.* Manlium Torquatum Valer. Maximus v. 8. 'præter egregia multa (sic lego, non

'propter') raræ dignitatis,' juris quoque civilis, et sacrorum pontificalium peritissimum fuisse refert. Itaque nihil mutem. *Mallios* tamen est in Vet. quod non excuso. Vidi etiam, qui *Manilios* mallet, qui et ipsi jureconsulti. *Livin.* T. Manlium intelligit, puto, de quo mentio apud Valer. Maxim. v. 8. et Ciceron. de Finib. lib. I. Ipsum inter eos, qui jus civile fundaverunt, enumerat Pompon. de Orig. Juris. *Patarolus.* Arntzenius ad Dissert. Arnaldi de Vit. Scævol. p. 23. probat ex Vossii excerptis *Manilios:* de quo Valer. Max. v. 8. 3. *Bibliotheca Critica*, vol. II. part. I. p. 34. De M' Manilio jurisconsulto consuli potest etiam Ernesti Clav. Ciceron. h. v. *Jæger.* Ex Putean. reddidi *Manilios*, quam quidem lectionem ad Arnaldi Scævol. p. 23. Vossianis excerptis adscripsi, sed postea quibusdam exceptis, solas ex Puteaneo variantes continere deprehendi. In Acidalii nota nihil est, ex quo liqueat, ipsi quoque, ut testatur Baunius, *Manilios* placuisse, quamvis ita legatur in vocibus, ad quas nota illa refertur, cum tamen in ed. ex qua sunt descriptæ, *Manlios* exstat. Præterea hic potius M' Manilium, quam T. Manlium esse intelligendum, ex ipsius consulatu d. l. evici; jam addo eum cum Mucio Scævola 'jus civile fundasse,' teste Pomponio in L. 2. § 39. D. de O. I. quod perperam ad T. Manlium refert Patarolus; porro hoc confirmatur propter libros, quos de jure civili scripsit, ejusque insignes de juris quæstionibus sententias, quarum fragmenta adcurate exposuit Maiansius Fragment. Jurisconsultor. tom. I. p. 114. sqq. deinde, quia non parva ejus in consulendo fuit auctoritas, de qua inprimis videatur Cicero de Orat. III. 33. et denique ad id me ducit addita Scævolarum mentio, quibuscum sæpe jungitur. Cicero de Orat. I. 48. 'Ex eo genere S. Ælium, M' Manilium, P. Mucium nominarem:' ubi in quibusdam male legitur 'M. Manilium.' de Finib. I. 4. 'Disseretur inter principes civitatis, P. Scævolam, M' Manilium.' Pro Cæcin. 24. 'Si aliter pronunciatum est, ac Mucio placuit, quam ex eorum auctoritate, si, ut Manilius statuebat, sic est judicatum:' ubi Grævius. Bruto 28. 'P. Scævola valde prudenter et acute. .... Nec multo minus prudenter M' Manilius:' ubi iterum male editur 'M.' et ad Divers. Epist. VII. 22. 'M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scævolæ, et Testæ adsentior:' ubi recte 'M' Manilium' volebat Manutius. De pluralis in 'Manlios,' &c. usu dixi supr. XIX. § 2. Est vero similis comparatio apud Ammian. Marcell. XXX. 4. 'Apud Romanos Rutilii, et Galbæ, et Scauri, ... Crassi et Antonii, et cum Philippis Scævolæ .... civilibus stipendiorum officiis floruerunt, laureasque fori speciosis certaminibus occupantes summis gloriæ honoribus fruebantur. .... Ac nunc videre est .... rapacissima genera hominum per fora omnia volitantium,' &c. *Arntz.*

Scævolas] Scævolam, et Servium Sulpicium passim laudat Cicero. *Cellar.* Scævolæ nomine non unus legitur inter jurisconsultos. P. Mutius apud Pomponium, et Plutarch. in Sylla. Mutius, ejusdem filius, apud Ciceron. Philipp. x. *Patarol.* Intellexisse mihi videtur Mamertinus utrumque Scævolam, P. Mucium, P. Mucii filium, qui cum Calpurnio Pisone, a. DCXX. Cos. fuit, ejusque filium Q. Mucium, a. DCLVIII. Cos. Illum haud dubie intellexit, tum propter insignem in jure peritiam, qua eum M' Manilio etiam jungit Cicero de Orat. I. 48. tum propter varia ipsius de juris quæstionibus responsa, quæ exposuit D'Arnaud in Vit. Scævol. § 17. sqq. et Maiansius Fragment. Vet. Jurisconsultor. tom. I. p. 166. denique quod cum Manilio

'jus civile fundasse' dicitur in L. 2. § 39. D. de O. I. de quo dixi ad Arnald. d. l. p. 47. De filio autem confer D'Arnaud. d. l. § 27. et Maiansium p. 169. *Arntz.*

Servios] Cf. D'Arnaud. Vit. Scævol. p. 104. Bachium Hist. Jurispr. p. 249. *Idem.*

Evexerit] Ita libri edd. fere omnes. Sed jam Rhenanus in ora adnotavit *evexerat*, quod receptum est a Patarolo. *Evexit* etiam habet Mœrl. Τὸ *evexerit* manifesto vitiosum est. Puto scriptum esse pro *evexerat*, et postea mutatum in *evexit;* quare illud recipio. *Jæger.* In libris omnibus est *evexerit*, sed Jægerus correctionem veram aliorum *evexerat* recepit. *Bibliotheca Critica*, vol. II. part. I. p. 34. Guelf. *evexerit.* Quam Vossii excerptis lectionem adscripsi ad Arnaldi Vit. Scævol. p. 23. jam, meliora edoctus, ex Puteanei cod. variantem esse deprehendi. Jægerum autem in *evexerat* sequor. 'Amplissimus dignitatis gradus' est consulatus; ita 'amplissimum magistratum' a prætura, et ædilitate distinguit Pacatus Paneg. VII. § 2. Idem XXVIII. § 4. 'Post amplissimos magistratus, et purpuras consulares.' Noster supr. II. § 4. 'qui amplissimo sit præditus magistratu:' nulla itaque de eo dubitandi ratio fuit Bannio infr. XXVII. § 4. cum ipse Mamertinus XXX. § 2. 'sedile dignitatis amplissimæ' adpellet, quas modo 'lecticas consulares' dixerat. Consulatu autem ornatos fuisse Scævolas, et Servium, ex præcedentibus liquet, de M' autem Manilio probat Maiansius ad Fragm. Vet. Jurisconsultor. tom. I. p. 115. *Arntz.*

Libertorum] Mœrl. *libertinorum*, multo rectius; nam hic non agitur de relatione libertorum ad patronum, quare illud recipio. *Jægerus.* Sunt, qui distinguant, ut 'libertus' fuerit ipse manumissus, tamquam voce contracta ex 'liberatus,' ut putat Dempster. ad Rosin. I. 20. 'libertinus' vero liberti filius, quam distinctionem ad Appii tempora durasse contendunt. Verior tamen est ratio, ipsum manumissum dictum fuisse et 'libertum,' ratione patroni, et 'libertinum,' sed ratione conditionis, præsertim si cum ingenuis compararetur. Quinctil. Instit. VII. 3. ubi ingenuo servum opponit, 'servus,' inquit, 'cum manumittitur, fit libertinus.' Cf. Cort. ad Sallust. Catil. L. 1. Drakenb. ad Livium IX. 46. 10. Mencken. Obs. L. L. p. 582. Oudend. ad Sueton. Claud. 24. Ernesti Clav. Ciceron. v. 'Libertus.' Ita 'libertinos,' id est, libertinæ conditionis homines, ab eorum filiis distinguit Macrobius Saturn. I. 6. 'Libertinis vero nullo jure uti prætextis licebat, ... sed postea libertinorum filiis prætexta quoque concessa est.' Ex his speciosa est cod. Mœrl. scriptura, quare libertinos, id est libertinæ conditionis, in senatum, et patricios esse adlectos probat Casaubon. ad Lamprid. p. 95. sed tamen non est necessaria. Plinius Paneg. LXXXVIII. init. 'Plerique Principes, cum essent civium domini, libertorum erant servi. Horum consiliis, horum nutu regebantur .... per hos præturæ etiam, et sacerdotia, et consulatus, imo et ab his petebantur. Tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tamquam libertis habes. .... Scis enim præcipuum esse indicium non magni Principis, magnos libertos:' ubi V. D. et Schwarzius in sua edit. Ob hanc vero auctoritatem quid mirum, si et juris civilis scientiam ad se traxerint liberti? Nemo enim unus erat, qui de jure respondere posset, nisi inpetrata ab Imperatore venia, quod Constantini saltem tempore adhuc obtinuisse patet ex Eunapio in Vit. Philos. pag. 286. quæ venia ut sibi forte solis concederetur, a suis facile Impp. inpetrare potuerint, quo tamen fuit effectum, ut post Constantini tempo-

ra suus perierit jurisprudentiæ splendor, turpibus hominum ex plebe viliorum, et improborum, qui ei sese tradebant, artibus obfuscatus, quas late enarrat Ammian. Marcell. xxx. 4. neque post Julianum melior fuit ejusdem facies, quare Valentinianus in Novell. Tit. 10. 'Notum est,' inquit, 'post fatalem hostium ruinam, qua Italia laboravit, in quibusdam regionibus et caussidicos, et judices defuisse, hodieque gnaros juris et legum aut raro, aut minime reperiri.' Eaque incredibilis fere juris ignorantia Theodosio Codicis sui componendi necessitatem imposuisse videtur. Cf. Gothofred. in Prolegom. ad Cod. Theodos. § 4. et ad L. 1. C. Theod. de Respons. prudent. *Arntz.*

Artificium dicebatur] Aut *ducebatur.* Acidal. Præter necessitatem Acidalius. *Jæger.* Pro *artificium* Guelf. habet *officium*, quod jam probavi ad D'Arnaudt. de Vit. Scævol. p. 23. et recepi; ita enim dicitur, atque 'servile officium' apud Petron. Sat. cap. 26. fin. Sallust. Catil. cap. 5. ita jurisconsultis 'civilia officia' tribuit Ammian. Marcell. xxx. 4. cum neque juris prudentia 'ars' dici queat, de quo Faber Jurispr. Papin. Tit. I. Princ. II. Illat. 5. 'artificia' magis ad opifices pertinent. Cicero de Finib. III. 2. 'ne opifices quidem tueri sua artificia possent.' Hinc 'artificia' et 'quæstus' idem distinguit de Offic. I. 42. Græcorum. Τέχνας comparavit Salmasius de Trapezit. Fœnor. pag. 190. denique 'dignitati' aptius 'officium,' quam 'artificium' opponitur propter ea, quæ de officiis, sive privatis, sive publicis tractat Joann. Saresber. Policr. v. 4. *Arntz.*

§ 2 *Noluisse videri*] Livineii emendatione, *assequi noluisse*, non utor. Oratoriam facultatem respuebant proceres, eam habentes minimi usus negotium, ideoque negligebant, cum id sit hominum ingenium, ut vituperent, quod adsequi nequeant. Cicero de Offic. I. 31. 'Neque enim adtinet repugnare naturæ, nec quidquam sequi, quod adsequi nequeas.' Phædrus IV. 2. 5. 'Qui, facere quæ non possunt, verbis elevant.' Similia hanc in rem habet Priceus ad Epist. Judæ vs. 10. *Idem.*

Agendæ vitæ] Vet. *augendæ vitæ.* Vatican. *agendæ.* Putean. Mihi vulgata lectio potior videtur. *Jæger.* In ed. Paris. *augendæ* etiam tribuitur cod. Vatican. sed Puteani notam dedi ex Mss. penes me excerptis. *Arntz.*

Erudimenta] Mihi vulgata lectio potior videtur. *Jæger.* Pro vitioso hunc locum habet Bibliotheca Philologica, monetque, studia bonarum artium eo tempore jacuisse, et ab hominibus pecuniæ cupidis ideo contemta fuisse, quoniam nullos exinde ad usum vitæ agendæ fructus exspectare poterant. Quare, transpositis vocibus, legendum esse censet, *cujus ornamenta usum vitæ agendæ non adjuvarent.* Ornamenta vitæ, inquit, non *adjuvantur*, sed *augentur*, *illustrantur*. Equidem laudo, et probo commutatam hanc lectionem, ita tamen, ut vulgata non omni mihi præsidio destituta videatur. Nimirum *ornamenta* non modo dicuntur ea, quæ rem, vel hominem reddunt speciosiorem, splendidiorem; sed illa etiam, quæ conditioni ejus non deesse, quibus res, vel personæ necessario instructæ esse debent. Sic in Ciceron. Orat. pro Sext. cap. 51. 'ornamenta ordinis equestris,' quæ confecisse dicitur Gellius, non sunt decora, quæ, si adsint, equitem quidem reddant splendidiorem, cæterum abesse, salva ejus dignitate, possint: sed sunt facultates, seu *census*, quo necesse erat equitem esse instructum, quo minuto eques ordine movebatur. Pari modo *ornamenta vitæ agendæ* videntur appellari posse ea, quibus in vita agenda non magis, quam v. g. eques censu in dignitate tuenda, carere possumus,

nempe facultates, scientia rerum utilium, vel sæculi rationibus accommodatarum, &c. Sic Seneca Epist. 90. artes vocat 'ornamenta vitæ.' Verba ejus hæc sunt: 'Sapientia non est instrumentorum ad usus necessarios opifex. Quid illi tam parvula assignas? artificem vides vitæ. Alias quidem artes sub dominio habet. Nam cui vita, illi vitæ quoque ornamenta serviunt.' Hæc 'ornamenta adjuvisse' (i. e. iis συνεργῆσαι) bonas artes, præsertim eloquentiam, negat Mamertinus. Sententia igitur verborum ex lectione vulgata hæc erit: Dementia ducebatur, suscipere multum laboris ad comparandam dicendi facultatem, cum usus hujus facultatis præsidiis, seu instrumentis vitæ agendæ, in quibus divitiæ primum locum tenebant, additus similem non haberet efficaciam: non itidem, ut illa, utilitatem afferret. Ne quis dubitet de ista significatione verbi *adjuvare*, afferam ex multis locum Plinii Hist. Nat. VII. 9. 'Luna parte diei solis lucem adjuvat,' i. e. συνεργεῖ, similiter ut sol, lucem spargit. Sic eloquentia non adjuvat ornamenta vitæ, cum non similiter, ut illa, parit commoda, sed infructuosa est. *Idem*. Locum eleganter interpretatus est Jægerus, eoque modo 'ornamenta naturæ' sunt apud Symmach. Epist. IX. 7. cum vero 'ornamenta vitæ' de magistratuum insignibus dixerit Valer. Maxim. III. 2. 7. pari ratione hunc quoque locum esse capiendum arbitror, ut per ea magistratus, et munera publica significentur. Ad hæc olim sibi eloquentia viam parabant oratores; illa itaque ornamenta dicendi usus adjuvabat, sive erat adjumento, quo eorum fierent compotes; cum vero hoc tempore id præcipue studerent, ut pecuniam conquirerent, qua sola eorum sibi favorem conciliare poterant, quorum opera et favore ad honores pervenirent, nullum amplius usum illa dicendi facultas ad id præbebat, et dementia ducebatur, in eo multum laboris consumere, quod, data pecunia, facillime, et in otio comparari posset. *Arntz*.

§ 3 *Itaque omne*] Inter *itaque* et *omne* Mœrl. interponit *erat*. Mihi vulgata lectio potior videtur. *Jæger*.

Quanto pecuniosior] Juvenal. Sat. III. 'Quantum quisque sua nummorum servat in arca, Tantum habet et fidei.' *Putean*.

§ 4 *Jam serviendi*] Lipsius Epist. Quæst. III. 24. citat, *Ita serviendi*, quod in nullo inveni. In sola Puteol. est *serviendum*, sed tunc *patientia* sextus deberet esse casus, cui parum responderet proximum *calliditas*, nisi hoc modo dividatur periodus, ut legatur, *Jam serviendum miseranda patientia. Adsentandi* (erat) *mira calliditas*. Arntz.

Calliditas, ministrorum] Lege *calliditas: ministr*. Acidal.

Limina terebantur] Frequentabantur. Vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. LXV. § 3. *Jæger*. Eodem modo, atque de via Ovidius Amor. III. 6. 58. 'Quid nostras, inquit, teris anxia ripas.' Remed. Amor. 601. Martialis Epigr. X. 28. 'Plurima qua medium Roma terebat iter.' Ausonius Mosell. 165. Rutil. Itin. II. 21. Prudent. in Symmach. II. 879. Minuc. Fel. Octav. 3. Heinsius ad Claudian. B. Get. 341. V. D. ad Plinii Paneg. L. § 3. Cannegieter ad Avian. Fab. 42. 2. 'Ministrorum aulæ' est duplex genitivus, cujus alia exempla dedi ad Mamertin. Maxim. I. init. Eumenium Grat. Act. IV. § 3. Incertum Constantin. IV. § 4. *Arntz*.

§ 5 *Serviebant*] Spadones intelligo, propter ea, quæ ex Ammiano loca dedi supr. cap. præced. § 4. *Idem*.

Ternos patriciæ gentis] Quid? Soli tres adulatores patricii? Scribe *servos patriciæ g.* aut potius *cernuos*. Et id verum arbitror. Nam sequitur, 'demissi, jacentesque vix capita supra eorum, quos precabantur, genua

tollebant.' Explicat igitur adulatorium et submissum gestum cernuantium. Tertullianus hoc ostendit in honore habendo usurpatum, de Pœnitentia: 'Sed enim illi, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, quas non ignobilitates vestium adfectant? quæ non atria crudis, et nocturnis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris personæ decrescentes.' Et Ammianus l. XXVIII. 'salutasse Romanos humum pæne contingentibus membris' scribit. *Lipsius* Epist. Quæst. III. 24. Hui, *ternos* duntaxat? Immo, arbitror, frequentes. *Servos*, aut *cernuos* rescriptum doctissimo Lipsio Quæst. III. Epist. 24. non admodum ad stomachum meum, quod pace ejus dixerim. Sed profecto liberum est omne hoc litterarium arbitrium, vereque ille, nescio quis, 'Qui bene divinarit, vatem perhibebo optimum.' Equidem *pernox* reposuerim. Dixerat de diurna indignitate eorum, qui aulæ monstra captabant, nunc amplius ait, nec noctu, et quidem a patriciis, ab ea cessatum. Estque *ad fores pernox*, si Græce reddas, διανυκτερεύων ἐπὶ θύραις. Proposui modo, quod verisimile mihi videretur, nec præmium posco. Tu cense, mi lector. *Livin.* Numerus certus pro indefinito, *plures* patricios, et vel *ternos* simul ministro uni, vel liberto principis, supplicare cerneres. *Cellar.* Ego lectionem non muto. *Patarol.* Numerus certus pro incerto hic non magis placet, quam *pernox* Livineii. Lipsius si non acu rem tetigisse, probabiliora tamen protulisse videtur. *Jægerus.* Pro *ternos* forte *externos*, cum constet, illo tempore exteros etiam ad patriciatum pervenire potuisse. *Schenckius* Præfat. tom. II. ed. Jæger. Auctoritate non caret posterior Lipsii emendatio, qua supplices indicentur, de quo vocis usu Barthius Advers. XXXIII. 14. Sidonius Apollin. Carm. VII. 416. 'Curvato cernua collo Ora ferens.' Est enim 'cernuus' is, qui humum spectat, et in eam oculos vertit. Sedulius Carm. III. 201. 'Et solam despectans cernua terram:' ubi Not. Arnob. advers. Gent. VII. pag. 246. 'pronos et cernuos ruere.' Cf. Barthium Advers. XXXV. 12. Isidori Glossas inde recte emendavit Priceus ad Act. Apost. I. 18. apud Avienum D. O. 533. 'In jubar Eoum rursum se pervia flectunt Æquora.' Vir doctus in Observ. Miscell. tom. V. p. 167. emendat, 'se cernua flectunt,' et prona interpretatur: sed quamvis in situ quandam cæli plagam 'spectare' non numquam dicantur regiones, aut mare, utrum tamen ideo 'cernuum' dici possit, valde dubito. Neque magis placet hoc loco Lipsii conjectura, vel ideo, ne bis idem dixerit Mamertinus; sequitur enim 'demissos,' quod a *cernuos* nihil distat. Livineii *pernox* id exprimit, quod 'pervigilare ante fores' dixit Ausonius Epigr. XCII. 6. id tamen neque Jægero satisfacere potuit, nec mihi; quid enim? eosne nocte ante ædium fores stetisse credideris, et non potius eo tempore, quo salutare moris erat, id est, matutino? Suum *ternos* pro pluribus nemini, puto, probaturus erit Cellarius, qui cogitaverit, de majori id quidem numero esse pervulgatum, veluti 'centum,' 'sexcentis,' sed rei naturæ adversari, ut plures in se contineat minimus; non enim *ternos* capi potest, quo incerto numero 'tres quatuorve adfuisse' dicuntur. Schenckii *externos* confirmarent notata ad Nazarium Paneg. XXXV. § 2. et a Langlæo Semestr. VII. pag. 398. sed, quare de his magis, quam aliis, hoc diceretur? ea enim erat horum temporum labes, ut sine discrimine omnes, qua gente aut natione fuerint, hujus fuerint adulationis studiosissimi. Suspicatus igitur aliquando sum, utrum in *ternos* lateret *curvatos*. Ammian. Marcell. XVI. 12. 'primo curvatus,

deinde humi suppliciter fusus:' et xvii. 12. 'stantes curvatis corporibus:' sed jam illud repudio, quia nimis a litterarum ductu recedit, neque a 'demissi' differt. Desperatusne igitur locus est? Non puto; periisse enim vox videtur, ad quam sequentia 'ab hujusmodi dedecore,' et 'imbri, gelu' spectaverint. Emendo igitur *intectos patriciæ gentis viros:* hoc est, nudato capite, quo Romanos reverentiam alicui indicasse docet Plutarchus Quæst. Rom. pag. 266. Hoc in patriciæ gentis viris erat dedecus, ut istiusmodi ministris honorem præstarent, qui sibi magis debebatur, quare 'reverendas patriciæ gentis effigies,' id est, patricios Constantium, urbi adpropinquantem, vidisse tradit Ammian. xvi. 10. Dedecori huic accedebat, ut iidem ante fores imbrem, gelu, aëris injuriam perferre deberent, quo modo supra xiii. § 3. dixit: 'Hieme pruinam Thraciæ intectis verticibus perferatis.' Cicero de Senect. cap. 10. 'Nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit.' His vero eos, qui ante fores stabant, expositos fuisse, egregie inlustrat Macrobii locus, Saturn. vi. 8. 'Qui amplas domus antiquitus faciebant, locum ante januam relinquere solitos, qui inter fores domus et viam medius esset. In eo loco, qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant, et neque in via stabant, neque intra ædes erant.' Horum itaque patriciorum habitus par fuit eidem cujusdam Antonini, de quo Ammian. xviii. 8. 'Sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiluit equo, curvatisque membris, humum vultu pene contingens, salutavit patronum adpellans et dominum.' De patriciæ gentis viris cf. Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. ii. p. 79. *Arntz.*

Injuriæ] Eleganter de incommodo ex nivibus et frigore. Cf. ad Mamertin. Geneth. ii. in fin. Plinius Hist. Nat. xviii. 27. 'injuriam postea frigoris timere nollito.' *Idem.*

§ 6 *Genua tollebant*] Eadem in salutationibus usque ad terram declinantes. *Patarol.* Mœrl. *genu attollebant.* Forte *genua attollebant.* Jæger. *Genua* tueri posset locus supra xviii. § 6. 'corporibus in genua submitti;' sed cum in Guelf. *genu attollebant* etiam legatur, tribus codd. obsequi malui, in quo tamen Jægeri maxime placet conjectura. Hoc 'humum vultu pene contingere' dixit Ammian. xviii. 8. *Arntz.*

Merebantur] Guelf. *terrebantur.* Forte *tenebantur*, id est, obtinebantur, de quo usu dixi ad Nazar. Paneg. xv. § 5. et cum *κατέχειν* contulit Pricæus Adnot. poster. ad Psalm. lxxii. 12. quo modo 'terrere,' et 'tenere' confundi docuit pater meus ad Victor. Inlustr. xxvi. 1. Drakenb. ad Livium xxii. 42. 7. et xxiii. 1. 10. Sed præstat vulgata, si 'mereri' pro consequi capias, de quo ad Incert. Maxim. v. 3. Eumen. Constantin. iii. 1. *Idem.*

Cap. xxi. § 1 *Per fas quæret*] *Per fas et nefas* Vet. Cuspin. Rhenan. *Livin.* Solus omisit Livineius, *et nefas*, quod habent codd. reliquæque edd. Pro *quærat* Puteolan. *quæreret.* Pertinet hic locus ad morem, sub Constantio usitatum, de danda aulicis pecunia, quorum suffragio ad honores pervenirent, quem cum, provecto ad imperium Juliano, etiam servassent, hic eum lege damnavit, in ipso hoc Mamertini consulatu, Kalend. Februar. lata, qua repetendæ pecuniæ facultatem iis, qui dedissent, negavit, L. 1. C. Theod. 'Si cert. petat. de suffrag.' ubi Gothofred. et ad L. 1. Ad Leg. Jul. de ambit. Adde Casaubon. ad Sueton. Vespas. 23. *Arntzenius.*

Salvator vilis] *Ἴσως salutator,* sic Vatican. vel *adulator.* Putean. Lege *salutator.* Acidal. *Salvator* Rhenan. Henr. Stephan. et in pr. Rivinus,

quod quidem Mamertini ævo non indignum habeatur vocabulum, de quo Reines. Epist. ad Daumium 20. et 26. et a me dicta ad Arator. de Act. Apost. I. 736. sed, si hoc voluisset, qua fuit elegantia, potius scripsisset *servator*, quo modo ex melioribus codd. alii etiam sunt emaculandi, velnti Juvencus Hist. Euang. II. 245. 385. III. 195. ex Cantabrig. cujus variantes ad manus sunt, et II. 829. ex eodem, et Lipsiens. quem a Cortio collatum vidi. Hoc sane loco *salvator*, aut *servator* nullius est pretii. Guelf. et Schonhov. excerpta *salutator*, quod jam in antiquissimis edd. Puteolan. Cuspin. Livin. exstitit; ex ingenio quoque substituit Juretus ad Symmach. Epist. VIII. 41. et ipse tuitus sum ad Arator. I. 736. Est nimirum *salutator* ex eo hominum genere, qui aulicos 'adsiduis obsequiis emerebantur, donisque captabant,' ut dixit supra XIX. § 4. hi, cum essent viles, aliorum imminuebant libertatem, eorum nimirum, quibus sua merita, virtutes, et factorum splendor honorum petendorum libertatem dabant. His enim, quamvis jus proprium non haberent, libertas tamen, et petendi aptitudo juxta alios erat, ut de candidatis ad munera publica adspirantibus scribit Grotius J. B. II. 17. § 3. Hæc etsi vera sint, ægre tamen mihi persuadeo, ipsam Mamertini manum dedisse codd. Etenim cum de quærendis pecunia honoribus loquatur, mihi scripsisse videtur *suffragator vilis*, quam vocem minus sibi cognitam in magis notam *salutator* mutavit librarius. Est autem *suffragator*, qui, accepta pecunia, suo efficit auxilio, suaque auctoritate, ut, qui dederit, muneris fiat compos. Vid. Gothofred. in Notis ad L. 1. C. Theod. 'Si cert. petat. ex suffrag.' Duarenus Disput. Anniv. II. 21. Homberg. ad Rubric. Novellæ 8. Glossæ Nomicæ: Σουφφράγιον. βοηθὸς, ὅθεν καὶ τὰ παρεχόμενα ἐπὶ τῷ βοηθῆναι τινὰ σουφράγια καλεῖται. Recte illic Σουφραγάτωρ· βοηθὸς emendat Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 252. Magis autem per 'suffragatorem,' quam 'salutatorem' imminuebatur petendi libertas, præcipue si aulæ artibus impediret suffragator, quo minus principem adeundi, et ambiendi daretur occasio. 'Vilis' autem 'suffragatoris' adpellationem ad spadones illos refero, de quibus supra XIX. § 4. quos corradendæ pecuniæ avidos fuisse testatur Ammian. Marcell. XIV. 11. XVI. 7. et XVIII. 5. Puteani notam dedi ex Mss. penes me excerptis castigatiorem, quam est in ed. Parisin. *Arntz.*

Vocabitur] Ms. unus *judicabitur*, quod et succurrebat Bongarsio, cum reperisset in edit. Viennensi, *indurabitur*. Gruter. Cuspin. mendose *indurabitur*, quod natum videtur ex *judicabitur*, ut habet Schonhov. itemque Mœrl. cum Gud. Quorum ob consensum hoc recipimus. *Jægerus.* Fallitur de Viennensi Baunius. Jægerum sequor, eamque lectionem olim jam probavi ad Arator. de Act. Apost. I. 88. ubi monui, in meis excerptis ex Gud. legi *indicabitur*, quamvis aliter Jægerus. *Arntz.*

§ 2 *Come*] Fortean scribendum *income*, ea forma, qua apud Tertullianum alibi repono ex membranis 'inbonus.' *Modius*, Novant. Lection. Epist. 25. Forte *income*. Vel negatio aliqua alia addenda. *Acidal.* Nostram lectionem libri scripti, et excusi ceteri recte tueatur. *Jæger.*

Adulantium] Guelf. *adulatum;* haud dubie pro *adulantum*, ut mox § 3. in Cuspin. et § 4. *potentum* in quibusdam, ex duplici hujus genitivi usu, de quo ad Eumen. Constantin. XII. § 2. *Arntz.*

Rei innoxiæ actum] Certum videtur reponendum, *tanquam rei noxiæ tactum.* Modius, Novant. Lection. Epist. 25.

§ 3 *Ingenti divinaque providentia*]

Recte. Quid tamen si *ingenio diutinaque prudentia?* Acidal. Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. x. § 1. *Arntzenius.*

Adulantium] *Adulantum* Cuspin. *Livin.* Respice § 2. *Arntz.*

Impertiat] Guelf. *impartiat*, quod restitui, monentem secutus Cortium ad Plinii Epist. IV. 28. 3. quia constanter in his Panegyricis ita fuit editum, ut apud Mamertin. Maximian. III. § 3. et x. § 1. Eumenium pro Instaur. Schol. XIX. § 1. Nazarium Constantin. VII. § 3. et supr. XII. § 3. apud Mamertinum tamen Genethl. XII. § 2. in 'inpertiens' nulla est in codd. varietas; utriumque recte dici docet Mencken. Observ. L. L. p. 461. et Drakenb. ad Livium XXXVIII. 36. 8. *Idem.*

§ 4 *Multo multoque*] Vid. Paneg. Mamertin. Genethl. x. § 5. *Jæger.* Cf. Rittershus. infr. XXIII. § 3. et supr. ad Mamertini locum. *Arntz.*

Nunc facilior] Redit, post digressionem, orator ad superiora, *At nunc, &c.* ideoque utitur particula *sed*, qua oratio continuatur. Vid. Heusinger. ad Ciceron. Philipp. II. 32. 6. *Jægerus.*

Potentium] *Potentum* Vet. *Livin.* Et Guelf. respice supr. § 2. *Arntz.*

Justitiam] Virtutes præcipuas, seu cardinales. Ammian. Marcell. XXV. 4. 'Cum enim sint, ut sapientes definiunt, virtutes quatuor præcipuæ, temperantia, prudentia, justitia, fortitudo,' &c. *Patarol.* Joann. Saresber. Policr. IV. 12. 'Hæ sunt quatuor virtutes, quas philosophi cardinales adpellant, eo quod a primo fonte honestatis quasi primi rivuli emanare credantur, et de se bonorum omnium fluenta propagare.' *Arntzenius.*

Sella curulis] Auson. Grat. Act. II. § 4. 'sedes honoris, sella curulis.' *Putean.* ad Pacat. Paneg. IX. § 6.

§ 5 *Perferentur*] *Deferentur* Cuspin. *Livin.* An *offerentur?* Acidal. Sic edd. omnes, præter Cuspin. ubi legitur *deferentur*, quod et Schonhov. Gud. et Mœrl. præferunt: recte, puto. Nam de honoribus cum sermo est, hoc, non illud, verbum solet adhiberi. Ita cap. seq. sect. 3. 'Nova prorsus fuit honorum deferendorum, et insperata congestio.' Cicero pro L. Manilia, XVII. § 5. 'Si uni omnia tribuenda sint, unum dignissimum esse Pompeium; sed ad unum tamen omnia deferri non oportere.' Idem pro Domo sua, c. 8. 'Cum his hæc a me haberi oratio potest, qui ita disputant: se, si qua res ad unum deferenda sit, ad Cn. Pompeium delaturos potissimum.' Idem Epist. ad Divers. XIII. 55. 'Nam cum jam diu diligerem M. Anneium, deque eo sic existimarem, ut res declarat, quod ultro ei detulerim legationem,' &c. Attic. VI. 1. 'Ego tamen, quas per te Bruto promiseram, præfecturas M. Scaptio, L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli.' Cornel. Nep. Phocion. I. 2. 'Fuit enim perpetuo pauper, cum divitissimus esse posset, propter frequentes delatos honores.' Idem Attic. VI. 4. 'Multorum consulum, prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus.' Horat. Epist. I. 16. 34. 'Detulerit fasces indigno.' Hæc itaque lectio, quam recipimus, præstabilior est et vulgata, et conjectura Acidalii. *Jæger.* Tacitus Annal. II. 43. 'Delatum ab Augusto consulatum accipere.' Ammian. Marcell. XV. 8. 'In deferenda superiori potestate.' Supra XV. 4. 'Honores ad parum dignos penuria meliorum solere deferri.' XIX. § 3. 'Vix pauci exstiterunt, quorum virtutibus deferretur.' XXXI. 5. 'Consulatus multis esse delatos.' Auson. Grat. Act. XVII. 2. 'Quarum præfecto hanc honorificentiam detulisti.' Pacat. Paneg. XVI. § 4. 'Honos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur:' ut illic

pro 'differebatur' recte est emendatum: cf. Not. patern. *Arntz.*

§ 7 *Constanter*] Cum certa spe, et fiducia, fidenter. Sueton. August. c. 10. 'Ludos autem victoriæ Cæsaris, non audentibus facere, quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et quo constantius cetera quoque exsequeretur, in locum trib. plebis, forte demortui, candidatum petitorem se ostendit.' Idem Neron. c. 7. 'Tener adhuc, necdum matura pueritia, circensibus ludis, Trojam constantissime, favorabiliterque lusit.' *Jæger.* Auson. Grat. Act. XIX. § 3. 'Ut facere debui; quid constantius?' Supr. III. § 2. 'Me multa constanter in hac urbe fuisse dicturum.' Herald. ad Arnob. advers. Gent. II. p. 80. *Idem.*

Propter tantillum] Guelf. *per tantillum.* Non male, cum *propter* possit esse ex glossa, quam significationem *per* habere ostendi ad Eumen. Constantin. III. § 3. *Idem.*

Uno in anno] Cap. seq. princ. 'Deus uno in anno .... dedit.' Ita *in* addi, cum abesse posset, dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. I. § 2. et Constantio II. § 1. *Idem.*

Ter videat] Præfectura scilicet ærarii, prætorii, et consulatu. Ipse mox cap. seq. Vide dicta cap. 1. *Patarol.* Cf. supra p. 655. In Guelferb. desunt verba *ter videat honoratum,* et initium cap. seq. usque ad *multiplices,* quod factum propter verba *uno in anno,* ante *multiplices* cap. seq. iterum occurrentia, quando intermedia sæpe omittere solent parum adtenti, et festinantes librarii; talia sunt etiam exempla apud Mamertin. Genethl. VI. § 2. et Nazar. Constantin. XVI. § 5. *Arntz.*

CAP. XXII. § 1 *Ecquis Deus*] *Nec quis* Vet. Cuspin. hanc scripturam, meo animo, bene in *Nunc quis* reformes, pro eo, quod usitatius in orationis transitu *Jam quis.* Occurrit et laudatione Pacati c. XXXVIII. Tu vide, lector, quæ notamus, ad Paneg. Plin. c. XLIV. *Livin.* Goldastus ad Columban. p. 110. emendat *ne quis,* id est, ne quis quidem Deus. Nihil muto. Pacat. Paneg. XVI. § 1. 'Ecquis Imperatorum umquam putavit?' Cf. ad Mamertin. Genethl. X. 4. idem pro *ne quis* restitui Joann. Saresber. III. 14. in Miscell. c. 6. p. 58. *Arntz.*

Novali æstate] Cf. ad Incert. Constantin. XXII. 2. *Idem.*

Autumno] Hoc, aliisque locis *auctumno* dedit Jægerus, quod ab 'augeo' probat Dausquius Orthogr. II. pag. 49. et Gesnerus Lexic. Rustic. Sequor tamen Torrent. ad Horat. Od. II. 14. 15. et IV. 7. 11. *Idem.*

Olivitas] Hoc est, olei proventus, qua figura et 'autumnitatem' Arnobius dixit advers. Gent. I. 'Ex olivis vestris, atque vinetis plenam faciant autumnitatem fundi, at ex nostris exprimi unum prohibeant palmitis rorem.' Ejusdem operis II. 'Interrogemus et nos contra; Quæ causa, quæ ratio est, ut non suis aliquando reddantur mensibus tempora, sed serius hiems, (hiemes Ms.) serius æstas, atque autumnitas fiant?' Minutius Fœlix Octavio; 'Nam id temporis post æstivam diem in temperiem semet autumnitas dirigebat.' Utrumque apud Catonem, Varronem, Columellam legas. *Livin.* Minucius Felix cap. 17. 'Hiberna olivitas.' *Olivitas,* tempus legendi olivas maturas, quod circa Decembrem est. Columella XII. 50. 'Media est olivitas plerumque initium mensis Decembris.' *Cellar.* Cf. Gronov. Observ. in Eccles. p. 79. eamdem vocem Eumenio reddere conatus est Rittershusius, Gratiar. Act. XIII. § 3. sine necessitate. Similia nostro loca contulit Pricæus ad Act. Apost. XIV. 17. *Arntz.*

§ 2 *Fructus annorum*] *Honorum* Cuspin. belle. *Livin.* Corrupte Rhenan. Stephan. Livin. cum Mœrl. *annorum,* sed veram lectionem Cuspin. cum Gruter. ceterisque exhibent. *Jæger.*

Annorum quoque est in Guelf. præterea in ed. Puteolan. omnibusque Gruteriana prioribus. Ex Cuspiniana *honorum* recepit Gruterus, quem præter Rivinum omnes sunt secuti. Solius tamen Cuspiniani tanta non est apud me auctoritas, ut *annorum* spernam, quod constanter tuentur codd. etiam quos inspexit Puteanus, quia ad ed. Rhenan. nihil notavit. Hoc itaque reddidi, ipsa orationis ratione id flagitante, qua fructibus *annorum* opponitur *unius anni* ubertas, cui *unius* efficaciam inesse qui negaverit, arbitror fore neminem. Hæc, si *honorum* legas, perit, quia tunc nihil est, cui *unius anni* opponatur. *Unius anni ubertatem* habet, qui uno eodemque anno plures magistratus ceperit, *fructus* vero *annorum metit*, qui per plures annos singulis magistratibus fuerit ornatus. Suam itaque præ aliorum conditione esse meliorem prædicat Mamertinus, quod hi fructus ex gestis per singulos, pluresve annos magistratibus ceperint, ipse vero ex iisdem per unum annum. Adparet hinc, verba *a priore in proximum autumnum* capi non posse de autumno anni CCCLX. ad proximum anni CCCLXI. qui Kal. Januar. quibus habita est hæc gratiarum actio, præcessit. Ita enim annus tantum effluxisset, quique in eodem magistratus, quantumvis multiplices, cepissent, non diversa a Mamertino conditione, sed eadem *unius anni ubertate* fuissent usi. Quid igitur? *priorem* autumnum de autumno anni CCCLV. interpretor, quo VIII. Id. Novembr. a Constantio Cæsar est factus Julianus, *proximum* vero de autumno anni CCCLXI. quo, mortuo III. Non. Octobr. Constantio, factus est Augustus. Vid. Ammian. Marcell. XV. 8. et XXI. 15. Idem itaque hæc verba indicant, atque si scripsisset, qui inde a Juliano Cæsare usque eumdem Augustum fructus annorum messuerunt. Si dubites, id quære, quare *autumni*, et non cujusque alterius temporis meminerit, cum per totum annum istiusmodi honores darentur. At totum annum intellexit, sed *autumnum* dicere maluit, qui metaphoræ in *fructus messuerunt* esset convenientior. Neque ego sum, qui hoc diffitear, ideoque Cæsaris, et Augusti adpellatione abstinuisse videtur, sed qui tunc *unius anni* ab autumno in autumnum *fructus unius anni ubertati* opponantur, non perspicio. *Arntz.*

§ 3 *Multipliciter*] Gud. Mœrl. *multiplices*, quod præfero. *Jæger.* Confirmant præcedentia, 'multiplices fructus agro uni dedit.' *Arntz.*

Tertia] Mœrl. *terna*, quod verum puto. Ex *terna*, errore librarii, ortum *tertia*, eique deinde ab explicatore in margine addita, et hinc in contextum illata esse videtur vox *consulatus*, quæ sane quam importuna est, et quia statim in recensu honorum occurrit, et quia 'consulatus est mihi ubertas' tecte et eleganter dici nequit. Quare, recepta cod. Mœrl. lectione, illam uncis coërcui. *Jæger.* Nullam mutandi, vocisve *consulatus* ejiciendi video rationem. *Ubertas* est felix fructuum proventus. Is uno in anno tertius erat, nimirum consulatus. Non diffiteor, quia mox tres honorum gradus enumerat, quorum ultimus erat consulatus, multum blandiri, si legas *trina unius anni ubertas est*. Sed orationis efficacia mihi in 'consulatu' sita esse videtur. Alii quoscumque honores acceperant, sed multiplices, quibus per minores ad majores, ipse vero non per multiplices, sed duo tantum gradus ad tertium, et summum quidem adscenderat. Ut itaque indicaret, in quo aliis esset fortunatior, necessaria erat *consulatus* mentio, qua voce deleta, verbis parum inerit efficaciæ. *Arntz.*

§ 4 *Thesaurorum*] Cf. supra pp. 2209. et seqq. et Lipenium in Stren. Hist. tom. XII. Thes. Græv. p. 458. *Idem.*

Bonorum meorum] Vid. Paneg. Na-

nar. c. XXXVI. 1. *Jæger*. Hæc quoque sunt permutata apud Pacat. Paneg. XX. 1. ubi vide. De Præfectura cf. supra pp. 2209. et seqq. et Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXVI. § 2. *Arntz.*

Proventuum tuorum] Imo *meorum*, quod cuivis patet. Et sic præcedit: 'Secundum locum tenet in bonorum meorum fructibus præfectura.' *Acidal.* Necessaria utique emendatio. Pro *meorum* festinans librarius *morum*, et pro hoc alius deinde *tuorum*, quod totidem constat ductibus, scripsisse videtur. Itaque et sine librorum auctoritate Acidalium hic sequor. *Jæger*. Facilis est Acidalii correctio, quæ etiam placuisse videtur Valesio, cum ad Ammian. XXI. 8. ita citaverit, eaque confirmari videtur, quia nihil præcessit, quo *tuorum* referatur, cum Julianum tertia, ut dicunt, persona 'nostrum principem' adpellet, § 1. et 3. In ea tamen contra omnes codd. recipienda Jægerum sequi ausus non fui, tum quia omnes codd. et edd. *tuorum* servant, tum vero etiam, quia personas miscere solet Mamertinus. Ita IX. § 1. Julianum adloquitur, et § 4. addit, 'ope Imperatoris refotas,' pro ope tua: cap. XXVI. 'Prorsus amicitias tueris. . . . . Mira est in Principe nostro,' pro in te. c. XXIX. § 3. 'Aveo plane, Imperator, et aveho, ... inlustrat consulatus, quem tribuisti, amplitudo, quam tribuis. Post primæ salutationis fausta colloquia, ... sciscitatur,' pro sciscitaris. Denique si quid foret emendandum, mallem *proventuum duorum*; ex duobus enim præcedentibus tertius erat fructus consulatus; facile enim, prælegente socio, litteræ *t* sonum pro vicino *d* excipere potuit librarius, quare easdem passim inter se permutatas in codd. offendes, cujusmodi exempla dedi ad Mamertin. Genethl. I. § 2. et in his vocabulis apud Nazarium Paneg. XXIX. § 2. *Arntz.*

§ 5 *Adsiduitate fructuum*] *Fructus* pro frugibus agrorum dici, ostendit Bronckhus. ad Tibull. I. 1. 35. sq. 'Non ego divitias patrum, fructusque requiro, Quos tulit antiquo condita messis avo.' *Jæger*.

In maciem decoquatur] 'Macies agri' est siccitas, asperitas, adeoque sterilitas. Justin. XLIII. 3. 5. 'Phocæenses, exiguitate, ac macie terræ coacti, studiosius mare, quam terras, exercuere.' 'Exiguitas terræ' in hoc Justini loco non videtur esse angustia ejus, ut Freinshem. in Ind. interpretatur, sed contrarium soli pinguis, λεπτόγεων illud, quod in terra Attica inesse testatur Thucydides lib. I. p. 1. ed. H. Stephan. adeoque vox 'macies' κατ' ἐπεξήγησιν additur. 'Macrum agellum' dixit quoque Horat. Sat. I. 6. 71. Cf. etiam Scriptor. Rei Rust., qui sæpius hac locutione utuntur. *Idem*. Columella de R. R. I. 4. 3. 'Cultoris prudentia ac diligentia maciem soli vincere potest.' Palladius XII. 1. 3. 'Macrum solum, nebulosumque non patitur.' Victor Cæs. XX. 16. 'ni terrarum macies despectaretur.' 'Decoqui' est inminui. Symmach. Epist. I. 101. 'decoquere crudum dolorem,' et IX. 83. 'senectus nihil decoquat firmitatis.' V. D. ad Florum Procem. § 8. *Arntz.*

Effœta] Hanc vocem de agro, continua fertilitate lassato, ut frequenti partu mulier, exponit Servius ad Virgil. Georg. I. 81. hoc sensu eam Isidoro reddidi ad Arator. I. 803. adde Heins. ad Claudian. Cons. Stilicon. I. 350. *Idem*.

§ 6 *Commovebat: et jam*] Forte, *commovebat. Etiam tum*. Livin. Compuli in unum *etiam*, monente Livineio, et Acidalio. *Jæger*.

Jam Augustus] Bertin. inserit *et*, quod fortassis etiam supra post *mutaverunt* inseri deberet. *Jæger*. Maxime blanditur Bertin. scriptura, propter elegantem voculæ usum, ad indicandam celeritatem, de quo Burman. ad Lucan. I. 231. et ad Virgil. Æneid.

III. 8. apud Paullinum Vit. Martin. II. 285. 'Nec mora; et adstrictis nectuntur vincula membris:' alii malunt, 'ei adstrictis,' sed alterum recte tuetur Wopkens. Obs. Miscell. Nov. Part. VIII. p. 344. *Arntz.*

Signa] Gud. *insignia*. Jæger. Male. Solis enim signa intelligit. Manilius v. 724. 'Signaque transgressus mutat per tempora Phœbus.' Cf. cap. seq. § 5. *Arntz.*.

§ 7 *Quæso, non*] Mœrl. Gud. vitiose *num;* quæ voces et alibi miscentur. Vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. XLIX. § 4. et LVI. § 2. *Jæger. Non* est nonne. Vid. ad Incert. Maxim. IX. § 4. Not. patern. ad Pacat. Paneg. v. § 4. ita ex cod. cujus variantes habeo, apud Boëthium Consol. Philos. III. Pros. 3. emendo: 'qui vero eget aliquo, non est usque quaque sibi sufficiens:' vulgo 'num.' De vocis utriusque permutatione vid. Gronov. Observ. IV. 11. Heins. ad Ovid. Heroid. XVI. 364. Drakenb. ad Liv. II. 40. 7. et XXXVI. 3. 8. Not. ad Plinii Paneg. XLIX. § 4. et LVI. § 2. Burman. ad Anthol. Lat. tom. I. pag. 258. Apud Boëthium IV. Pros. 2. 'Hi quidem (bonum) adipiscantur, illi vero minime, non dubium est bonos quidem potentes esse:' ex eodem cod. malim, 'num dubium est.' *Arntz.*

Non flagrans] *Num flagrans* Vet. Bertin. Vitiose. *Livin.* Vid. præced. nota. *Arntz.*

In se] Subaudi *ingeri*. Jæger.

CAP. XXIII. § 1 *Fortunatorum insulas*] Eumenius in Constantinum: 'Nec Hiberniam proximam, nec Thulem ultimam, nec ipsas, si quæ sunt, Fortunatorum insulas dignabatur acquirere,' &c. Horatius Epod. XVI. 'Beata Petamus arva, divites et insulas, Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis, Et imputata floret usque vinea,' &c. *Livin.* Dicta vide ad Eumenii Paneg. Constantino VII. § 2. *Patarol.* Pomp. Mela III. 10. 12. 'Fortunatæ insulæ abundant sua sponte genitis, et subinde aliis super aliis innascentibus nihil sollicitos alunt, beatius, quam aliæ urbes excultæ.' Locum Mamertini nostri excerpsit Isidorus Orig. XIV. 6. 'Fortunatæ insulæ vocabulo suo significant omnia fere bona, quasi felices et beatæ fructuum ubertate. Sua enim apte natura (lege, suapte enim natura) pretiosarum poma silvarum parturiunt. Fortuitis vitibus juga collium vestiuntur. Ad herbarum vicem messis, et olus vulgo est,' &c. *Jæger.* Cf. Taubman. ad Plaut. Trinum. II. 4. 148. Wasse ad Sallust. Fragm. Histor. VI. 27. et dicta ad Eumen. Constantin. VII. § 2. In Isidori apud Jægerum loco ex cod. Groningano, et antiquissima Petiti ed. legendum, 'Fortunatorum insulæ v. s. significant omnia ferre bona,' id est sese proferre, quare in iis campos Elysios statuebant veteres. Strabo Geogr. I. p. 5. Servius ad Virgil. Æn. VI. 640. qui cum illic 'nemora fortunata' memoret, inde est explicandus. Vid. Heyne. Apuleius de Habit. Doctr. p. m. 622. 'quod pie vixerit, præcipit Fortunatorum habiturum loca.' 'Fortunatorum' vero 'insulas' memorat Mamertinus, quia ad tria uno anno munera sese admotum esse mox prædicat, quæ cum agro fructibusque comparat; hos vero in his insulis ter anno nasci tradit Hesiod. Oper. 172. τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν Τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα. Adde ad Mamertin. Maximian. XI. § 3. *Arntz.*

Per eas] Cod. Put. *per eos*, ut ad *viros justos* referatur. *Jæger.* Vulgata tamen præstat. *Arntz.*

Non arato solo] De iisdem insulis Horat. Epod. XVI. 'Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis, Et imputata floret usque vinea.' *Patarol.*

Fortuitis vitibus] Sine cultura provenientibus, et vigentibus. Plinius H. N. XV. 18. 20. 'fortuitam' dixit 'vitem, atque oleam.' *Jæger.* Cur-

tius VIII. 10. 14. 'fortuita semina,' aut potius 'germina' ex Heinsii conjectura. Cf. supra 11. in fin. *Arntz.*

Vestiuntur] Eleganti locutione pro obteguntur. Columell. de R. R. III. 4. 1. 'possit agrum vineis vestire.' Cicero de N. D. II. 53. 'montes vestiti.' Tuscul. Quæst. V. 23. 'vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum.' Virgilius Georg. II. 219. 'Quæque suo viridi semper se gramine vestit.' Similiter 'induere' apud Plinium Paneg. XXX. § 1. ubi Not. et 'viridis amictus' apud Claudian. B. Get. 68. ad quem confer etiam Barthium Epithal. in Nupt. Honor. p. 782. Cellar. ad Curtium V. 4. 7. Wasse Ind. Sallust. v. Vestitus, Cort. ad eumd. Jugurth. XLVIII. 3. Nostrum descripsit Isidorus Orig. XIV. 6. *Idem.*

Ad herbarum vicem] Instar herbarum. Supra III. § 2. 'Testor ad vicem numinis mihi sanctam conscientiam meam.' Paullo aliter Plinius H. N. XXXVI. 21. 44. 'In Belgica provincia candidum lapidem serra, qua lignum, faciliusque etiam, secant, ad tegularum, et imbricum vicem:' h. e. ut tegularum, et imbricum vicem præstet. *Jæger.* Alia dedit exempla Wopkens. Observ. Miscell. Nov. vol. II. p. 46. *Arntz.*

§ 2 *Consideres, munera*] Interpungunt Schonhovii excerpta: *consideres? munera nempe.* Potius tamen ad *Deum auctorem* referantur *munera*, propter ea, quæ dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. XVII. § 1. *Idem.*

Nostris manibus] Gud. *non propriis m. colamus.* Jæger. *Excolamus* non mutandum; vid. ad Eumenium Constantio XXI. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Spica triticea*] Cave, accipias singulari numero, propter insequentes plurales, *non viles uvarum racemi.* 'Spicum' autem neutro genere dixit imitatione Varronis, cujus hæc est nobilis sententia, allegoriæ tecta involucro: 'Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.' Scilicet Mamertinum nonnumquam amare archaismos, ut c. XIX. 'sordidissimum quemque, et improbissimum adulabant:' et ibid. paullo ante, 'mulierculas exambibant.' Quo verbo præ ceteris libenter utitur Cyprianus: et cap. XXI. 'multo multoque.' Quod addendum illis supra notatis, 'longius longiusque,' 'propius propiusque,' 'nimium nimiumque,' &c. *Ritters.* Cf. Vossium Art. Grammat. III. 36. Grotium ad Martian. Capell. IX. p. 306. Barthium ad Gratium Cyneg. 118. Servius ad Virgil. Georg. I. 111. 'Dicimus autem et 'hic spicus,' et 'hoc spicum.'... Sed scire debemus, in usu esse a masculino utrumque numerum, a neutro vero raro, et tantum singularem inveniri; nam plurali nusquam lectum est.' Hæc si vera sint, frustra est Rittershusius, neque video, quare sequens *racemi*, quod propter *uvarum* scripsit Noster, nos cogeret, ut a singulari in *spica* recederemus, quem pro plurali vulgato more posuit. In Guelf. est *tricea* ex scribendi compendio. *Arntz.*

Ingeruntur] Cap. præced. in fin. 'quanta in me uno tempore Augustus ingessit:' quod verbum indicat, non petentibus data esse, sed ignorantibus, et velut obtrusa, de qua vocis vi agit Markland. Epist. Crit. ad F. Hare p. 79. *Idem.*

§ 4 *Quodam postliminio*] Cicero Topic. 8. 'Quæ a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, et ex suo tamquam limine exierint, dein, cum redierint post ad idem limen, postliminio videntur rediisse.' *Jæger.* Cf. etiam § 5. I. 'Quib. mod. jus patr. potest.' et quæ illic Interprett. Pacatus Paneg. II. § 4. 'redditam postliminio securitatem.' Claudianus Laud. Stilic. II. 126. 'Hinc priscæ redeunt artes: felicibus inde Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ Colla levant.' *Arntz.*

Flammasti] Velnti Tacit. Hist. II. 74. 'exercitus flammaverat adrogantia.' Alia pete exempla a Barthio ad Statium Silv. IV. 4. 37. Thebaid. III. 5. ad Claudian. Cons. Honor. III. 50. Burmann. ad Valer. Flacc. IV. 655. ad Virgil. Æneid. III. 330. et Secundo ad Anthol. Latin. tom. I. pag. 16. quæque dixi ad Arator. de Act. Apost. II. 316. Ceterum in hoc litterarum studio cum aliis Impp. Julianum comparavit Falsterus Amœn. Philol. p. 48. *Idem.*

Suspectam] Abjectam sane, et repulsam. Ammian. XIV. 6. de suis temporibus: 'pro philosopho cantor, et in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur.' Non tam philosophiæ vero, quam 'præsagiorum sciscitationi nimiæ' deditum Julianum testis idem Ammian. XV. 4. *Patarol.* Barth. ad Claudian. Laud. Stilic. II. 128. citat *despectam*, quod tamen in nullo inveni, et placet vulgata, cum philosophis varia crimini darentur. Apuleius Apol. pag. 305. ed. Colv. 'Sustineo enim non modo meam, verum etiam philosophiæ defensionem, cujus magnitudo vel minimam reprehensionem proximam criminis aspernatur; propter quod paullo prius patroni . . . . . communiter in philosophos ficta ab imperitis mercenaria loquacitate effutierunt.' Ad quem locum quædam habet Scipio Gentilis Opp. tom. VI. p. 21. In universum itaque philosophiam quidem intelligere potuit Mamertinus, sed tamen, quod forte etiam Patarolo placuit, inprimis de ea parte cogitasse videtur, quæ divinandi artem complectebatur, quam vulgo 'mathesin,' ejusque peritos 'mathematicos' adpellabant. Mathesin nimirum in probabilem, sive doctrinalem, et reprobam, sive divinatoriam dividebant, utraque hoc pacto distincta, ut illam penultima brevi, hanc vero eadem producta efferrent. Joann. Saresber. Policr. I. 9. 'At divina mathesis, dum penultimam extendis, figmenta ad magicam referuntur:' ubi forte legendam 'divinæ,' id est divinatoriæ, ut ipse eam adpellat, II. 19. addam alium ipsius locum ex lib. II. 18. 'Mathesin ergo probabilem, quæ penultima brevi enunciatur, quam et natura inducit, ratio probat, et utilitatis experientia adprobat, quasi quoddam doctrinæ suæ jaciunt fundamentum, ut exinde opinionum suarum lubrico, quasi quadam imagine rationis, in mathesin reprobam, quæ profertur extensa penultima, perniciosissime prolabantur.' Probabilem lege prohibitam haud novi; damnatam, quod antea factum jam fuerat, inprimis coërcuit Constantius, in ipso etiam Juliani consulatu a. CCCLVII. lata lege, qua aruspices, mathematicos, hariolos, augures, Chaldæos, et magos consuli vetuit, imo vero, si qui artem suam exercerent, capite jussit puniendos, L. 4. et 5. C. Theodos. de Malef. L. 5. et 6. C. Justin. eod. Præcipua, qua in his legibus, pœnave motus fuerit Constantius, ratio in ipso videtur Juliano quærenda, cui arte sua imperii occupandi animum addiderant mathematici. Nicomediæ enim harum artium præcepta hauserat a Maximo Ephesio, propter eas a Valentiniano deinde ad mortem damnato, quique eum occupandi imperii cupidum fecerat, quare cum apud Constantium fieret suspectus Julianus, intercedente Eusebia, Imperatoris uxore, ad philosophandum Athenas est missus, ubi mathematicis iterum sese tradidit, de imperio præsagia capturus. Vid. Histor. Tripert. VI. 1. quam descripsit Joann. Saresber. VIII. 21. atque ex hoc adfectandi imperii studio explicandam censuerim L. 6. C. Theod. de Malef., a Constantio a. CCCLVIII. latam, qua mathematicos 'majestatem quodammodo pulsare' dicit. Hanc itaque philosophiæ partem restituit, suaque auctoritate adjuvit Julianus, post-

quam ad imperium pervenisset: hinc Ammian. XXII. 12. 'Quisque, cum inpræpedite liceret, scientiam vaticinandi professus, juxta inperitus et docilis, sine fine, vel præstitis ordinibus, oraculorum permittebantur sciscitari responsa, et exstispicia, nonnumquam futura pandentia; oscinumque et auguriorum, et omnium fides, si reperiri usquam posset, affectata varietate quærebatur:' ubi confer Valesium. *Arntz.*

Ac necdum] Arbitror germanum, quod in Vet. est *nedum*. In Bertin. Cuspin. lego, *ac non solum spol.* quod glossema, et interpretamentum meis auribus. Gemina vero hæc Ciceronis ad Attic. I. 16. extr. 'Tu, quoniam quartana cares, et nedum morbum removisti, sed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Græcia siste.' Quanquam ne inibi quidem explorata scriptura. Nam ecce editum Manutio, 'et non modo morbum rem.' Sed illo modo in optimis libris homo diligens, Simon Bosius, perspicue ostendit, et secundum eos equidem litem dem, addicam. Atque hæc notatio est vocis, qua de loquimur, cum præponitur, alia, cum postponitur. Quo positu tantundem est, ac si dicas multo minus. Seneca de Benef. VI. 37. 'Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam, incendium extinxisse, quod feceris, reputatur.' Alii passim. *Livin.* Non solum spoliatam; aut, non dicam, spoliatam honoribus, sed, cetera. *Cellar.* Balbus, et Oppius in Ciceron. Epist. ad Attic. IX. 8. pr. 'Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent.' *Jæger.* *Nedum* quoque Guelf. et ita jam citavit Puteanus ad Pacat. Paneg. XVII. § 2. in Schonhov. excerptis est *non solum*, forte ex Cuspin. *Necdum* retinuerunt usque ad Gruterum, et postea adhuc Rivinus. Quod in quibusdam legitur *non solum* est ex glossa; *nedum* enim pro non solum, non modo passim ponitur. Drakenb. ad Livium XLV. 29. 2. Schwarz. ad Plinii Paneg. LXIV. § 2. Oudend. ad Sueton. Galb. c. 5. Burman. ad Propert. I. 4. 9. *Arntz.*

Ac ream] Et ita apud Barthium ad Claudian. Laud. Stilic. II. 128. Hoc ad Constantii leges pertinet, de quibus modo dixi, quem tacite sæpe noster perstringit, rem Juliano haud ingratam facturus. *Idem.*

Gemmisque redimitam] Confer locum Plinii Panegyr. cap. LXXXV. ubi de amicitia reducta a Trajano in aulam loquitur, et locum Pacati in Paneg. cap. XVI. ubi de eadem agit. De facundia idem omnino locus apud Symmach. IV. 56. quæ incipit, 'Plures,' &c. *Juretus.* Eadem, et iisdem pæne verbis Pacatus in Theodosium: 'Tu amicitiam non solum intra aulam vocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam solio recepisti.' *Livin.* Cf. ad Pacatum Notas. Quod hic 'gemmis redimitam' dicitur, 'lapillis interstinctum' adpellat Ammian. XIX. 1. *Arntz.*

§ 5 *Suspicere jam in cælum*] Paganorum more rursus sidera colere, futura ex illis divinare. *Cellar.* Ita sub Theodosio, teste Zosimo lib. IV. p. m. 758. Κίνδυνος πᾶσιν ἐπέκειτο τοῖς νομίζουσιν εἶναι Θεοὺς, ἢ ὅλως εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπουσι, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ φαινόμενα προσκυνοῦσιν. *Jægerus.* Cf. Wernsdorf. ad Himer. p. 97. ed. Ill. Harlesii. *Idem.* Quia damnatam a Constantio mathesin iterum admittebat Julianus, eidem ipse deditus, de quo modo dixi. *Contemplari luminibus* dixit eo more, quo alii 'oculis videre,' de quo ad Mamertin. Genethl. X. § 5. *Arntz.*

Pecorum] Insolens lectio, quæ in Vet. *pomorum ac quadrupedum.* Sed indubie verum est, quod Bertin. Cuspin. referunt *pronorum ac quadr.* Ovidius: 'Pronaque cum spectent animalia cetera terram, Os homini sublime dedit.' Sallustius Catilinar. 'vel-

uti pecora, quæ Natura prona, atque ventri obedientia finxit.' *Livin.* Livineio jam adstipulabatur Rupertus ad Sallust. Catil. I. et textum recte dedit emendatiorem Jægerus. Juvenal. Sat. xv. 146. 'Sensum a cælesti demissum traximus arce, Cujus egent prona, et terram spectantia:' ubi Grang. Minuc. Fel. Octav. 17. 'Quod illa prona, in terramque vergentia, nihil nata sint prospicere, nisi pabulum.' Joann. Saresber. Policr. VIII. 24. 'cum cetera animalia prona ferantur in terram.' Muncker. ad Lactant. Placid. Narrat. Fabul. I. 2. Cortius ad Sallust. Catil. I. 1. *Arntzenius.*

In humum] Digitum mihi intendere videtur in Constantii Imperatoris sæculum, ut iniquius adversum philosophos, quod jam dixit, ac mathematicos, qui et alias urbe, Italiaque submoti a principibus, futurorum scientiæ metu, ut ex historiis clarum. *Livin.* Cod. Put. *imum*: falso. *Jæger.* *Cælum* et *humus* recte opponuntur, ideoque nulla mutandi ratio; *terram* dixerunt nonnulli, quos modo citavi. *Arntz.*

Visus trepidos] Oculos, eorumque conjectum. Sic Tacit. Annal. XI. 34. 3. 'Et jam erat in adspectu Messalina, clamitabatque, audiret Octaviæ et Britannici matrem, cum obstreperet accusator, Silium et nuptias referens: simul codicillos, libidinum indices, tradidit, quibus visus Cæsaris averteret.' Claudian. in Eutrop. II. 133. sq. 'Ad mœnia visus Dirige.' *Jæger.* Ovidius Metam. xv. 63. 'Et quæ natura negabat Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.' Lucretius I. 37. 'Pascit amore avidos inhians in te Dea visus.' Valer. Flaccus v. 455. 'Odere tamen, visusque reflectunt.' Rutilius Itin. I. 95. 'Confunduntque vagos delubra micantia visus.' Seneca Hercul. Fur. 652. 'Torpet acies luminum, Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.' *Arntzenius.*

Ortum sideris] *Sidus* pro sole dixit, per excellentiam. Vid. patrem meum ad Plinii Paneg. XXIX. § 4. et LXXX. § 4. Burman. ad Virgil. Æneid. II. 154. *Idem.*

Agricolæ quorum quidem] Lege traductim, *Ne agricolæ quidem, quorum opera ad.* Acidal.

Quorum opera] *Opera*, sicuti Græcorum ἔργα, proprie de laboribus agricolarum dicuntur. *Jæger.* Pacatus Paneg. IX. § 4. 'Exsequebaris agricolam. Audio etiam, Imperator, et credo, sæpe aliqua te laborum tibi injunxisse, et .... cujuscemodi semper opere insidiantis otii tersisse rubiginem;' ubi 'cujusquemodi' legit Livineius, quod recte minus necessarium judicat Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 504. sed ex Puteaneo et Schwarziano legendum est 'ejuscemodi,' nempe agricolarum opere, quare statim Curii, Coruncanii, et Fabricii exempla addit. De hac 'operis' notione dixi ad Sedul. Carm. I. 110. et de Græco ἔργον optimus collega, Segaar Obs. ad Lucam p. 273. In sec. Rivini est *onera*, forte typographi vitio. *Arntz.*

Motum signorum cælestium] Vox *cælestium* abest Mœrl. et potest sane abesse. Sic Tullius de Invent. I. 34. 'Nam et signorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem servant.' Idem pro Milone, c. 30. 'cæli signorumque motus.' Virgil. Georg. I. 257. 'Nec frustra signorum obitus speculamur, et ortus.' Suspicor itaque τὸ *cælestium*, explicationis caussa, adscriptum ab aliquo, in textum irrepsisse. Ceterum 'signa' intelligenda esse non modo ea, quæ signifer orbis habet, sed in universum sidera, res ipsa satis declarat. *Jæger.* Est tamen apud Martian. Capell. de Nupt. Philol. VIII. p. 287. 'Transcursa ratio est signorum cælestium:' aut potius 'transcursa ratione,' ut ex Ms. profert Clariss. Bondam. Var. Lect. p. 47. Non nego, 'signa,' simpliciter apud Manilium, aliosque

plures sæpe poni, sed tum intelligunt XII. signa, in quibus suis temporibus Sol conspicitur, ζώδια apud Plutarch. de Placit. Philos. v. p. 908. hæc vero non sola observabant agricolæ, quod ipse agnoscit Jægerus, sed Virgilias etiam, aliaque sidera, de quibus Plinius Hist. Nat. XVIII. 27. quare generaliter Minucius Fel. Octav. 17. 'quod (sidera) arandi metendique tempus inducant:' et passim rei rusticæ scriptores. Servo itaque *cælestium*, quod habet etiam Guelf. In universum enim sunt 'signa cælestia,' quibus quid de cælo indicatur; et hoc præsertim loco futuræ tempestates. Ovidius Met. XV. 667. 'Quaque ipse morari Sede velit, signis cælestibus indicet, orant.' Ipsam rem ita exprimit Joann. Saresber. II. 2. 'Hinc agricolæ, hinc nautæ, familiaribus quibusdam experimentis, quid quo tempore geri oporteat, colligunt, qualitatem temporis futuri ex eo, quod præteriit, metientes.' *Arntz.*

Rimabantur] Cf. de hac voce not. patern. ad Pacati Paneg. VI. § 3. Eginhartus Vit. Carol. 25. 'siderum cursum curiosissime rimabatur.' *Idem.*

§ 6 *Ad astra*] Guelf. *ad castra*. Vitiose. Virgilius Æn. v. 852. 'Clavumque adfixus et hærens Nusquam amittebat, oculosque ad astra tenebat.' v. 338. 'Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat, Exciderat puppi.' Minucius Fel. Octav. 17. 'quod (sidera) regant cursum navigandi,' ubi frustra 'quomodo' emendat Crusius Prob. Critic. p. 69. Hygin. Poët. Astron. p. 423. *Idem.*

Stellarum nominibus] Quia stellæ sua nomina a Diis vel hominibus, ac rebus, cum fabulis, ac superstitione gentium conjunctis, traxerunt. *Jæger.* Mihi potior ratio esse videtur, ne stellis, ex quibus cursus sui rationem peterent, nominandis, in damnatæ matheseos suspicionem venirent; quamvis enim philosophiæ partem faceret stellarum cognitio, ea tamen abutebantur, quos per excellentiam 'mathematicos' vocabant. Joann. Saresber. Policr. I. 12. 'Mathematici sunt, licet adpellatio generaliter omnia complectatur, qui a positione stellarum, situque firmamenti, et planetarum motu, quæ sint ventura, conjiciunt.' II. 19. 'Mathesis, quæ futurorum pollicetur indicium, ab elementis philosophiæ .... trahens originem, ultra progreditur, et, elationis suæ temeritate, in prærogativam ejus prorumpit, qui stellas numerat, quarum ipse nomina solus, signa, potestates, cursus, loca, tempora novit.' Quæ posteriora sunt Sedulii Carm. I. 50. et postea eod. cap. de iisdem mathematicis: 'Dum constellationibus, et planetis nimium virtutis adscribunt, eis nescio quam auctoritatem operum adscribentes.' Isidorus Orig. III. 70. extr. 'Nonnulli siderum pulcritudine et claritate pellecti in lapsus stellarum cæcatis mentibus corruerunt, ita ut vel per supputationes noxias, quæ mathesis dicitur, eventus rerum præscire posse conentur:' ita enim ex cod. Groningano locus est legendus. VIII. 9. 'Geneses enim hominum per duodecim cæli signa describunt, siderumque cursu nascentium mores, actus, et eventa (ita recte idem cod. non 'eventus') prædicare conantur. .... Hi sunt, qui vulgo mathematici vocantur, cujus superstitionis genus constellationes Latini vocant.' *Arntz.*

Ratione cælesti] Arte, et scientia astronomica. Sic Cicero de Invent. I. 5. 'civilem rationem' vocat, quam paullo post 'civilem scientiam,' politicam, dicit. *Jæger.* Joann. Saresb. Policr. II. 18. in fin. 'motumque siderum, rationemque signorum vivaciter adsequuntur:' ubi 'ratio' caussam notare videtur, quare sidera ita moveantur, et ex qua, quid even-

turum esset, prædicebant, quæ forte notio neque ab hoc loco est aliena. *Arntz.*

Vivebatur] Guelf. *vivebant*, quod in ed. suæ margine probabat Cortius; mihi non æque placet. *Idem.*

CAP. XXIV. § 1 *Et tantus amor*] Malim sic legere, *si et tantus amor*. Rhenan. Mihi ea recipienda esse videtur lectio, *quod tantus*, quam auctoritas plurium confirmat. Τὸ *quod*, hoc loquendi modo, Latio non prorsus esse excludendum, contendit Perizonius ad Sanct. Minerv. III. 14. p. m. 505. et Vossius de Construct. c. 62. Immo, labente Latinitate, hæc ratio magis magisque cœpit frequentari. *Jæger.* Jægero, ex codd. *quod* substituenti, de usu illius voculæ non intercedo, quem post similia verba usitatum esse latius docuerunt Vorstius de Latin. Fals. Susp. 24. Burman. ad Lucan. II. 321. ad Phædr. v. 2. 11. Duker. ad Flor. I. 22. 2. Scheller. Præcept. Stil. Part. I. c. 2. p. 151. Verheyk ad Eutrop. v. 5. et quæ Perizonio obmovit Burman. ad Calpurn. Ecl. III. 35. et Gesnerus in Fabri Thes. h. v. Elegantior tamen est scriptura in Guelf. *qui tantus*, id est qua ratione, quo modo, idque restitui facillime in *quod* a librariis mutatum. Plautus Amphitr. I. 1. 263. 'Qui potitare solitus est patera aurea.' Cicero N. D. I. 10. 'intelligere qui possumus,' et c. 30. 'qui potest esse in ejusmodi trunco sapientia.' Apud Prudent. Apoth. 265. 'Cui dabitur mortali exquirere, quidnam Ultra principium Deus egerit?' recte Putean. cod. 'qui dabitur:' adde Heins. ad Virgil. Æn. I. 676. V. D. et Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXV. § 2. Mencken. Observ. L. L. p. 826. et quæ monui ad Sedulium Carm. v. 153. antiquum esse ablativum, subaudito 'modo,' vel 'pacto,' censet Cortius ad Sallust. Catil. LI. 24. contracte ex 'quoi;' sed et ex 'quai' subaudiri potest 'parte,' ut fecit Taubman. ad Virgil. Culic. 190. *Arntz.*

Neque enim ullum puto] Lege, *nego enim ullum post*. Sic paullo inferius: 'Nego quempiam ab uno amico plus dilectum, quam tu,' &c. *Acidal.* Verbum *puto* deest in ed. Rhenan. Stephan. quare Acidalius pro *neque* legit *nego*. Sed, cum ceteri omnes *puto* exhibeant, nihil est mutandum. *Jæger.* Vulgatæ favent codd. *Puto* quoque deest in Rivini ed. præter quem post Livineium omnes retinuerunt. Non video, quare, retento hoc verbo, Acidalii conjecturam tacite in textum admisit Cellarius, cum dederit, *Nego enim ullum, puto, post homines, &c.* sensu maxime turbato. *Arntz.*

Dilectum: ceterorum] Distingue, *dilectum. Ceterorum reg.* Acidal.

§ 2 *Pectoribus*] Quod per 'habitare' noster, id ita expressit Pacatus Paneg. VI. § 3. 'Divinus ille animus, venturus in corpus, dignum prius metatur hospitium, sive, cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo.' *Arntz.*

Fortunata benevolentia] Emendo, *subita et forte nata benivolentia. Benevolentia forte nata* est fortuita. *Meursius*, Auctar. Phil. c. 27. Forte legendum, *fortuita benevolentia.* Ritters. Non aptum *fortunata*. Potius *fortuita*, aut magis *forte nata*. *Fortuita* conjecit Rittershusius. *Acidal.* *Fortuita* recepit Cellarius. Mihi vero Acidalii emendatio, utpote scripturæ vulgatæ vestigiis proxime insistens, potior videtur, eamque sequor. *Jæger.* *Fortuita* defendi posset ex iis quæ monui supr. c. XI. extr. sed, cum *fortunata* recte se habeat, non debuisset contra codd. in textu conjecturæ locus dari. Amorem, ex *fortunata benevolentia* ortum, opponit eidem ex virtutibus, propter quas Imperatorem colebant. Est itaque *benevolentia fortunata*, qua quis erga Imperatorem non propter ipsius virtutes ducitur,

sed quia per eam evadit fortunatus. Ita apud Ciceron. Brut. cap. 96. 'fortunatus illius exitus' est, per quem fortunatus est factus; apud Virgil. Æn. VI. 639. 'nemora fortunata;' et 'secundam vitam, et prudentiam fortunatissimam' jungit Apuleius de Deo Socrat. p. 700. Rittershusii notam, in ed. Paris. neglectam, ex ipsius Conjecturarum reliquiis post Goldasti Parænetícos huc revocavi. *Arntz.*

§ 3 *Adligatus animus*] Possis incolumi sententia τὸ *animus* delere. *Acidal.* Sic edd. omnes. At cod. Bertin. cum Mœrl. *illigatus*, quod multo convenientius, meritoque recipiendum est. Eadem verba supra quoque, Paneg. Nazar. XV. § 5. permutari vidimus. Vocem *animus*, incolumi sensu deleri posse, monuit Acidalius; equidem et deleri eam debere censeo; uncisque includo. Librarius litteras vocis antecedentis posteriores *atus* iterasse, ex iisque τὸ *aius*, h. e. *animus*, natum esse videtur. Patarol edidit *animo et vit*, quod melius quidem vulgata, sed tamen ταυτολογεῖ. *Jæger.* Guelf. *alligatus;* Jægerum tamen sequor. Cicero Timæo 13. 'effluente animo divino ambitus inligabant.' Lactant. Opif. Dei XVI. 10. de mente humana; 'corporis, cui inligata est:' ubi in quibusdam quoque 'alligata.' Adde Buneman. ad eumd. Instit. VII. 2. 8. Neque tamen hic *animus* ejicere audeo. Turbas movisse videtur prava interpunctio, *adfectus veri certique judicii est, imis mentis sedibus alligatus animus, et vitæ inmixtus et unitus, &c.* quam ita restituo, *adfectus veri certique judicii est imis mentis sedibus illigatus; animus et vitæ inmixtus et unitus, &c.* Sunt enim hæc præcedentibus opposita; *adfectus veri certique judicii* contrarius est *caritati subita et fortunatæ benevolentia provocatæ;* idem ille *imis mentis sedibus illigatus* diversus est a *caritatibus, quæ in summis hominum habitavere pectoribus;* deinde *animus vitæ inmixtus, et unitus* est oppósitus *caritatibus admodum raris,* cum vitæ inmixtus in quibuscumque viventibus sit conspiciendus; denique idem *cum inmortali mente victurus* opponitur *caritatibus nec umquam diuturnis.* *Adfectus veri judicii* est, quod de Pop. R. Commodum Imp. amante, tradit Herodian. Hist. I. 7. 4. Ἐπόθουν γὰρ αὐτὸν ἀληθεῖ ψυχῆς διαθέσει. *Arntz.*

Et vitæ] Guelf. *etiam vitæ*, sed eadem vocula mox repetita offendit. Participium *unitus* aliis quoque placuisse docet Cellarius Cur. Poster. p. 157. *Idem.*

§ 4 *Atque pilis*] Hæc quoque militum, qui Imperatori aderant, fuisse arma, ex hoc loco probat Bauldri ad Lactant. M. P. cap. 40. 'cum gladiis esse' Latine dici ostendit Wasse ad Sallust. Catil. cap. 28. *Idem.*

Sollemnis ornatus] Hausta videntur ex Seneca de Clement. I. 13. 'Princeps suo beneficio tutus nihil præsidiis eget; arma ornamenti causa habet.' *Idem.*

Civici amoris] Iterum sumsisse a Seneca videtur, de Clement. I. 19. 'Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium.' Cicero Philipp. II. 44. 'caritate et benevolentia civium septum oportet esse, non armis.' Plinius Paneg. XLIX. § 3. 'Discimus experimento, fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa; hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit:' ubi hujus quoque loci, et Senecæ memor est Schwarzius. Pacatus Paneg. XLVII. § 3. 'remota custodia militari, tutior publici amoris excubiis.' *Idem.*

§ 5 *Adjeceris*] Institutum enim Constantinopoli a Constantino senatum dignitate auxit Julianus. Vid. Vales. ad Ammian. Marcell. XXII. 9. *Arntz.*

Procuratori alimentorum] Supra cap. XIV. 'Cum igitur, inter egregia negotia itinere confecto, usque ad Thraciæ fines perventum foret, cursim disposito exercitus commeatu, ad Romanam urbem, annonæ vacuam, mentem reflexit.' *Putean.* Vid. supra c. XIV. § 1. *Jæger.*

Duo aut tria] *An tria* Vet. Bertin. Frequens Tacito. *Livin.* Cicero de Amicit. c. 4. 'Ex omnibus sæculis vix tria, aut quatuor nominantur paria amicorum.' Orator noster Theseum et Pirithoum, Pyladem et Oresten, Damona et Phintiam indicare videtur. Cf. Panegyr. Pacati XVII. § 1. *Jæger.* *Aut* et *an* permutatum quoque est apud Incertum Constantin. III. § 2. hic vulgatum tueor. *Arntz.*

Ab uno amico] Sane voces 'unus' et 'ullus' miscentur non numquam. Vid. Bronckhus. ad Propert. III. 7. 8. Sed τὸ 'unus' sæpe etiam πλεοναστικῶς vel pro aliquis poni constat, et hic 'multis,' sc. comitibus, &c. opponitur. Quare nihil muto. *Jæger.* Vera est scriptura *uno*, omnibus illis opposita, qui sequuntur; magis etiam convenit 'pari amicorum.' *Arntz.*

§ 6 *Non modo*] *Quod non modo* Guelf. probante in ed. suæ margine Cortio, idque recepi; rationem enim addit, quare dilectus magis fuerit Julianus, quam unus Pylades ab Oreste, a Damone Phintias, quia non tantum a paucis amicis, comitibus et tribunis, quos secum habebat, sed ab ingenti omnium militum numero diligebatur. *Idem.*

Comitibus tribunis] Lege, *tribunisve.* Nam tribuni non sunt Imperatorum, sed militum tribuni. *Faber.* Forte *comit. trib.* Livin. Inserenda copula *comitibus et tribunis.* Sic ante alibi: 'Comites et tribuni corripuere lacrymantes.' *Acidal.* Inseruit copulam Cellarius, et Patarol, quos sequor. De comitibus rei militaris, et tribunis vid. Guther. de Offic. Dom. August. I. 15. p. 51. sqq. et Salmas. ad Trebell. Tyr. c. 12. p. m. 292. *Jæger.* Livineii conjectura eo pertinet, quod in textu sine copula *comitibus* littera minori ediderit, tamquam adjectivum τοῦ *tribunis*; jam majuscula scribi voluit, ut dignitatis titulus indicetur. Neque tamen copulam arbitror necessariam, præsertim cum ex sola sit Puteani aliorumque conjectura, et tamen eam omittere soleat Mamertinus, III. § 1. 'Receptas virtute tua Gallias, barbariam omnem subactam.' IV. § 6. 'Provinciæ obsessæ, expugnatæ, ferro ignique vastatæ.' VII. § 2. 'Ripam ordo prætexeret, despiceretur ad lævam.' IX. § 1. 'Levati Dalmatæ, Epirotæ depressi.' § 4. 'Perlui, mundari, madere; fora, deambulacra, gymnasia frequentari, dies festos consecrari.' X. § 1. 'Mœsta omnia, semiruta oppida, desolata mœnia, ab indigenis solitudinem, exsulum turbam .... despiciat cuncta lætantia, agros consitos, urbes frequentes,' &c. XVII. § 2. 'a teneris annis, ab ætate puerili:' pluribusque in locis. De comitibus, et tribunis cf. ad Incertum Constantin. II. § 3. *Arntz.*

§ 7 *A custodia tua*] Ita Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. itemque Mœrl. At cod. Liv. et Bert. cum Gruter. Paris. Cellar. Patar. *cust. tui:* recte. Vid. quæ de pronominibus supra, Mamert. Genethl. II. § 1. adferuntur. *Jægerus.* *Tui* Guelf. quod primus recte dedit Gruterus, quem reliqui præter Rivinum sunt secuti. Cf. ad Mamertin. Maximian. IX. § 3. et XIII. § 3. Genethl. II. § 1. Incert. Maximian. VI. § 4. Constantin. I. § 4. Male Guelf. *removeris.* Arntzen.

Anxia est] Mamertinus Genethl. II. § 4. 'nos, semper anxios vestri caritate:' ubi vide, et Abram. ad Ciceron. pro Marcell. cap. 7. *Idem.*

Curamus] Sic legitur in edd. plerisque. Verum in Schonhov. Ms. Gud,

Mœrl. *curemus*, quod non possum non probare. *Jæger*. Recte. *Arntz*.

CAP. XXV. § 1 *Devotam*] Ad Eumen. pro Instaur. Schol. IV. § 3. de cohorte sacramento Imperatori devincta exposui: si quis tamen pro addicta simpliciter accipere velit, non abnuam. *Idem*.

Cohortem] Vid supra XIX. § 4. *Jæger*.

Imperitia rudes] Acumen sententiæ evolvo, faciendo, *primum quod illi peritia rudi indoctissimum*. Vel *peritia rudes*. Sed attentius qui considerabit, probabit prius. 'Rudem peritiam' appellat barbarum illud sive judicium, sive inventionem asciscendi in consilium indoctos, ut illis prudentia aliqua ipsi principes prævalerent. Sic et Tertullianus de Anima *indoctam prudentiam* dixit, ubi ait, 'Qui tamen indocta prudentia pollent:' sic Horatius, 'facili sævitia:' 'Dum fugientia detorquet ad oscula Cervicem, aut facili sævitia negat.' Imo et ipse Mamertinus iterum: 'quis nescit aliorum Imperatorum hilarem diritatem, cachinnantemque sævitiam:' et Petronius de Bello Civili. *Pontan*. ad Macrob. Saturn. V. 15. Facilis emendatio, *quod imperiti ac rudes, &c*. ut in Cuspin. est. Subaudi ὑπάρχοντες. Sed argutit adolescens, qui Macrobium nuper vulgavit, reponique vult, *primum quod illi peritia rudi, &c*. in quo calide sibi placet. At ego eum habere sibi res suas ex animi sententia jubeo, et mecum, tu lector, sat scio. *Livin*. Primæ voces non sanæ. Nihil enim addit, quod secundæ, aut tertiæ rationis loco sit. Forte *plerique imperiti ac rudes*. Acidal. Lectionem meliorem *imperiti ac rudes* profert etiam Schonhov. eamque in contextum recepit Baun. Cellar. et Patar. Ceteri omnes una cum Mœrl. *imperitia rudes*. Quod Acidalius monet, nihil addi, quod secundæ, aut tertiæ rationis loco sit, verum id quidem est: sed non minus verum est, *primum* non numquam absolute poni, nulla alia particula sequente. Vid. Schwarz. Excurs. XXVII. ad Paneg. Plin. itemque Corrad. Mannt. et Cort. ad Ciceron. Epist. ad Divers. II. 9. Quod si tamen aliquid mutandum videatur, possit quoque legi *plurimi*, (nam in l. c. Ciceronis pro 'primum' non nulli exhibent 'plurimum') *quod imperiti ac rudes*, sc. erant. Sed longe certior, ac verior est vulgata. Sententia enim non semper absolvitur, sed interdum imperfecta relinquitur, quod locus Plinianus Paneg. XXII. § 1. manifeste ostendit. *Jæger*. Guelf. quoque *imperitia rudes*. Secutus sum, quod posterioribus edd. placuit, et Schonhov. quoque tribuit Jægerus; id vero mihi non liquet. Quod de voce *primum* absolute posita monet Jægerus, etiam docuerunt Tursellin. de Partic. p. 754. Duker. ad Flor. II. 18. 12. Drakenb. ad Livium XXII. 43. 3. *Arntz*.

In consilium delegabant] Vulgatum *deligebant* habent Guelf. et Schonhov. excerpta, de cujus veritate nulla est dubitatio. Similem vide permutationem apud Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 1. *In consilium* explicui ad Incert. Constantin. IV. § 1. *Idem*.

§ 2 *Potitus fieret*] Lege *foret*. Acidal. *Fuerit* Livin. Cum Rhenan. *fieret* Stephan. At Cuspin. cum Schonhov. itemque cod. Mœrl. et edd. reliquis *foret*. Jæger. *Foret* etiam Guelf. quod recte recepit Gruterus, et sequentes præter in pr. Rivinum, qui Rhenani *fieret*, quod est ex Puteol. retinuit. Livineii *fuerit* dedit Paull. Stephanus. *Arntz*.

Diligebant] Cuspin. et Schonhov. *diligebat*. Jæger. Vulgatum præstat. Quinctil. Declam. XII. 5. extr. 'se in curiam quisque cogunt:' ubi Burman. ex Ms. tamen illic notatum habeo, 'quique cogunt.' Apud Virgil. Æn. II. 130. habet Gudian. 'Quæ sibi quisque timebant.' Nemesian. Ecl. III. 46. 'Sibi pocula quisque Obvia corripiunt.' Burmann. ad eumd. Ecl.

I. 66. Titius ad Gratium Cyneg. 441. Claudianus Laud. Stilic. II. 152. 'Et nomine quemque Compellas, clari, sub te quod gesserit olim, Admonitos facti.' Supra XIV. § 5. 'pro se quisque conquerimur.' Cf. Brisson. Parerg. § 88. Rader. ad Curtium III. 5. 14. Heins. ad Ovid. Amor. II. 11. 21. Burman. ad Sueton. Cæs. cap. 27. Oudend. ad Cæsar. B. G. I. 39. 5. Clarke ad eumd. II. 25. 3. Cortius ad Plinii Epist. IX. 13. 4. Drakenb. ad Livium II. 22. 7. not. patern. ad Victor. Inlustr. XLVII. 2. neque obstat præcedens *petitus foret*; ita enim in his numeros variare ostendi ad Arator. de Act. Apost. II. 712. *Arntzenius.*

Suspecta esset probitas] Sallust. Catil. cap. 7. 'Nam regibus boni, quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est:' ubi in Daventriensi cod. optimo vidi 'suspectatiores.' *Idem.*

Importunior turpium] Lege *importunior turpibus arb.* Acidal. *Turpium arbiter* est inspector, et judex, de quo Muncker. ad Fulgent. Placid. Narrat. Fab. V. 3. *Arntz.*

§ 3 *Nugis remotis*] Juliani laudes pete ex Ammiano XIV. 6. *Paterol.* Hominibus nauci, et nihili. Cicero ad Attic. Epist. VI. 3. 'Videaturne, aut pietatis esse meæ, fratrem relinquere, aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere?' ubi Manutius: '*Nugarum aliquid*, levem hominem, Mescinium. Non pius, si fratrem relinquo; non diligens, si quæstorem, rei militaris expertem.' In eadem Epistola: 'Amicos habes meras nugas, Matinium, Scaptium.' *Jæger.* *Nugas* per eos recte exponit Scipio Gentilis, quos ante 'indoctissimos, vilissimos, improbissimos' dixerat, in Adpend. Notar. ad Apuleium, Opp. tom. VI. pag. 257. adde Taubman. ad Plautum Trinumm. III. 3. 90. unde 'boves nugatorios' de vilibus defendunt eruditi apud Columell. de Re Rustic. II. 5. 9. est in *nugis* eadem loquendi ratio, qua abstractum poni dicitur pro concreto, de qua semel atque iterum ad præcedentes Panegyricos. *Arntz.*

Laude militiæ] Locutionem hanc similibus inlustrat Markland. ad Statii Silv. III. 4. 13. De ipsa re cf. Spanhem. ad Julian. Orat. I. pag. 206. *Idem.*

Habetur, ultro ad] Vet. *habetur, qui in oratoria facultate, qui in scientia juris civilis excellit, ultro.* Puteanus. Auctiores libri nostri, Vet. Bertin. Cuspin. *in am. habetur, qui in oratoria facultate, qui in scientia juris civilis excellit, ultro, &c.* Livin. Ita est. Revocandi sunt, quæ reperiuntur in editionum prima, et Livineii scriptis: *habetur, qui in oratoria facultate, qui in scientia juris civilis excellit, ultro ad famil.* Nam togatæ illæ artes summo in pretio apud Romanos, ut vel liquet ex unis Taciti Annalibus, exque auctore de Caussis Corruptæ Eloquentiæ. *Gruter.* Libris a Livineio laudatis accedit Schonhov. Mœrl. cum edd. Gruter. Parisin. Patar. Cellar. *Jægerus.* Ex codd. quoque adcedit Guelf. Ex editoribus omissa primus recte inseruit Paull. Stephanus, quem etiam secutus Baunius, idque confirmatur ex iis, quæ de neglecta militia, juris scientia, et oratoria facultate sub aliis principibus dixit cap. XX. princ. Rhenani lectionem iterum dedit Rivinus. In Puteolan. est *haberetur.* Per 'editionem primam' intellexit Cuspinianam Gruterus, sed antiquior Puteolan. hæc ignorat. *Arntz.*

§ 5 *Regendis provinciis*] Dativus, finem notans. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. 9. p. m. 555. *Jæger.* Eumenius Constantin. XII. § 2. 'spectaculo dati.' *Arntz.*

Familiarissimum] In Gud. *familiarissimus quisque, sed innocentissimus legitur.* Jæger.

CAP. XXVI. § 1 *Privatæ fidei*] Vet. *privata fide.* Putean. Legerim,

amicitias tueris privati fide, Imperatoris opulentia; id est, amicitias colis non tanquam Imperator cum subdito, sed tanquam privatus cum ejusdem sortis homine: at munificus es, et liberalis in amicos, plane ut Imperatorem decet. *Meursius*, Auctar. Phil. c. 27. Id etiam de ipsis Christianis verum, ex quibus, quos antea amicos habuit, postea non neglexit. Vid. ejus Epist. 31. p. 404. atque hinc etiam, et ob morum severitatem, suis conformem, Novatianis præ aliis Christianorum sectis favit, quia cum Sisinnio sub Macrino studiis operam dederat. Socrates v. 21. in hos benevolentia Eleusio gravis fuit. Socrates III. 1. Sozomenus v. 5. *Anonymus* in Strodtman. Europ. Nov. Erudit. part. VII. p. 585. *Privati fide* firmat Cuspin. præferens *privati fidei*, et Livin. cum edd. si Rhenan. et Stephan. demas, omnibus. *Jæger*. In Rhenan. Stephan. et pr. Rivini est *privatæ fidei*, ut pendeant ab *amicitias*. *Privati fide* Gnelf. sequens oppositum *Imperatoris* hoc melius esse indicat, quam Puteani illud *privata*. Pacatus Paneg. XII. § 5. 'qui futurus eras in Imperatore privatus.' Incertus Maximian. x. § 5. 'auctoritatem privati Principis adtulisses.' Hnic loco geminus est ille Pacati Paneg. XVI. init. 'Ecquis Imperatorum umquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum?' ubi sequentia confer. *Arntz*.

Opulentia, quæ perpetua] Inserendum aliquid videtur, quando sequentia præcedentibus male hærent. Forte *opulentia*, *In te, quæ perpetua et constant, &c.* Acidal. Recte iterum ejecit Jægerus; sunt enim omnia satis plana. *Arntz*.

Fiducia] Pignus. Cicero pro Flacco, c. 21. 'Pecuniam adolescentulo grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. Hanc fiduciam commissam tibi dicis; tenes hodie, ac possides.' *Jæger*. Ciceronis locum ita etiam explicuit Gronov. Lect. Plautin. p. 151. hinc sæpe cum 'pignore' jungitur. Savaro ad Sidon. Apoll. Epist. IV. 24. et 'fiduciam committere' contra Fabrum explicuit Mencken. Observ. L. L. p. 403. adde Taubman. ad Plautum Bacchid. IV. 4. 100. a fiduciæ contractu hoc descendit, quem 'fiduciæ rationem' dicit Cicero pro Cæcin. 3. ubi Passerat. quo res alicui ea lege mancipabatur, ut remanciparetur; cum igitur ante actionem Servianam jus in re conventione dari creditori non posset, sæpe pignus cum istiusmodi contractu mancipabant debitores, quo dominium adquireret creditor, quare 'fiducia' et pro ipso contractu, et pro re ita tradita dici cœpit, quamvis sua natura a 'pignore' distaret, cujus etsi traditi dominium penes debitorem manebat. Eleganter hæc explicuit Schulting. ad Paulli Sentent. II. 13. init. et Græviun ad Ciceron. pro Rosc. Comœd. c. 6. *Arntz*.

Princeps veritas] *Princeps veritas* non assequor, ac ne veterem quidem scripturam, quæ repræsentata mihi cum fide. Placet rescribi, *et maximi principis securitas*, ac *virtutum* exponam, bonorum, et præditorum virtute, *κατὰ μετωνυμίαν*. *Livin.* *Veritas* est amor veri, justi et æqui, ut apud Ciceronem, Orat. pro L. Quintio, c. 2. 'Cum tot, tantisque difficultatibus adfectus atque adflictus, in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, misericordiam P. Quintius confugerit.' Aut fortasse *συνώνυμον* est virtutis ipsius. Sic Seneca, Epist. 71. 'Idem esse dicebat Socrates veritatem, et virtutem:' ubi vid. Lips. Utrumcumque eligas, sensus non erit obscurus, etiam sine ulla mutatione. Scil. Tuendo amicitias privati fide, Imperatoris opulentia, exhibes perpetuæ et constantis benevolentiæ pignus primarium, et certissimam virtutem, eumque candorem, et æquitatem, quæ principem decet. Vel:

Tueri amicitias privati fide, Imp. opulentia, (quod tu facis,) est primarium pignus perpetuæ benevolentiæ tuæ erga tuos, et certissima, quin imo princeps et regina virtutum. Sed malo inserere *in te*, ut sensus sit, Virtus tua princeps est veritas, quæ, &c. *Jæger*. Quare hæc ad Julianum referre maluerint interpretes, ideoque cum Acidalio *in te* inserere, non video, quo tendit etiam posterior Jægeri interpretatio. Potius in universum de quocumque principe cogitasse Mamertinum arbitror. Hunc duplici modo considerat, et civium, et ipsius principis ratione. In civibus est perpetuæ benevolentiæ pignus, cum princeps, fallere nescius, datam de suo favore fidem sanctissime servet: in ipso vero principe est certissima virtus. Cum enim lectio *Principis* quatuor optimorum codd. auctoritate, eademque Cuspiniani nitatur, locum ita legendum puto, *benevolentiæ prima fiducia est. Certissima virtutum est Principis veritas:* ita enim 'et' cum 'est' quoque permutarunt librarii apud Mamertin. Maxim. VIII. § 3. et apud Eumen. pro Instaur. Schol. XIX. § 3. pro *deflexus est dispar*, ut vulgo editur, in Guelf. legitur *deflexus et*. Recte autem *veritas* explicuit Jægerus. Valer. Max. III. 2. ext. 9. 'Alteri veritas aperta finis vitæ fuit.' Plinius Epist. III. 11. 6. 'Vix unum aut alterum invenies tanta sinceritate, tanta veritate.' Cicero in Læl. 25. 'Delet eam veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest.' 'Veritatis diligentem' dixit Nepos Epamin. III. § 1. hoc sensu 'veritas odium parit' est in vulgato Terentii, quo usus etiam Ausonius Sapient. p. 284. et Cicero Læl. c. 24. 'molesta veritas, siquidem ex ea nascitur odium,' quam 'veritatis asperitatem' dixit Sidon. Apollin. Epist. VII. 7. ubi Savaro, et Weitzius ad Salvian. de Gub. Dei p. 204. *Arntz.*

§ 2 *Num quem*] Quid agam, nullus video, nec vel leviter mentem elicio. In Vet. Cuspin. est, *Nunq. in an.* in Bertin. *Numquam*, nihili ad sententiam momento. Legebam timide, et citra præjudicium, *Num quis maligne de se suspicatum audivit?* Sed tu adjuva, sis, mi lector, et, si quid ad manum melius, imperti. *Livin.* Puto verum esse, *Num quem inania esse, &c.* errore ex compendio scripturæ nato *inaia*. Ritters. Potius, *Numquam enim omnino esse susp.* Vel, *Num quem enim omnino esse susp.* Acidal. Quid? si *suspicatum* pro suspicione dici ponamus. Exemplum quidem desidero: sed analogia aperte favet. Ut enim ab 'arbitror,' 'arbitratus,' a 'comitor,' 'comitatus,' a 'dominor,' 'dominatus,' ab 'hortor,' 'hortatus,' a 'modulor,' 'modulatus,' ab 'opinor,' 'opinatus,' a 'peculor,' 'peculatus,' a 'populor,' 'populatus,' a 'venor,' 'venatus,' a 'despicor,' 'despicatus,' sic etiam a 'suspicor' formari posse 'suspicatus' lucide apparet. Hoc admisso, non opus est ulla mutatione. Fateor tamen, multo mihi magis consentaneam videri emendationem priorem Acidalii. Voces 'animo' et 'omnino,' ex compendiosa nota, facillime miscentur. Vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. XCIV. § 2. De cetero, legere malo sine interrogatione, ut est in Bertin. Cuspin. Schonhov. Gud. *Numquam, &c.* Jægerus. Vulgo lectum fuit per interrogationem, *Num quem in animo esse suspicatum audivi?* quod parum sequentibus respondet, in quibus deest interrogatio. A litterarum ductu nimium abit Livineii conjectura, eaque Acidalii *Numquam enim omnino* multo est facilior. Si cum Jægero substantivum malles, forte placere posset *suspectum*, quod pro suspicione est apud Eginhartum Vit. Carol. M. cap. 3. ubi Schmincke. Sed neque eo opus. Vitiosa sunt *in animo*, ex quibus eruo *in amico*, propter scribentium compendia, in utraque sibi voce maxime

vicina, sicuti hæc quoque sunt confusa apud Livium IX. 6. 8. apud Ennodium Epist. III. 1. 'numquam tibi ad officium animorum,' emendabat 'amicorum' Reinesius Epist. ad Daum. 11. Itaque cum dixisset noster, 'amicitias tueris privati fide,' hoc confirmat, *Numquam in amico esse suspicatum audivi*, id est, te esse, quod pronomen propter secundam in *tueris* negligere potuit, aut forte, quod malim, illud compendium τοῦ *esse* absorpsit; vix enim distant *ee* et *te*. Ita 'suspicari' absolute ponitur apud Terent. Eunuch. Prol. 40. 'Amare, odisse, suspicari.' Senec. Epist. 3. 'Multi aliis jus peccandi suspicando fecerunt.' Horatius Od. II. 4. 22. 'Fuge suspicari, Cujus octavum trepidavit ætas Claudere lustrum.' Si tamen *Principis* de Juliano capiatur, posset hæc vox ex præcedentibus ita repeti, 'Nunquam in amico esse principem suspicatum.' Proximus est Ciceronis locus, pro Syll. cap. 17. 'de quo nihil est umquam suspicatus.' *Arntz.*

Simulantis blanditiis] Similis est Pacati locus Paneg. XVIII. § 1. 'ut parcior tardiorve tempore quem modove decipias.' De suo hæc potuit Imperatore credere Mamertinus, qui mihi videtur arte civili velasse, quod mente cogitabat, et ad captandam civium gratiam ea fecisse, quibus comitatem simularet. Huc pertinere opinor, quæ de Juliano surgente, et se per viam comitante testatur infra XXVIII. § 8. et XXIX. § 4. et quod artificium contra ipsius mores esse dixit supra XVIII. § 2. Ita enim de Juliano Joann. Saresb. VIII. 21. 'Studebat .... omnibus omnia fieri..... hinc a civilitate ficticia comis,.... et, quod maxime erat, ne crudelis haberetur, mansuetudinem mentiebatur.' Quæ desumta sunt ex Hist. Tripert. VI. 1. Ammian. Marcell. XXV. 5. de eodem: 'Vulgi plausibus lætus, laudum etiam ex minimis rebus intemperans adpetitor, popularitatis cupiditate cum indignis loqui sæpe adfectans:' ubi forte scribendum 'cum infimis loqui.' *Idem.*

Cachinnantemque sævitiam] Taxari Domitianum reor, quem simulatione multiplici dolosum vocant historici, qui, quotiescunque in quempiam sævire destinabat, crudelitatem tegebat, effundebatur in hilaritatem, sæpiuscule ridebat, quare graphice, et apposite 'cachinnans sævitia' vocatur a Mamertino, quam cachinno, h. e. etiam effuso risu simulabat. 'Cachinnus' est effusus plus æquo risus, unde catholica sententia Annæi Senecæ: 'Sit risus extra cachinnum.' 'Risum cachinnabilem' pro nimio, et superfluo vocat Apuleius. Inimicos suos Marius, risu simultatem tegentes, jocose dixit 'Sardonium ridere risum.' Hoc significare voluit Plinius Cæcilius, scribens ad Trajanum: 'Quid enim tam infidum mare, quam blanditiæ Principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos, quam propitios habere?' Expressius hoc idem significavit in Domitiano Tranquillus: 'Erat,' inquit, 'non solum magnæ, sed et callidæ, inopinatæque sævitiæ. Auctorem summarum pridie quam crucifigeret, in cubiculum vocavit, assidere in thoro juxta coëgit secum, hilaremque dimisit; partibus etiam de cœna dignatus est.' Si 'cachinnantem Mamertini sævitiam' libeat ad Constantium, antecessorem Juliani, vertere, non errabis. Fuit enim et ille fucatæ hilaritatis foris, domi nobilium carnificinam exercens, auctore Marcellino. *Baptista Pius,* Adnotat. posterior. Syll. III. cap. 45. Domitianum notat, de quo adi Suetonium cap. 11. *Livin.* Vide et Plin. Paneg. cap. LXVI. *Patarol.* Cf. Pricæum ad Apul. Metam. VI. p. 302. est in his oxymori species, cujus alia exempla dedit Goetzius ad Coripp. IV. 96. et quæ notavi supra ad Incert. Maxi-

mian. x. § 5. Pontan. supra xxv. § 1. *Arntz.*

Ingenita crudelitas] Cf. ad Mamertin. Genethl. ii. § 2. Sequens *figmento* ætate Mamertini non indignum, de quo ad Sedul. pag. 20. *Idem.*

§ 3 *Mentis linguæque*] Contra de Severo Herodianus ii. 9. in fin. *ψευσάμενος πρὸς τὸ χρειῶδες· διά τε γλώττης προΐετο, ὅσα μὴ ἔφερεν ἐπὶ γνώμης. Idem.*

Mendacium] Similia hanc in rem habet inmortalis Grotius de J. B. lib. iii. 1. § 20. *Idem.*

Et vere] Forte *vero.* Livin. Cellarium secutus majus distinguendi signum post *vere* posui, cum in reliquis edd. hæc sequentibus connectantur. Male; primum enim Imperatoris sententiam probat, veramque profitetur, tum vero rationem addit. *Arntz.*

Facit magnitudinem] Distingue, *faciat. Magnitud.* Acidal. Hoc minus placet. *Jæger.*

§ 4 *Gradu pulsus*] Scil. amicitiæ, et familiaritatis. Vid. omnino Bosii Index in Corn. Nep. h. v. De 'gradibus' palatii hic agi, non satis probabile videtur. *Idem.* Cicero pro Muræn. cap. 23. 'ut omnes et dignitatis, et gratiæ gradus tollerentur.' Pro Quinct. cap. 19. 'qui primus erat officii gradus:' et 'obtinere gradum auctoritatis,' Valer. Max. iii. 5. 4. *Arntz.*

Habitu prohibitus] Non ignoro, paulo post 'oris habitum,' et simpliciter 'habitum' a Plinio Secundo in Paneg. Trajani dici, ubi, 'Quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides?' et postea, 'Non amictus cuiquam, non habitus, quem modo extulerat.' Verumtamen hic quidem illud *habitu* displicet, quod vicina verbi *habet* proxime præcedentis, et subsequentis *prohibitus* vocabuli mentio fecit, ut manifesto mendo scriberetur pro *aditu.* Vult enim Panegyristes dicere, hanc fuisse Principis humanitatem, ut eorum nemo, qui privato ipsi quondam familiares fuerant, aut amicitiæ loco pulsus, aut aditu palatii, vel interioris etiam sacrarii sit prohibitus, posteaquam ille summæ rerum potiri cœpit. Sic Auctor alibi Geneth. ad Maxim. 'Atque hæc quidem,' inquit, 'velut interioribus sacrariis operta veneratio eorum modo animos obstupefecerat, quibus aditum vestri dabant ordinis dignitates.' Sic 'facilem adiri Principem' Pacatus Panegyr. ad Theodos. sic Nazarius in Paneg. ad Constantin. 'faciles aditus, auresque patientissimas' laudat: sic denique Ausonius in Grat. Actione ad Gratianum Imp. 'Laudabile,' inquit, 'est, Imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione accusari.' Plinius in Panegyr. ad Trajanum: 'An quisquam, studia humanitatis professus non cum omnia tua, tum vel imprimis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem?' et statim: 'Nullæ obices, nulli contumeliarum gradus, superatisque jam mille liminibus, ultra semper aliqua dura et obstantia.' Claudianus denique Panegyrico ad Honorium Imp. in vi. ejus Consulatu, ei hanc quoque clementis, et facilis aditus laudem tribuit: quos eo lubentius proferam, ut in ipsis mendum, superioribus assimile, castigem ex meo pervetusto codice, quo me pridem Sodales, qui Canonici dicuntur, Metropolitanæ Auseorum Ecclesiæ liberaliter donarunt. Igitur ita Claudianus: 'Exultant juvenes æquævi Principis annis, Temnunt prisca senes, et in hunc sibi prospera fati Gratantur durasse diem: moderataque laudant Tempora, quod clemens aditu, quod pectore solus Romanos vetuit currum præcedere patres:' ubi excusi libri perperam et 'fata' pro 'fati,' quod tamen Græcam et poëticam phrasim cum sapiat, profecto

rectum est, et 'quo tempore' pro 'quod pectore,' gravi mendo, cujus ansam illud 'tempora,' quod præcedit, librario præbuisse verum est, scriptum habent. *Faber*, Semestr. II. 25. Minimi momenti est: moneo tamen legendum, *nemo aditu prohibitus*. Modius, Novantiq. Lection. Epist. 25. *Aditu* ex ingenio etiam emendavit Juretus ad Symmach. Epist. II. 8. et probarunt Livineius ad Pacat. Paneg. XXVII. § 1. et pater meus ad Plinii Paneg. LXXIII. § 1. suam sibi emendationem tacite a Modio sublectam esse conqueritur Faber Semestr. III. p. 405. Ammian. Marcell. XV. 5. 'facilitate aditus.' L. 19. pr. D. de Offic. Præsid. 'Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat.' Quo loco usus est Joann. Saresber. IV. 7. adde Bernecc. ad Plinii Paneg. XLVII. § 3. et in sua edit. Schwarz. V. D. ad Pacat. Paneg. XXI. § 2. et notata supra ad Mamertin. Genethl. XI. § 3. et Nazar. Paneg. XXXIV. § 4. *Arntz.*

§ 5 *Bonos habet*] Legendum *bonos amat*. Nisi quod et *habet* potest significare, quod apud Græcos ἔχει, pro tenet, sive retinet. Vetustos scilicet, nam de novis statim subjicit. *Faber*. Nihil emendandum. *Habet*, sive statuit omnes esse bonos, quia de amicis nihil suspicabatur, ut § 2. dixit. Contra de aliis Impp. Pacatus Paneg. XVI. § 1. quos cum putasse dixisset, suæ parum dignitati amicitiam convenire, addit, 'Inde facilius inveneris, qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo fidem promserint. Optimus ille ditabat, non etiam diligebat:' ubi, quis per 'optimus' sit intelligendus, Trajanus, aliusve, interpretes quærere video. Sed ex Vet. Puteaneo emendandum est 'optimos,' quod etiam conjecit Baunius, qui per 'ille' Gratianum intelligit; neque hoc opus; pertinet enim in universum ad eos omnes, quos generaliter per locutionem 'facilius inveneris' intellexerit. Ille, qui pecuniam ex ærario promebat, optimos ditabat. *Arntz.*

Improbi] Immodesti, nimium sibi adrogantes. Ita e. g. Seneca, Med. vs. 84. 'fulmen improbum' vocat, quod plus ausum est, quam debuit, ac decuit. Quidquid nimium est, et modum normamque excedit, improbum Latinis dici, ostendit Salmas. ad Spartian. Pescenn. c. 6. p. m. 655. Sic Mamertin. Paneg. Genethl. c. I. § 2. 'improbe,' i. e. sine more, modoque, concupiscere. *Jæger.* 'Spes improba' apud Justin. XXII. 7. 4. Cf. Serv. ad Virgil. Ecl. VIII. 48. Georg. I. 145. Passerat. ad Cicer. pro Cæcin. I. Gronov. Diatr. Stat. c. 29. Schulting. ad Senec. Contr. I. p. 105. Oudend. ad Lucan. VII. 160. Cort. ad Plin. Epist. I. 2. 3. Canneg. ad Avian. 25. 7. Duker. ad Flor. III. 10. 17. Burman. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 358. *Arntz.*

Tolerandi] Confer Plutarchi locum in Vita Agesilai: 'Amicis erat præsto in rebus etiam iniquis, &c. amicos corripere in peccatis non sustinebat.' Non aliter de juvene suo Simo ille Terentianus, Andr. I. 1. 'Facile omnes perferre, ac pati; Cum quibus erat, cumque una, iis se dedere, Eorum obsequi studiis, adversus nemini,' &c. *Patarol.* *Improbi tolerandi, famil. vit.*] Sic distinguunt, et legunt omnes. Acidalius vero correxit hunc in modum: *Si aliqui sunt improbi, tolerandis fam. v. &c.* et hanc lectionem præferunt codd. Gud. cum Mœrl, quos jure ac merito sequor. Sensus est: Si qui ex amicis immodesti sunt, tolerat eorum vitia, nec animum propter ea mutat. *Jægerus.* Verissima est codd. lectio, quam jure probavit Jægerus. In veteri scriptura *si* per siquidem, scilicet foret exponendum, ut apud Auctor. Declam. in Sallust. c. 4. 'Neque hercule mirum est, si ego semper justas omnium amicitias existimavi:' ubi

Cortius, et ad Ciceron. ad Divers. XII. 12. 5. et XVI. 8. 1. Gothofred. ad Tertullian. ad Nation. I. 12. et 15. Not. ad Caton. Distich. I. 1. Drakenb. ad Livium VII. 13. 6. ita rationem redderet, quare familiarium vitiis inmutabilis esset amicus Julianus; nostra tamen lectio et simplicior est, et præcedentibus magis congrua. *Arntz.*

CAP. XXVII. § 1 *Secundæ res*] Curtius X. 1. 40. 'Res secundæ valent commutare naturam.' Tacitus Histor. I. 15. 5. 'Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant; quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.' Vid. ibi Lipsium. *Jæger.* Salvianus de Gubern. Dei VII. p. 154. 'Etiamsi continentissimi et castissimi semper fuissent, mutari tamen tanta rerum obsecundantium felicitate potuerunt.' *Arntz.*

Divinior] In ed. Paris. *diuturnior* adscribitur Puteani cod. sed in excerptis penes me Mss. sola notatur Puteani conjectura, quæ tamen neque a scriptis, neque excusis confirmatur. Melior quoque vulgata; sequentibus enim exemplis, quibus divino muneri Juliani felicitatem tribuit, aptius est *divinior*. Idem.

§ 2 *Laceratis Galliæ provinciis lapsus*] Quid hoc audio? *Lapsus in Galliis* Julianus, hoc est, ἔπταισεν? At enim vero, quæ inibi ab eo contra barbaros gesta fortiter ac feliciter, Constantii, et factionum invidiam conciverunt, ut supra dixit. Legam ego, haud sane fidenter, *In laceratas Gall. provincias.* Ait incidisse, et incurrisse in Julianum laceras, ac deploratas Galliæ provincias, non consilio et sponte ab eo susceptas. *Livineius.* *In laceratas G. provincias;* sic Livineius emendat vulgatum *in laceratis provinciis.* Sententia: Quum incidisset in adflictas Gallias, tam feliciter rem gessit, et omnia restituit, ut invidiam Constantii, et Constantianorum incurreret, qui et clam, et apertis armis eum peterent. *Cellar.* Forte melius legas *laceratas, &c.* ut placuit Acidalio. *Patarol.* Livineii emendationem in contextum recepit Cellarius. De laceratis Galliæ provinciis incursu Germanorum, rebusque a Juliano gestis, vid Eutrop. X. 7. Aurel. Vict. de Cæs. XLII. 17. et Epit. XLII. 12. Ammian. Marcellin. lib. XV. XVI. XX. *Jæger.* Quam Acidalio male tribuit Patarolus, Livineii conjecturam solus recepit Cellarius, sed veterem scripturam, quam codd. tuentur, recte iterum revocavit Jægerus. Livineium in errorem duxit prava verborum constructio, qua *in laceratis provinciis* ad *lapsus* retulit; tu potius junge cum *petebatur*, hac sententia; lapsus petebatur insidiis inimicorum in laceratis Galliæ provinciis. Quid vero illud *lapsus?* Apud Nazarium Paneg. VI. § 2. pro 'etiamsi fortuna dilapsa est' conjiciebat 'lapsa' Acidalius, et hoc loco confirmat; de inminuta igitur Juliani fortuna vocem accepisse videtur. Potius tamen per 'elapsus' interpretor, id est, cum custodum manus evasisset. Curtius III. 13. 3. 'e manibus custodientium lapsus.' Ammian. Marcell. XVI. 12. 'Rex Chodomarius, reperta copia discedendi, lapsus per funerum strages.' Adde Brouckhus. ad Propert. I. 11. 15. Wopkens. in Observ. Miscell. tom. VIII. p. 272. quare celerem tacitumque discessum in hoc verbo notat Barth. ad Statium Theb. IV. 645. huic interpretationi favet historia. Nimirum in Macelli fundo in Cappadocia velut carcere detinebatur Julianus, nondum Cæsar, ex quo tamen evasit. Socrates Hist. Eccles. III. 1. Ἴσχυσας δὲ διαδρᾶναι τοὺς φρουροῦντας αὐτὸν, τόπον ἐκ τόπου ἀμείβων διεσώζετο. In Hist. Tripert. VI. 1. hæc ita vertuntur: *et cum fuga elapsus fuisset, diversa loca circumeundo servatus est.* Joannes vero Saresb. VIII. 21. 'Et quidem manus non evasisset Imperatoris.' Degebat autem Medio-

hini Imp. Constantius, apud quem fictis criminibus quosdam persequebantur inprobi adcusatores, quorum princeps erat Arbetio, quem 'ad insidiandum acrem et flagrantem' adpellat Ammian. XIV. 11. horum inpetus neque effugit Julianus, quem duplici crimine reum agebant, tum quod ex Macelli fundo in Asiam aufugisset, tum quod Constantinopoli fratrem salutasset. Venit tamen Mediolanum, ut sese purgaret, Julianus, sed, Constantii adsentatoribus id urgentibus, nihilominus periisset, nisi Eusebiæ, Imperatoris uxoris, opera fuisset liberatus, si fides Ammiano XV. 2. quamvis de hoc periculo alii sileant historici, et tantum memorent, intercedente Eusebia, fuisse dimissum, et mox Athenas perrexisse. Cum autem Galliæ Cisalpinæ urbs esset Mediolanum, ubi hæc agebantur, recte potuit scribere Mamertinus, Julianum his insidiis in Galliæ provinciis fuisse petitum, easque adpellare 'laceratas,' cum de eodem hoc tempore scribat Ammian. XV. 5. 'Cum diuturna incuria Galliæ cædes acerbas, rapinasque, et incendia, barbaris licenter grassantibus, nullo juvante, perferrent.' et c. 8. 'Constantium vero exagitabant nuncii, deploratas jam Gallias indicantes, nullo renitente ad internecionem barbaris vastantibus universa.' *Arntz.*

Petebatur] Sollemne verbum de adversariorum inpetu; hinc per factiose adgredi explicat Servius ad Virgil. Æn. V. 890. sumtum illud est a gladiatoribus, eodem teste ad Æn. IX. 439. quare ad oratores transtulit Cicero in Cæcil. c. 4. 'Novi omnes hominis petitiones, rationesque dicendi:' ubi not. *Idem.*

§ 3. *Et moderatione*] Guelf. omittit *et*, quod forte verum esse posset propter copulam plerumque a Mamertino omissam, de quo supra XXIV. § 6. Vulgatum tamen maluerim. *Idem.*

§ 4 *Vel id tempus*] De usu τοῦ *vel* vide ad Eumen. Constantio I. § 3. *Idem.*

Belli metu] Belli civilis, quod Constantius adversus Julianum suscipiebat: ad quod ex Oriente proficiscens in itinere mortuus est. *Cellar.* Bellum puto, quod Julianus in Constantium moverat, cujus mentio apud Ammian. XXI. 5. quod brevi, Constantio mortuo, diremptum est. *Patarol.*

Liberata] Morte Constantii. *Livin.*

Elati sumus cuncti] Mamertin. Geneth. XII. § 1. 'Inmodico propinquitatis vestræ elata gaudio:' ubi not. *Arntz.*

§ 5 *Propagatam videret*] *Propagatam* Aldus. *Schonhov.* *Propugnatam* verum, non *propagatam.* Acidal. Sed nec illud spernendum. Quemadmodum enim 'vita,' 'gloria,' sic etiam 'salus propagata' dici potest. *Jæger.* Rectissime Bibliotheca Philologica verbum *propagatam*, quod ferri posse falso opinabar, spernit. Etenim propagata rei publicæ salus, h. e. continuata, angusta et jejuna laus est pro rerum, a Juliano gestarum, amplitudine, et gloria. Deinde Mamertinus ipse de bello, feliciter et moderate contra fratrem patruelem, Constantium, gesto loquitur. At vero bello propugnatur salus rei publicæ; pacis autem artibus propagatur. *Idem.* *Propugnatam* est in Guelf. in quibus illud viderit Rhenanus, nescio; alterum constanter servant edd. ceterique codd. et satis habet præsidii ex iis, quæ dixi ad Eumen. Constantio III. § 2. et Incertum Maximian. II. § 2. quin magis *propagatam* dixerit, si eum Biblioth. Philologicæ Auctore statuas, 'salutem bello propugnari,' id enim factum non fuit, cum ad bellum quidem se paraverat Constantius, sed non patravit morte præventus. Magis itaque, armis cessantibus, salus fuit *propagata*, quam bello *propugnata.* Arntz.

Offensarum gratias] *Gratiam* melius, quam, ut erat in edd. *gratias faciens.* Illud *gratiam* invenitur in duobus Mss. *Gruter.* 'Gratiam facere' est remittere, condonare. Sic, v. c. Sueton. Calig. c. 15. 'Pari popularitate damnatos, relegatosque restituit: criminumque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.' *Jæger.*

Induit fatum] Nihili et inepta lectio, sed ad verum mihi præivit, quod in Vet. repperi, *fratrum.* Emendabam liquide *fratrem*, id est, caritatem fraternam. Erant enim inter se fratres patrueles Constantius ac Julianus, ut ante vidimus. Nunc ne dubites, quisquis es, lector, ita disertim est in Bertin. *Livin.* *Induit fratrem* melius, quam, ut erat in edd. *induit fatum.* At *fratrem* tuetur se auctoritate codicis Bertiniensis, adjuvatque alter cod. Livineii, in quo *fratrum.* Sed et alioquin ratio id propugnat. *Gruter.* An, *imputavit fato?* an, *ignovit facto?* Nugæ. Lege *induit fratrem*, id est, fraternum animum. Verum hoc esse, qui quæ superius scripta de hac discordia fratrum meminit. *Acidal.* *Fratrem* amorèm fraternum, caritatem fratris. *Patarol.* Ita 'induere patrem' explicuit Barthius ad Claudian. Cons. Honor. III. 156. 'proditorem et hostem,' Tacitus Annal. XVI. 28. a scena mihi sumta videtur locutio, quare alicujus 'personam induere' dixit Cicero Tuscul. v. 26. de Offic. III. 10. Lactant. Instit. II. 16. 3. ubi Bunem. 'soceri vultum induere,' Valer. Max. v. 1. 10. 'formam feri,' Arnob. advers. Gent. IV. p. 145. unde manarunt locutiones 'induere animos' apud Senec. Epist. 47. quem locum descripsit Macrob. Saturn. I. 11. et ex eo Joann. Saresb. VIII. 12. et 'induere adulationem, simulationem,' et similia apud Gronov. Observ. I. 2. Duker. ad Flor. I. 11. 9. In Acidalii nota post *verum hoc esse* quid excidit; inserebat Jægerus *videbit*, aut simile verbum. *Arntz.*

Vitam impugnatam] Lege *vitam suam impugnatam.* Ritters. *Suam* certe subaudiri debet. *Jæger.*

Mortem ejus] Id est, illum mortuum, interprete Wopkensio ad Pacati Paneg. c. XXXIV. *Arntz.*

Meminit heredis] Hoc est, fortunæ suæ, qui heres ei, successorque esset, ut Pompeii 'heredem' Cato Cæsarem apud Lucanum IX. appellat: 'O famuli turpes, domini post fata prioris Itis ad heredem?' Et alioqui 'fama rumorque loquebatur (verba sunt Ammiani c. XXI.) interim Constantium voluntatem ordinasse postremam, in qua Julianum scripsit heredem.' *Livin.* Hæredem se esse Constantii, de quo Ammian. XXI. 15. 'mentis sensu tum etiam integro, successorem suæ potestatis statuisse dicitur Julianum.' *Patarol.* Ammian. XXII. 2. 'Defunctum Constantium nuntiantes, addentesque, quod eum voce suprema successorem suæ fecerit potestatis.' *Arntz.*

CAP. XXVIII. § 1 *Civilis animi*] Submittentis se ad mensuram civis. Sueton. Aug. c. 51. 'Clementiæ, civilitatisque ejus multa et magna documenta sunt:' ubi vid. Casaubon. *Jæger.* Cap. præced. § 3. 'nam civilior factus:' ita 'civem se agere' dicitur Imperator apud Capitolin. Anton. Philos. 26. 'imperatorium fastigium ad civilitatem deducere,' Idem Anton. Pio 6. 'civiliter se agere,' Anton. Philos. 8. eaque est 'civilitas,' ibid. Anton. Phil. 11. Adde, quæ de hoc ipso die dixi supra p. 2211. *Arntz.*

§ 2 *Matutino crepusculo*] Addit *matutino*, ut a vespertino distinguat. De solo vespertino apud optimos inveniri notat Burman. ad Ovid. Heroid. XIV. 21. et Secundus ad Anthol. Lat. tom. II. pag. 308. Ita saltem Varro de L. L. v. p. 31. 'Crepusculum a crepero .... significat dubium .... quod cre-

pusculum, dies etiamnum sit, an jam nox, multeis dubium.' Cf. Nonium de Propr. Serm. 1. n. 45. et Isidor. Orig. v. 31. contra Servius ad Virgil. Æn. II. 268. 'licet utrique tempori possit jungi, usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit:' nisi tamen de hoc loco idem sit dicendum, quod in Servio notavi ad Arator. pag. 11. ita matutino tribuit Drakenb. ad Silium v. 27. et frequenter saltem posteriores. Rutilius Itin. I. 277. 'Roscida puniceo fulsere crepuscula cælo:' ubi Barthius. Martianus Capell. II. p. 29. 'Cum creperum lux alma micet, gemmata decore, Cum nitet aurato fit et cum Phosphorus astro:' ubi 'aurato fulgescens Phosph. ostro' emendat Reines. Epist. ad Daum. 33. Idem II. p. 47. 'Tenui lucernam palpitare lumine Coëgit instans innitens crepusculum:' in cod. Bibliothecæ Lugduno Bat. est 'et innitens,' unde emendo 'et nitens.' Apud Sidon. Apoll. Epist. VIII. 3. 'crepusculascentem horam' contra alios de matutina explicat Savaro. *Idem.*

§ 3 *Danti operam*] 'Operam dare' h. l. est audire, præbere aures. Sic e. g. Plautus Captiv. Prol. vs. 6. 'Id ego hic apud vos proloquar, si operam datis.' *Jægerus.* Idem Casin. v. 2. 5. 'Operam date, dum mea facta itero.' Adde Gronov. Lect. Plautin. pag. 69. *Arntz.*

Salutatoribus] Notus mos salutationis matutinæ, de quo ad Ciceron. in Catilin. I. 4. aliquid diximus. *Cellar.* D. Hieronym. Epist. 22. ad Eustoch. 'Festinus exsurgit, salutandi ei ordo disponitur.' *Patarolus.* Cf. Schwarz. de Assectatione Vet. Romanorum, § 5. sqq. *Jægerus.* Eumdemque ad Plinii Paneg. XLVIII. § 3. De Rooy Anim. Critic. p. 34. *Arntz.*

Tamquam præceptus] *Præceptus* est præventus. Virgilius: 'Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.' Spectantque huc illa Ausonii in Gratianum: 'In officiis amicorum non dico paria reddis, antevenis, et quoties te in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quam in nobis esse deberet ab imperatore præventis.' *Livin.* *Præceptus*] Alii *præceps.* Prius id. Nisi tamen *præceptus* est præventus, occupatus. Ausonius Panegyr. *Acidal.* Id est, tamquam ipsi præceptum esset, vel tamquam præventus a me, quem ipse prævenire deberet. *Anonymus* apud Strodtman. Europ. Nov. Erudit. part. VII. pag. 585. Gud. cum Mœrl. habet *prærepius,* quod minus placet. . Rhenanus notat, alios legere *præceps,* quod optime locum tueri posset, si abesset vox *tamquam.* Sic Virg. Æn. III. 598. Achæmenides 'sese ad littora præceps tulit.' Hippolytus Senecæ, vs. 728. 'præceps abiit,' et in ejusdem Œdipo, vs. 755. 'præceps silvas montesque fugit citus Actæon.' Julianum etiam alias, nimirum 'quum die quodam caussa ejus spectandi venisse nuntiatus esset ex Asia philosophus Maximus, exsiluisse indecore, et effuso cursu a vestibulo longe progressum,' narrat Ammianus lib. XXII. p. m. 399. Significationem, quam voci *præceptus* tribuit Livineius, optime huc quadrare, satis apparet: sed exemplum aptius illo Virgiliano desidero. Mihi quidem nullum nunc succurrit, quod plane satisfaciat. *Jæger.* *Præceptus* etiam Schonhov. excerpta. Quod in quibusdam legitur *præreptus,* est vulgatæ permutationis, de qua Heins. ad Valer. Flacc. IV. 751. ad Ovid. Her. XVII. 107. V. D. ad Silium IV. 804. ad Curtium IV. 1. 3. et 10. 13. Oudend. ad Cæsar. B. C. III. 1. 6. not. patern. ad Victor. Inlustr. v. 5. iis, qui h. l. *præceptus* per præventus explicent, ego quidem non adsentior. E sede, fateor, sua exsilire solent, quos alii inopinatos præveniunt, sed utrum id civilis est animi documentum, ob quod hac in parte Julianum laudat, an vero magis rei præter opinionem accidentis indi-

cium? itaque *præceptus* potius notat, tamquam hoc ipsum quispiam jussisset, cui obtemperare deberet; tamquam in surgendo nullam facere moram auderet, veritus, ne jubentem offenderet. Ammian. Marcell. xv. 3. 'continuare præceptus est.' Sulpic. Sever. Hist. Sacr. I. 21. 7. 'aquam producere præceptus est.' Muncker. ad Fulgent. Virgilian. Continent. p. 765. Ad nostrum pertinet par Plinii locus Paneg. LXXI. § 1. 'Cum candidatis, ut quemque nominaveras, osculo occurreres, devexus quidem in planum, et quasi unus ex gratulantibus. Te mirer magis, an improbem illos, qui effecerunt, ut istud magnum videretur? cum velut adfixi curulibus suis manum tantum .... promerent,' &c. qui locus Plinii in verbis, 'devexus quidem in planum,' Rhenani lectionem *præceps* tuetur. *Arntz.*

Satagente] Id est, in agendo satis anxio. Plautus Asin. II. 4. 34. 'Prius quæ credidi, vix anno post exegi; Nunc satagit, adducit domum etiam ultro.' Taubm. ad eumd. Bacchid. IV. 3. 23. Gronov. Lection. Plaut. p. 179. Arnob. adv. Gent. v. pag. 170. 'Jupiter satagit, fractus metu.' Antiqui dixerunt 'satis agere,' de quo Brisson. Parerg. § 95. et Colvius ad Apul. Metam. VII. p. 101. *Idem.*

Qualis mens mea] *Mens mea esse potuisset* in omnibus est edd. Cod. Gud. lectionem in suæ ed. margine probavit etiam Cortius. Qui *mens mea* scripserunt, ex præcedenti *vultus* repetendum esse non videbant, inde ex *meus* effinxerunt *mens*. Idem.

Serus occurrerem] Alii *serius*: recte. Sed, deleta interrogatione, superioribus hæc jungenda: *vultu trepido, atque satagente, qualis mens mea esse potuisset, si Principi serius occurrerem. Ægre, &c.* Acidal. Rhenan. in margine *serius*: recte. *Jæger.* Jægerum in textu secutus sum, ita suadente sententia, et comparativi usu, de quo dixi supra xv. § 4. Recte positam in quibusdam edd. antiquis post *occurrerem* interrogationem sustulit Acidalius. Qua in edit. *servus* viderit Jægerus, ignoro; in Rhenan. enim *serus* exstat. *Arntz.*

§ 4 *Sancta Divinitas*] De hac formula vid. supra VII. § 2. *Jæger.*

Voce inquit, Consul] Adde verbum, quod hic excidit, *ave, Consul amplissime.* Infra eadem hæc repetit. *Acidal.* Vid. infra XXIX. § 3. In Cuspin. Schonhov. et Mœrl. legitur, *ave, inquit, Cons. ampl.* Quæ collocatio verborum et elegantior est, et verior videtur, propterea quod, dictionibus *voce ave*, nulla intermedia, juxtim positis, apparet, hanc posteriorem, ob similitudinem prioris, excidere facile potuisse. *Jæger.* Ipsum *ave* vocabulum esse Pœnum judicabat Scaliger, quare Plautus Pœnul. v. 2. 34. 'Avo, quoiates estis? aut quo ex oppido?' ubi copiose Taubman. Punicum *Havo* cum Græco χαῖρε ex Antipatri Epigrammatibus contulit Reinesius de Ling. Punic. 12. § 12. et 13. et p. 81. Synt. Grævii; adde Vossium Etymol. v. *Have;* hæc quoque videtur ratio, quare *ave*, et *habe* scripserint, de quo Casaubon. ad Trebell. Pollion. p. 226. Salmas. ad Lamprid. p. 200. Schulting. ad Senec. Contr. v. p. 646. V. D. ad Caton. Distich. IV. 36. Usi autem hac voce fuere in adclamationibus, et salutatione. Oudendorp. ad Sueton. Ner. 25. ipse Sueton. Claud. 21. 'Ave, Imperator.' Symmach. Epist. III. 62. 'ave igitur dico.' Apud Iscan. B. Trojan. VI. 385. 'Psittacus inscribit apices, Philomela precatur.' Burman. ad Anthol. Latin. tom. II. p. 428. emendat, 'Psittacus inquit ave, sic et Ph.' ingeniosa est viri eruditi conjectura, in Act. Societ. Trajectin. tom. I. p. 171. 'Psittacus inquit ave, Cæsar, Phil.' nisi tamen 'ave, Cæsar,' Trojæ excidio, de quo loquitur Iscanus, parum videatur congruum. Ex peregrina autem voce

verbum formasse videntur Latini, quare 'aveo,' 'avebo,' et 'averem' est infr. XXIX. § 3. et 'avere' per salvum, et incolumem esse explicant V. D. ad Caton. Distich. IV. 36. Porro quod ex Schonhov. excerptis, aliisque protulit Jægerus, *ave, inquit, Consul*, et ex Cuspin. Paull. Stephanus revocavit, rectum est: postquam vero Gruterus dederit, *inquit, ave Consul*, hoc retinuerunt Baunius, Cellarius, Patarolus: alterum jure reposuit Jægerus, ita jubente directa oratione, in qua non a principio, sed post primam, aut sequentes voces *inquit* inseri solet. Cf. Vorstius de Latin. Merit. Susp. 24. et pater meus ad Victor. Inlustr. LXXIII. 7. *Arntz.*

Amplissime] Nulla est de consulatus titulo dubitatio. Vid. supr. XX. § 1. *Idem.*

Dignatus] Livineius conjicit *dignatis*, passive; non male: sed et vulgata recte se habet, si subaudis 'nos,' et deinde 'nobis.' *Jæger.*

Oris illius] Hæc verba sunt in Mœrl. et Gud. hunc in modum mutata: *Dignatus osculo illis divinis affatibus consecrari.* Possis legere, *Dignatus osculo et illis divin. affat. consecrare.* Sic Pacatus XX. § 2. 'Ille cohonestatus adfatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.' De honore osculorum principis vid. ad l. c. Pacati Arntzen. itemque Interprett. ad Plin. Paneg. XXIII. § 1. *Idem.* Jægerus, quod raro facit, correctionem expromit: neque adeo infeliciter. *Bibliotheca Critica* vol. II. part. I. p. 34. Conjectura, quam proposui, speciosior erit, si cum Bibliotheca Philologica pro *divinis* legas *divini oris.* Jæger. Vulgo legebatur, *Dignatus osculo oris illius, divinis affatibus consecrati*, eo modo, quo Eumenius Constantin. XXIII. § 1. 'vocem tuis auribus consecrarem:' ubi Livin. et forte hac est voce usus, quia sacri habebantur Impp., unde 'sacros vultus' explicui ad Mamertin. Maximian. XI. § 1. Codd. tamen Mœrl. et Guelf. apud Jægerum scripturam prætuli, hac sententia, dignanatus per osculum me divinis adfatibus consecrari, quod aperte firmat Pacati locus. 'Consecrari' autem est summo, et velut divino honore adfici, qua notione usus est Pacatus, et pro inmortalem reddere Cicero ad Quint. Fratr. I. 1. § 15. 'Cum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui.' Ad osculi honorem pertinet Plinius Paneg. LXXI. § 1. 'cum candidatis .... osculo occurreres.' *Arntz.*

Virtutis et fidei] Moneri poterat de imitatione ducta ex Cicerone Ep. ad Div. VII. 5. 'Hominem tibi trado in manum tuam istam, et victoria et fide præstantem.' *Bibliotheca Critica* vol. II. part. I. p. 34. Magis forte est eumdem imitatus Orat. pro Deiotar. cap. 3. 'Istam, inquam, dexteram, non tam in bellis, et in præliis, quam in promissis, et fide firmiorem.' Pacatus Paneg. XXXII. § 2. 'Fidem regum, quibus limes Orientis ambitur, data atque accepta dextera firmas:' ubi potius codd. obtemperarem, *signas* exhibentibus. *Arntz.*

§ 5 *Poëtæ ferunt*] Statius Thebaid. XI. 'Componit dextra victor concussa plagarum Juppiter, et vultu cælumque diemque reducit.' Alii passim. *Livin.* De Neptuno Virgilius Æneid. I. 'Dicto citius tumida æquora placat, Collectasque fugat nubes,' &c. *Patarol.*

Habitu oris] Quidam libri *halitu oris*, quod potest ferri, 'Halitus oris' proprie dicitur. Plinius XIV. 22. et XXIX. 2. quamquam et 'habitus oris' dicitur. Lucanus ad Pisonem: 'Talis inest habitus, qualem nec dicere mæstum.' Historiar. IX. 'Jam languida morte Effigies habitum noti mutaverat oris.' *Putean.* Cicero de Finib. III. 17. 'Quidam habitus oris et vultus.' Omnino verum est hoc loco 'habitus oris,' i. e. vultus; hoc

enim, non halitu, Jupiter tempestates mutare dicitur, quamquam 'halitus' φυσικῶς de aëre, ejusque motu intelligi possit. *Jæger.* Recte *habitu*, id est, vultu suo, quod jam tuitus sum ad Mamertin. Genethl. IX. § 1. et quæ habet Bernart. ad Statium Theb. VII. 222. Virgilius Æneid. I. 254. 'Olli subridens hominum sator atque Deorum Vultu, quo cælum, tempestatesque serenat.' Cf. Barthium ad Statium Theb. VIII. 82. et XI. 6. Similis est locus Plinii Paneg. LXXX. § 5. 'Quæ ipse mundi parens temperat nutu, siquando oculos demisit in terras.' *Arntz.*

Tempestatum incerta] *Temp. certa* excerpta Schonhov. *in* illic absorpsit præcedens *m.* Idem.

Tremiscere] Virgil. Æn. IX. 106. 'Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.' Sumtum ex Homer. Iliad. A. 528. sqq. Add. Horat. Od. III. 1. 5. Ovid. Met. I. 179. et II. 848. Statius Theb. VIII. 82. et Paneg. Mamert. Maximiano Aug. VII. § 5. et Eumen. pro Restaur. Schol. XV. § 3. *Jæger.* Adde ad utriusque Panegyrici locum notata. *Arntz.*

Turbines abigi] Virgil. Æn. I. 258. sq. 'Olli subridens hominum sator atque Deorum Vultu, quo cælum, tempestatesque serenat.' Hinc, teste philosopho Madaurensi, de Mundo, p. m. 75. Jupiter etiam 'Serenator' dicitur. *Jæger.*

Refundi] Quare ante *refundi* asteriscum posuerit Paull. Stephanus, non video. *Arntz.*

CAP. XXIX. § 1 *Laxatus*] Guelf. *lassatus:* male; ita tamen frequenter peccarunt librarii. Burman. ad Valer. Flacc. VI. 174. ad Claudian. Cons. Stilicon. II. 145. et in Addend. p. 950. Secundus ad Anthol. Latin. tom. I. p. 147. Schwarz. ad Plinii Paneg. LXI. § 10. not. ad Pacat. Paneg. XXV. § 5. Permutationis caussam indicavit Castalio ad Rutil. Itin. I. 371. *Arntz.*

Lætitiam?] Schonhov. excerptis abest interrogationis signum. *Idem.*

§ 2 *Lætantium status*] Gall. *postures.* Nepos Chabr. I. 3. 'Ex quo factum est, ut postea athletæ, ceterique artifices, his statibus in statuis ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti.' *Jæger.* Plautus Pseud. I. 5. 43. 'Statum vide hominis, Callipso, quasi basilicum.' Bunem. ad Lactant. Instit. VII. 9. 11. Joann. Saresber. VIII. 12. 'Stultus est, qui empturus equum, non ipsum conspicit, sed statum ejus, ac frenos:' at vero illic emendandum, 'ipsum inspicit, sed stratum:' ita enim legitur apud Macrobium, ex quo hæc sunt descripta, Saturn. I. 11. et Senecam Epist. 47. ex quo sua sumsit Macrobius, confirmat autem Plinius Hist. Nat. VII. 56. 'frenos, et strata equorum.' *Arntz.*

Corpore motus] In Puteol. Rhenan. Stephan. et pr. Rivini est *corpore*, sed alterum suadet præcedens *admirantium*, et *lætantium*, et ortum est illud *re* ex nota in codd. qua *rum* designatur, de quo supra IV. 5. *Idem.*

Nimiæ lætitiæ] Scribendum *nimia lætitia.* Meursius Auctar. Philol. c. 27. Non opus; abstractum ponitur pro concreto, sive nimium lætantibus, ut contra de dolentibus Corippus II. 409. 'Nescit servare pudorem Rebus in adflictis ingens dolor:' ubi Rittershus. *Arntz.*

Decoris] Forte *decori*, τοῦ πρέποντος. *Livin.* *Decoris* eodem modo dicere potuit, atque *pudorem* præcedenti loco Corippus. *Arntz.*

Jactatio togarum] Jactationis togarum notata non una mihi ratio, et occasio; hic præ lætitia, contra Actor. Apost. XXI. 23. in motu et indignatione. Ovidius Amor. III. Eleg. 2. ad studia Circi transtulit: 'Favimus ignavo. Sed eum revocate, Quirites, Et date jactatis undique signa togis.' *Livin.* Favoris, et lætitiæ signum publicum. *Cellar.* Plinius Pa-

neg. LXXIII. § 1. 'Testis ipse es, quæ in omnium ore lætitia: non amictus cuiquam, non habitus, quem modo extulerat. Quis tunc non e vestigio suo exsiluit? Quis exsiluisse sensit?' ad quem locum vid. Schwarz. de jactatione togarum in ostendendis affectibus. *Jæger.* Casaubon. ad Vopisc. p. 237. *Arntz.*

§ 3 *Verecundiam tui*] Reverentiam, tibi debitam. Livius IV. 45. 'Quando nec ordinis hujus ulla, nec rei publicæ est verecundia.' *Jægerus.* Velleius Paterc. II. 32. 1. 'Q. Catuli tum auctoritas, tum verecundia.' et § 2. 'Hic hominis verecundiam, populi justitiam mirari libet.' Sulpic. Sever. Hist. Sacr. II. 37. 1. 'Habuitque ille hanc verecundiam, ut, tanti viri judicio notatus, sponte concederet.' Eumenius Grat. Act. IX. § 4. 'verecundiæ nostræ remisisti.' Ammian. Marcell. XV. 8. 'Verecundia, qua nobis ita ut necessitudine carus est, recte spectatum.' Adde Drakenb. ad Livium IV. 45. 8. Eodem sensu 'vereri' notatum est ad Eumen. Constantio XIX. § 1. *Arntz.*

Effrena] Cf. ad Mamertin. Geneth. XVII. § 1. ad Nazar. Paneg. XXIV. § 4. *Idem.*

Avere jubeat] *Avere me jubeat* Vet. *Putean.* Potest tamen omitti propter ea, quæ notavit Jæger. ad Eumen. Constantin. XI. § 3. *Arntz.*

Sublimat] Ennii locus est in Fragment. p. 212. ed. Hessel. 'Sol, quei candentem cælo sublimat facem.' Utrum apud Nonium quoque exstet, ignoro, quamvis apud eum ex Accio, et Sallustio sit 'sublimus,' unde 'sublimare,' de Propriet. Serm. VIII. 45. est tamen ex Catonis, ut videtur, Originibus apud Festum in v. '*Sublimavit* dixit, id est, in altum extulit, Originum libro secundo: 'In maximum decus, atque in excelsissimam claritudinem sublimavit.' Id autem dicitur a limine superiore, quia supra nos est.' Hoc tamen verbum deinde fuisse obsoletum, sed cadentis Latinitatis scriptores in usum revocasse, judicat Cellarius Cur. Poster. p. 230. solius autem esse ævi posterioris Oudendorp. ad Cæsar. B. C. I. 22. 4. id quidem largior, apud hujusmodi scriptores frequentius occurrere, veluti variis locis apud Apuleium, Cassiodor. Var. III. 1. Arator. Act. Apost. I. 669. Joann. Saresb. II. 17. apud Lactant. Epit. 67. 13. 'In regnis cælestibus faciet pro humilitate sublimari.' Sed illic ex codd. quibusdam emendatum est 'sublimem.' Cf. Buneman. et Dufresnoium, Fabric. Comment. in Poët. Christian. p. 127. V. D. ad Victor. Epit. IV. § 8. sed soli tribuere cadentis Latinitatis ævo non audeo, Omeisii judicium secutus, Erasmum hanc quoque vocem male damnasse censentis, ad Juvenc. Hist. Euang. III. 145. Ex Vitruvio VI. 9. ipse protulit Cellarius. In Petronii Fragment. p. 688. ed. Burm. est, 'Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis:' in cod. Leidens. variantibus penes me est 'mollia,' et 'sublimia,' posterius vitiose, neque prius propter 'admixtus' placet; cum tamen Petronii ævo 'sublimat' indignum judicet Burmannus Secundus, ideo ad Anthol. Latin. lib. III. Epigr. 253. ubi hoc quoque fragmentum inseruit, emendat 'sublinit,' id est, suffundit, et quia sanguinis rubor candorem extollere dici nequit: id vero non adfirmat Petronius, sed sanguinem pectora, lacteo colore candida, extollere, quare *sublimat* tueor, remque ipsam confirmat Aristoteles Hist. Animal. VII. 1. Ἔτι δὲ ταῖς γε παρθένοις καὶ τὰ περὶ τοὺς μαστοὺς γίνονται διαφερόντως ἑτέραις πρὸς ἑτέρας· ... ὡς ἐπιτοπολὺ δὲ συμβαίνει τοῦτο, ὅσαι ἂν παῖδες οὖσαι, περιττωματικαὶ ὦσι. Μελλόντων γὰρ, καὶ οὔπω γινομένων τῶν γυναικείων, ὅσῳ ἂν πλείων ἡ ὑγρότης ᾖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἀναγκάζει αἴρεισθαι ἄνω, ἕως ἂν καταῤῥαγῇ. Ὥστε τότε λαβόντες ὄγκον οἱ μαστοὶ διαμένου-

ꝗ καὶ εἰς τὸ ὕστερον atque hæ sunt 'tumidæ papillæ,' de quibus Ruhnken. ad Jul. Rufin. de Schemat. p. 259. ut emendandum puto Statium Achill. I. 290. 'Omnibus eximium formæ decus; omnibus idem Cultus, et, expleto teneri jam fine pudoris, Virginitas matura toris, mammæque tumentes:' non 'annique tumentes,' ut vulgo editur, aut 'animique,' quod Bernartio placuit, et Dempstero ad Rosin. Antiq. IV. 4. *Arntz.*

Frustra colloquia] Vatican. *fausta*: optime. *Putean.* Alii *fruita*, vel etiam *fructa*; non male; nisi tamen melius *fausta*, quo epitheto nihil de salutatione aptius. *Acidal.*

Senatorium] Guelf. *sentorum*, forte pro *senatorum*. Arntz.

Tribunal petere] Ad expediendas manumissiones, auspicii causa, ut benefico actu munus inirent consules. Claudian. de Cons. Honor. IV. vs. 611. sqq. 'Auspice mox lætum sonuit clamore tribunal; Te fastos ineunte quater, sollemnia ludit Omina libertas. Deductum Vindice morem Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili Ducitur, et grato remeat securior ictu: Tristis conditio pulsata fronte recedit: In civem rubuere genæ, tergoque removit Verbera permissi felix injuria voti.' Vid. ibi Gesner. *Jæger.* Sidonius Apoll. Carm. II. 545. de Cos. Anthemio: 'Et ad Ulpia poscunt Te fora, donabis quos libertate Quirites.' Cassiodor. Var. VI. 1. 'Argumentum etiam publicæ gloriæ, solvebat famulos jugo servili.' Vales. ad Ammian. Marcell. XXII. 7. *Arntz.*

Ad curiam] Ovidius Epist. ex Ponto IV. 4. 35. sqq. de Sexto Pompeio, consule designato: 'Curia te excipiet, Patresque e more vocati Intendent aures ad tua verba suas. Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore, Utque solet, tulerit prospera verba dies, Egeris et meritas Superis cum Cæsare grates, Qui caussam, facias cur ita sæpe, dabit: Inde domum repetes, toto comitante senatu, Officium populi vix capiente domo.' *Jægerus.*

Sollemnis hujus diei] Livius lib. IX. 'Quo creati sunt die, eo magistratum inierunt, solemnibusque senatusconsultis perfectis, de pace Caudina retulerunt.' *Putean.* Voculam *ad* ante *sollemnis* rursus exhibet cod. Gud. *Jæger.* Idem cod. mutato ordine *diei hujus.* Quo minus *ad* inseratur, facit sequens *ducebant*, quod ceteroquin nihil habet, quo referas; eademque est sententia. Senatusconsulta, postquam in curiam pervenissent, facienda novos consules ad eam ducebant. *Arntz.*

§ 5 *Utrum latus*] *Utrumque latus tectus* dixit, ut Ovid. Fast. VI. 523. 'Sitque caput semper Romano tectus amictu.' Metam. I. 332. 'Atque humeros innato murice tectum.' Ibid. vs. 265. 'Terribilem picea tectus caligine vultum.' Medius igitur incessit Julianus, ceteroquin 'tegere latus' erat inferiorum, et qui ad sinistram ibant. Horatius Od. III. 26. 5. 'Lævum marinæ qui Veneris latus Custodit.' Sat. II. 5. 18. 'Utne tegam spurco Damæ latus.' Sueton. Claud. 25. 'revertenti latus texit.' Cf. Barth. ad Stat. Theb. II. 218. Heins. ad Ovid. Fast. V. 21. Davies. ad Hirtium B. Alexandr. LII. 2. *Arntz.*

Consulatus prætextatis tectus] *Consulibus prætextatis*; sic legendum. *Faber.* Non est mihi dubium, quin verum sit *prætextis.* Sed et *consularibus* probem. Medius enim inter consules Julianus. *Livin.* Forte, *et utrumque latus consulibus prætextatis tectus incedit.* Acidal. Consulibus prætextatis tectus *ad* utrumque latus. *Cellar.* Alii legunt *consulum prætextis*; vestibus scilicet purpura prætextis, quas consulum, sicuti et aliorum magistratuum, et puerorum proprias fuisse satis constat. Vide eruditissimum Ferrarium de Re Vestiar. I. 2. et 3.

Patarol. Libri nihil variant; excepto, quod *prætextatus* habet Gud. Faber, et Acidalius pro *consulatus* reponunt *consulibus:* optime. *Jæger.* Patarolum secutus *consulibus* dedi: ex præcedentis enim vocis *latus* sono, librarii memoriæ adhuc obversante, binæ in *consulibus* syllabæ posteriores iterum in *latus* videntur transiisse, eo magis si *Coss.* scriptum fuisse cogites. Ferri etiam posset *consulatus prætextis*, id est ipsis consulibus prætexta indutis, de qua Brisson. Antiq. III. 15. Schwarz. ad Plinii Paneg. LIX. § 2. et supra ad Mamertin. Maximian. VI. § 3. hinc 'purpurei patres' dicti Coss. vide Burman. ad Anthol. Latin. tom. II. p. 362. *Arntz.*

CAP. XXX. § 1 *Vidistis iterare*] *Iterare* est iterum commemorare. Plautus Casin. V. 2. 5. 'Operam date, dum mea facta itero.' Rudent. IV. 8. 1. 'Iterum mihi istæc omnia itera.' Pœnul. IV. 2. 99. Manilius IV. 431. 'Sed quis tot numeros toties sub lege referre, Tot partes iterare queat?' Pacuvius in fragmento apud Auctor. ad Herenn. II. 23. 'Cæcam ob eam rem esse iterant:' ubi Lambin. Cicero Orat. 40. 'ut, quod dixit, iteret:' eo sensu apud Horat. Od. II. 19. 12. accepit Mencken. Observ. L. L. p. 560. adde Heins. ad Ovid. Met. IV. 748. Bentleius ad Horat. Sat. I. 3. 7. Wopkens. in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 67. qui illud Pacato quoque restituere est conatus, Paneg. XL. § 1. ut pro 'tenere prudentiam' legatur 'iterare,' in quo tamen non adstipulor, et recte 'tenere' per evincere explicuit Schefferus, sive potius contendere, adfirmare, de quo ad Nazar. Paneg. XV. 5. Ex Bertin. non opus est, ut *iterari* legatur, cum *me*, ut sæpe alibi, sit subaudiendum. *Arntzenius.*

Fuerint] Edidit Jægerus *fuerunt*. Vulgatum habent codd. et edd. *Idem.*

Luminibus] Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XX. § 3. Taubman. ad Plaut. Trucul. II. 6. 8. Bessel. ad Eginhart. Vit. Car. Præf. *Idem.*

Mittenda in posteros] Lucanus X. 532. sqq. 'Potuit, discrimine summo Cæsaris, una dies in famam, et secula mitti.' *Jæger.* 'Mittere in diem,' Valer. Flacc. II. 439. ubi Heins. Cf. Gronov. Observ. I. 15. patrem meum ad Plinii Paneg. LV. § 1. 'ire in populos,' et similia dedi ad Eumen. Grat. Act. I. § 5. *Arntz.*

Venturis seculis] Cf. ad Eumen. Grat. Act. VIII. § 3. *Idem.*

§ 2 *Lecticas consulares*] Non desino mirari, cur Mamertinus nova appellatione *lecticas consulares* invexerit. Lecticæ usus ad jacendum, non ad sedendum, ut notum est; et mox tamen has lecticas vocat 'sedile dignitatis amplissimæ:' quare aut oratorem exequens *lecticas* pro curulibus posuit; aut eo tempore lecticæ, quales nostræ hodie ad sedendum, non, quomodo veteres utebantur, repertæ jam fuerant. *Chimentellius* de Honor. Bisell. c. 12. *Lecticas consulares* puto hic accipiendas, quia iis consules tum vehebantur, non, quod soli consules. Quin imo Chimentellius non lecticas, sed curules sellas putat exponendas. Sed obstare videtur, quod præcedit, 'pæne intra ipsas Palatinæ domus valvas.' Nam curules non solum 'pæne,' sed 'omnino,' ac revera intra valvas eas ferebantur. Neque sedes alia consulibus in senatu et palatio, quod ille ipse testatur. Igitur sermo de lecticis veris, quibus consules futuri deferebantur ad curiam. Postea demum sequitur de curulibus: 'Et cum honori ejus venerationique cedentes sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes.' Hic non est 'sedile,' quod paulo ante vocavit 'lecticam,' nam de alia re agitur. Supra memorabat aditum consulum ad Palatinam domum, hic vero abitum. Tum

erant consules futuri, nunc confirmati. Quare verba ista puncto etiam majore a superioribus dividi debuerunt. *Scheffer.* de Re Vehicul. II. 5. Hinc etiam disce, consules lectica vehi solitos, utpote honesto gestatorio. De ipsa dictum jam ad Paneg. Plinii cap. XXIV. Notandum, quod ad exprimendam Imperatoris benignitatem ait 'pene;' mos enim fuit, lecticis gestatos non intra ipsam curiam, sed ad fores tantum deferri, ut docet Scheffer. de Re Vehicul. II. 5. *Patarol.* Rectius Gesnerus ad Claudian. de Cons. Honor. IV. vs. 12. 'sedile dignitatis amplissimæ' interpretatur sellam curulem, *lecticæ*, h. e. feretro lecticæ simili, impositam. *Jæger.* Lecticis, humeris lecticariorum inpositis, portatos fuisse honoratiores, in quibus jacebant, docent V. D. ad Sueton. Calig. cap. 59. Lipsius Elector. I. 19. Scheffer. de Re Vehicul. I. 10. Schwarz. ad Plinii Paneg. XXII. § 1. Patarol. ad eumd. XXIV. § 5. quare etiam velis erant instructæ, quæ vel aperiebant, vel obducebant, de quo Abram. ad Ciceron. Philipp. II. 24. Ab his diversæ fuerunt lecticæ hæ consulares, quare etiam non adsentior Lipenio Strenar. Histor. p. 441. tom. XII. Thes. Græv. consules in hoc processu lectica operta fuisse vectos, quod parum mihi ad pompam idoneum, neque scopo satis fecisse videtur, cum lecticis veherentur, ut ab omnibus conspici possent. Non melius consulares lecticas a Claudii tempore repetiit Alstorphius de Lectic. Vet. cap. 5. hoc enim ad vulgares pertinet. *Consulares* itaque *lecticas* easdem fuisse, eumdemque usum præstitisse censuerim, atque eas, quibus portabantur Impp. non, ut in iis jacerent, eæve velis essent instructæ, sed apertæ, et in quibus sedebant, omnium oculis expositi. Hoc indicat Plinius Paneg. XXIV. § 5. 'Illos igitur humeri cervicesque suorum (vehebant) super ora nostra:' et apertius Pacatus Paneg. XXI. § 3. 'At quem aliter illorum Principum mos fuit, ... qui majestatem regiam imminui, et vulgari putabant, nisi eos, intra repositum Palatinæ ædis inclusos, ... veneratio occulta consuluisset...... Quin si quando in lucem venire, et diem ferre potuissent, lecticis tensisque subvecti.' Recte igitur rem explicuisse Gesnerum arbitror, loco a Jægero laudato, eadem ratione, qua curulis sella, cui bini insident Impp. currui inposita conspicitur apud Begerum Thes. Brandenb. tom. III. p. 339. Male autem has lecticas Coss. Palatium adeuntibus, et futuris, sellam iisdem inde abeuntibus, et jam confirmatis tribuit Schefferus; utrumque enim ad abeuntes pertinet. Hæc enim est rei gestæ series; crepusculo matutino Palatium petiorunt Mamertinus et Nevitta, supr. XXVIII. § 2. sive pedibus, sive, quod malim, lecticis, quas tamen h. l. non intelligit noster. Peracta salutatione, et de rebus publicis deliberatione, ex palatio in curiam erant deducendi novi consules. Igitur ex ea palatii parte, qua datus fuerat ad Imperatorem aditus, ad valvas eos deducit Julianus, inter utrumque medius; tum vero lecticas, quibus advenissent, intra valvas pene palatii inferri jussit, et detractantes manu velut sua sellæ curuli inposuit, ipse autem, non medius, ut in palatio, sed pompæ præire incepit. Ex plurali autem utrumque consulem istiusmodi lectica fuisse vectum, recte collegit Spanhemius de Usu Num. Dissert. XII. p. 459. *Arntz.*

Sedile illud] Cf. Alstorph. de Lectic. Vet. 1. *Illud* non pertinet ad *lecticas*, sed per excellentiam additur de curuli sella, de quo pronominis usu vide ad Incert. Maxim. XI. § 3. ut 'illum numerum' apud Incert. Constantin. XVI. § 2. *Idem.*

Mixtus agmini] 'Togatos' per vi-

ros honoratos explicat Valesius ad Ammian. xv. 7. *Idem.*

Cœpit pedes] Ammian. xxii. 'Allapso itaque Calendarum Januarium die, cum Mamertini et Nevitæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior princeps visus est in officio, pedibus gradiendo cum honoratis. Quod laudabant alii, quidam ut affectatum, et vile carpebant.' *Livin.* De hoc processu consule Vales. ad Ammian. xxii. 7. Spanhem. de Usu Num. Diss. xii. p. 459. hanc Juliani humanitatem ex eodem civili artificio derivandam arbitror, de quo dixi supr. xxvi. § 2. *Arntz.*

Gradum moderans] Pedibus progrediens, gressus dirigens. Vid. ad Nazar. Paneg. xxvii. § 5. supr. xxiii. extr. 'cursus ad astra moderantur.' In Guelf. tamen est *gradum properans*, ut apud Phædr. iii. 2. 11. 'Concito gradu properate.' Apud Pacat. Paneg. viii. § 1. in Guelf. est, 'ad ea properamus gradus,' non 'proferamus;' et 'properantem gradum sistere' dixit Seneca Hercul. Fur. 772. 'celerare gradum,' Virgil. Æn. iv. 641. Hoc vero loco *moderans* in Imperatore est fortius; forte per illud etiam significare voluit, quod 'sensim et ad numerum movere' dixit Pacatus Paneg. xxi. § 4. *Idem.*

Viatoris imperium] De lictoribus, viatoribus, eorumque differentia jam dictum ad Plinii Paneg. lxxvi. Præcedebat ergo lictor, et populum 'animadvertere' jubebat, ut liquet ex Sueton. in Cæs. cap. 80. *Patarol.* De his vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. lxxvi. § 8. *Jæger.* Valesius ad Ammian. xv. 7. citat *viatoris arbitrium*, quod tamen in nullo inveni. De lictorum et viatorum discrimine vid. Hotoman. ad Ciceron. pro Quinct. 8. Gronov. ad eumd. ad Divers. xvi. 21. Patarol. ad Plinii Pan. lxxvi. 8. V. D. ad Livium viii. 18. 1. pro lictore 'viatorem' posuit Pacat. Paneg. xxi. § 4. 'tum longe populus abigebatur, nec otiosa (ita lege ex plerisque edd. non 'odiosa,' id est et non otiosa) viatoris manus plebem verbere submovebat.' *Ad nutum* explicui ad Incert. Maximian. xii. in fin. *Arntz.*

§ 3 *Purpuratorum*] 'Purpurati' alias dicuntur amici principum et regum; hic vero ipsi Imperatores, quorum insigne fuit purpura. Vopisc. Aurelian. c. 42. 'Nam ab Augusto in Diocletianum, Maximianumque Principes, quæ series purpuratorum sit, index publicus tenet.' Trebell. Pollio Trig. Tyr. c. 27. 'Parvulos Romani Imperatoris habitu proferens purpuratos.' Vid. ad ejusd. c. 18. p. m. 303. sq. Salmas. itemque Casaub. ad Capitolin. Albin. c. 5. p. 692. *Jæger.* Eumenius Constantin. xvi. § 1. 'Intra parietes consideret purpuratus, et bis depositum tertio usurparet imperium.' Incertus Constantin. xvi. § 1. 'vernula purpuratus.' Pacatus Paneg. xxvi. init. 'Stabat ipse purpuratus.' Savaro ad Sidon. Apoll. Epist. i. 9. et 11. *Arntz.*

Vidit paullo ante] *Vidit paullo* Aldus. *Schonhov.* Rhenan. et Stephan. bene in margine, 'al. *viderit*.' Jæger. Neque tamen in ullo *viderit* exstat, quod si esset Mamertini, potius forte dixisset *credat*. In Guelf. *paullo* omittitur; male; per id enim Constantii tempora indicare voluit, gratiam apud Julianum quæsiturus. *Arntz.*

Fastigia] Corrigo *fastidia*. Anne aliquis, inquit, qui Imperatorum superiorum fastum, ac superbiam vidit, credet Imperatorem nostrum, Julianum, pene intra ipsas Palatinæ domus valvas lecticas consulares jussisse inferri, et quum, honori ejus venerationique cedentes, sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos, mixtum agmini togatorum præire cœpisse peditem, gradum moderantem pene ad lictoris nutum, et via-

toris imperium? *Meursius*, Auctar. Philol. cap. 27. *Fastidia* emendandum. *Acidal.* *Fastidia* de fastu, et superbia dixit, de quo usu Gebhard. ad Tibull. I. 8. 69. Locum hunc inlustrat Plinius Paneg. XXIV. § 5. 'Ante te Principes, fastidio nostri, et quodam æqualitatis metu, usum pedum amiserant:' quia lecticis vehebantur, cum senatores pedibus incederent. Cf. ib. Schwarzium. Pacatus Paneg. XXI. § 4. 'Si quando in lucem venire, et diem ferre potuissent (principes) lecticis tensisque subvecti, et densissima circum supraque cooperti virorum armorumque testudine sensim, atque ad numerum movebantur.' Qui itaque hunc Imperatorum fastum viderant, Julianum pedibus incessisse vix crederent. *Arntz.*

Ne in honores] Opinor legendum *inhonores*, id est, inhonoratos. *Rhenan.* *Ne inhonoros contemnerent*] Sic Eutropius in Vita Constantii, ubi legitur *in honores.* Schonhov. Fabr. et Pith. cod. *ut in honores* legunt. Forte legendum, *ut inhonores*, quanquam lectio Palm. cod. præferenda est, *ne inhonores*, scilicet suos. Utitur hac voce Eutrop. lib. X. 'familiarum etiam locupletator, neque inhonoros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia.' *Putean.* Stephano video placuisse, *ne inhonores contemnerent:* id esset, inhonoratos. At bonum sensum ægre sic excito; facillime, si legas, *ne in honores contenderent.* Sallustius: 'Gloriam, honorem, imperium bonus et ignavus æque sibi exoptant: sed ille vera via nititur; hic, quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit.' *Pontanus* ad Macrob. Saturn. V. 15. Non arbitror Latinum *inhonores.* Itaque legebam *inhonoros.* Hoc vult, principes, de quibus loquitur, ne inglorios aliquos, et ignobiles contempsisse viderentur, in eos ipsos, quos fastidirent, honores contulisse, proba, ut liquida sententia. At adolescenti, qui notas in Macrobium nuper conscripsit, visum emendare, *ne in honores contenderent.* Quod equidem nullus capio; ipse viderit. *Livin.* Conjungunt una voce *inhonores*, id est, inhonoratos. Credo, vere. *Acidal.* *In honores* Puteol. et edd. veteres, et postea Rivinus. *Inhonores* una voce dederunt Gruter. Paris. et Patarolus; denique *inhonoros* Bannius, Cellarius, Jægerus. In Guelf. legitur, *aut inhonores contemnerent*, in quo *aut* scripsit librarius pro *ut*, quod in Puteani codd. legitur, sicuti hæc permutata quoque occurrunt supr. ad Incert. Maximian. VIII. § 5. et Eumenium Constantin. XV. § 1. Locus est certe corruptus, neque ea, quæ contulerunt interpretes, Mamertino satis convenire videntur. *Inhonores* nemo erit facile probaturus, quamvis illud ex veteri Onomastico protulerit Barthius ad Stat. Theb. III. 567. 'Contemnere,' aut 'contendere in honores' ne sensum quidem habet. *Inhonoros* aliqua sese specie commendat, et 'inhonora signa' dixit Tacitus Hist. IV. 62. Statius Theb. VII. 151. 'Ergo ut erat lacrimis, lapsoque inhonorus amictu.' X. 8. 'Tunc inhonora cohors laceris insignibus.' XI. 399. 'Quamquam haud armis inhonorus et ipse.' Hegesippus Excid. Hieros. I. 13. 'Nec tamen Hyrcanum inhonorum relinqueret, sed regni exsortem honore alio fungi sineret.' Unde 'inhonorare' deterioris ævi scriptores apud Cellar. Antib. p. 60. sed neque in eo stare potest Livineii explicatio. Si enim in viliores ideo contulerint munera Imperatores, ne eos contemsisse viderentur, hi non potuerant dici esse contemti, sed magis honorati; id tamen a Mamertini mente est alienum, hoc agentis, ut eos a prioribus esse Impp. contemtos moneret. Ecce enim, Juliani laudat modestiam et humanitatem, qui in consulari hac pompa pedibus fuerit

progressus, cum ipsi consules lectica veherentur. Huic opponit Impp. qui paullo ante imperium tenuissent, quibus itaque id est tribuendum, quod huic Juliani modestiæ sit contrarium. Estne vero illud, quod in ignobiles honores contulerint? at vide, qua ratione hæc quadrent? pedibus processit Julianus, sed priores Impp. in ignobiles munera contulerunt, ne eos contemnerent. Quanto melius hæc opponantur; Julianus pedibus ivit, consules sunt lectica vecti; at priores Impp. lectica sunt vecti, et consules pedibus iverunt. Pro *ne* igitur ex codd. est *ut* restituendum, legendumque, *ut inhonoros contemnerent;* vel, *ut in honore contemnerent;* posterius malim, quia eo ducit trium codd. *inhonores* exhibentium, auctoritas, et forte etiam eorum, quos vidit Livineius, quia ad *in honores* nihil notavit. Hac lectione constituta, aperta erit, ni fallor, sententia. Præcedentium impp. viderant *fastidia*, sive fastum, quem ex Plinii Paneg. XXIV. § 5. in eo constitisse modo docui, ut lectica veherentur principes, pedibus procederent honoratiores; qui eo ipso contemnebantur, quod tali lecticæ honore haberentur indigni. Si itaque consulatum alicui darent, id ideo faciebant, ut in consulari processu novi illi consules pedibus irent, ipsi vero Impp. lectica veherentur, quo ipso eos *inhonoros*, aut in hoc consulatus *honore* contemnebant. Dedi itaque *ut*, quod est in codd. *inhonoros* servavi, tamquam oxymoron. Eo ipso enim, quod pedibus progredi debebant, erant *inhonori*, quamvis essent honorati. Oxymori exemplum quoque est supr. XXVI. § 2. ‘ cachinnantem sævitiam :’ ubi Pontan. alia dedi ad Incert. Maximian. X. § 5. Contra egit Honorius, de quo Claudianus Consul. Honor. VI. 549. ‘ Moderataque laudat Tempora, quod clemens aditu, quod pectore, solus Romanos vetuit currum præcedere patres.’ *Arntz.*

§ 4 *Et Publii Valerii*] Ita omnes, quas vidi, edd. excepta Cellar. in qua *et* deest; deest etiam in Guelf. recte; copulam enim omittere noster solet plerumque. Vid. supr. cap. XXIV. § 6. Quod autem consulatum suum cum eodem Bruti, et Valerii comparet, redditamque libertatem dicat, ideo fit, quia non cum Imperatore, ut vulgo fieri solebat, sed cum Nevitta consul esset lectus. Ita enim Plinius Paneg. LVIII. § 4. ‘ Hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod consul alius, quam Cæsar, esset. Sic, exactis regibus, cœpit liber annus : sic olim servitus pulsa privata fastis nomina induxit.’ *Idem.*

Bono publico] Cf. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. p. 199. et ad Nazarium Paneg. XXXVII. § 5. *Idem.*

§ 5 *Romanæ reipublicæ*] Cf. ad Incert. Maxim. VIII. § 7. et supr. XI. § 3. *Idem.*

Nostro restituta] Plinius Paneg. LVIII. § 4. ‘ Hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod consul alius, quam Cæsar, esset.’ Cf. not. *Idem.*

CAP. XXXI. § 1 *Civiliter*] Ut bonum decet civem. *Patarol.* Cf. supr. XXVIII. § 1. *Idem.*

Posteritatis æternam] Ex Cicerone pro Arch. cap. 11. ‘ Non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.’ *Idem.*

Servire judicibus] Eorum judicium vereri. Tullius pro M. Marcello, c. 9. ‘ Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post sæculis de te judicabunt: et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Nam et sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et sine invidia judicabunt.’ *Jæger.* Ad eos judices sese adcommodare, facta sua ita dirigere, ut recte de nobis judicent, sive ut Cicero Epist. ad Quint. Fratr. I. 1. § 15. ‘ Non est

tibi his solis utendum existimationibus, ac judiciis, qui nunc sunt hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt.' Est hic eadem elegantia, atque in 'servire dignitati et tranquillitati' apud Nepot. Attic. VI. 5. 'opinioni et famæ' apud Auctor. Dial. de Orat. 10, 'rumoribus,' de quo Davies. ad Cæsar. B. G. I. 5. 2. Adde Passerat. ad Ciceron. pro Rosc. Amer. cap. 8. Cortium ad Plinii Epist. II. 5. 3. *Arntz.*

Venturis seculis] Cf. ad Nazar. Paneg. VIII. § 3. *Idem.*

§ 2 *Abjectum et humile*] Cicero de Finib. V. 20. 'nihil abjectum, humile cogitant.' Cassiodor. Var. VI. 3. 'nihil humile abjectumque cogitares.' Eumenius pro Instaur. Schol. XVIII. § 1. 'Quis enim nunc sit animo tam humili, tam abjecto?' *Idem.*

Loquendum] Vid. Plinii Paneg. cap. LV. *Patarol.*

§ 3 *Te, meæ*] Non incommode monet Petrus Daniel, desumpta hæc ex Ciceronis Oratione post Reditum in Senatum, quare non est, ut recurratur ad emendatiunculas. *Gruter.* An non inserendum *ne meæ?* Sententia quidem hæc esse debet. *Acidal.* Voculam *ne*, jubente Cicerone, et sententia, contextui inseruit Cellarius, quem sequi non dubitamus. *Jæger.* Utrum per 'emendatiunculas' eam Acidalii notavit Gruterus? fit tamen verisimile: neque vero Acidalii notam præposui, ut receptum in præcedentibus ordinem servarem, propter ea, quæ in Præfat. tom. I. monui, et Gruteri notas vidisse Acidalium inter alia liquet ex ipsius nota ad Nazar. Paneg. XXV. § 3. quare autem emendatiunculas damnet Gruterus ob Ciceronis locum post Red. in Senat. cap. 1. divinare nequeo, in quo *ne* exstat, quod necessariam hoc loco emendationem confirmat. Itaque illud quoque retinui, quamvis codd. ignorent, in quibus hæc vocula latere in *te* videtur; cum enim apud Ciceronem non addatur pronomen, Mamertinum scripsisse suspicor, *quæso obtestorque, ne meæ:* pronomen propter sequens *putes* omittere potuit, ex eo usu, quem tangit Jæger. supr. XVI. § 2. Geminus est alius Ciceronis locus in Verr. I. 16. 'Nolite, quæso, judices, brevitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine crimina ponderare.' *Arntz.*

§ 4 *Nemo umquam*] Quatuor codd. obtemperandum duxi. Peccarunt ita aliquando librarii apud Drakenb. ad Livium XXXIX. 31. 5. Schwarz. ad Plinii Paneg. LXIX. § 5. *Idem.*

§ 5 *Sed his*] *Sed iis* Vet. *Livineius.* Etiam Guelf. ita passim in his Panegyricis. Vid. supr. § 1. *Arntz.*

Ut merear] Sic edd. omnes. In codd. Gud. et Mœrl. legitur *meruerim*, idque, utpote argutius, præfero. Significat, laborandum esse sibi, ut quasi in præteritum ipse sibi subveniat, et honorem meruisse prius videatur, quam adeptus sit. *Jæger.*

§ 7 *Festivæ tuæ*] Scribo, *o mihi festinæ tuæ.* Præcessit, 'Non annonam, præfecturas,' &c. *Modius,* Novant. Lection. Epist. 25. Symmach. Epist. III. 14. 'in ædes tuas festinus recurras.' VII. 40. 'iter festinus usurpa,' et 'festinum iter' in Anthol. Latin. lib. IV. Epigr. 260. Servius ad Virgil. Æn. IX. 488. *Arntz.*

Vereor, ut] Sunt quidem, qui in talibus *ne* quoque admittant, sed ex locis corruptis, veluti apud Plinium Epist. I. 9. 17. 'vereor ergo, ne sit satis congruens,' recte jam emendatum *ut.* Differentiam inter *ne* et *ut* tuentur Manut. ad Ciceron. pro Marcell. cap. 4. Vossius Art. Gramm. VII. 67. de Vit. Serm. IX. 6. *Idem.*

Aperte] Ut hæc etiam confusa sunt apud Eumen. Grat. Act. IX. § 3. Burman. ad Quinct. Instit. I. 2. Drakenb. ad Livium I. 34. 8. *Idem.*

§ 8 *Factus sis*] Plinius Paneg. XCV. § 3. 'Etenim memini, tunc verissime judicari, meruerit quis honorem, nec

ne, cum adeptus est.' *Jægerus.* Cf. illic Schwarzium, et Cortium ad Sallust. Jugurth. LXIII. § 5. *Arntz.*

Cap. XXXII. § 1 *Istud*] De 'sancta Divinitate' vid. supr. VII. § 2. *Idem.*

Vicem beneficii] Remunerationem, beneficium pro beneficio redditum. Tacitus Hist. IV. 3. 3. 'Tanto proclivius est, injuriæ, quam beneficio, vicem exsolvere: quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur.' Seneca Hercul. Fur. vs. 1337. sq. 'Gratiam meritis refer, Vicemque nostris.' *Jæger.* Curtius IV. 10. 29. 'Hanc vicem sævitiæ meæ reddas.' Symmach. Epist. III. 29. 'ad vicem tantæ gratiæ:' et VII. 104. 'gratiæ vicem .... rependemus.' Ausonius Grat. Act. I. 1. 'nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem.' Eumenius Constant. XIV. § 6. 'ut illa pietati tuæ hanc referret vicem:' id est, hoc tibi pro pietate referret. 'Vicem reddere' simpliciter dixit Tacitus Annal. XIII. 20. et XV. 66. adde Cortium ad Plinii Epist. VIII. 12. 4. Schwarz. ad Mamertin. Maximian. III. 8. Schmincke ad Eginhart. Vit. Carol. c. 7. *Arntz.*

Opibus] Hæ cum *fortuna* junguntur, ut apud Mamertin. Genethl. VI. § 5. 'omnibus opibus, omnique fortuna.' *Idem.*

§ 2 *Omne negotium*] Plinius Epist. I. 3. 3. 'Hoc sit negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies; in his vigilia, in his etiam somnus reponatur.' *Jæger.* Sæpe hæc duo junguntur. Cicero pro Planc. 27. 'M. Catonis illud .... præclarum putavi, ... non minus otii, quam negotii rationem exstare oportere.' Eodem Catonis dicto utitur Justinus in Præf. 'ut et otii mei, cujus et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret.' Ita constanter codd. etiam ambo Franeq. et D'Orvilliani penes me, nisi quod in uno Franequerano inveni, 'tecum ratio:' non dubito tamen, quidquid dissentiant alii, quin legendum sit 'reddendam rationem,' neque me movet eadem vox statim repetita, Wopkensii sententiam secutum in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 3. aliter succurrere sunt conati Crusius in Prob. Crit. p. 10. de Rooy Animadv. Crit. p. 188. Emendo hinc Ausonium Grat. Act. II. § 1. 'Non Palatium, quod tu, cum terribile acceperis, amabile præstitisti; non forum, et basilica, olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis.' Corrigit Gronovius, 'nunc notis votisque,' et 'notas' explicat tabulas, inscriptiones, quibus vota signabantur; hoc in textum recepit Cellarius; post quem tamen alteram lectionem retinuerunt Pataroulus, Souchaius, et Bipontina. Neque vero hæc, nec Gronovii conjectura orationi congruit, qua duo opponit Ausonius, 'Palatium terribile,' et 'amabile,' et mox 'Curiam lætam,' et 'mœstam querimoniis;' utrum itaque 'negotiis' recte opponuntur 'notæ,' aut 'vota' non puto; corrigo igitur, 'olim negotiis plena, nunc otiis, votisque;' ita 'votis' non opponitur 'negotiis,' sed additur tamquam quoddam bonum, quod ex otio illo profluebat. *Arntz.*

A juventute mea vigente] Itane, Mamertine? Juvenis es, qui supra dicebas, *a teneris annis ad hanc usque canitiem consulatus amore flagravi?* An 'a juventute mea,' hoc est, a juvenibus meis liberis? Nihil poterat aptius, aut magis verisimile, absque Bertin. fuisset, e quo notatum, *a vivente mea cui gente.* Perspicue germanum est, *a vivente me ac vigente.* Livin. Lege *a vivente me ac vigente.* Acidal. Possit fortasse etiam legi, *a vivente me ac vidente.* Vid. supra Incerti Paneg. Max. et Const. XII. § 3. sed et vulgata satis proba. Sic 'vigere' et 'vivere' jungit Cicero de Divinat. I. 30. Gud. corrupte *a juventute mea tui grati.* Jæger. Omnes edd. Gruteriana priores habent, *a juventute mea vigente grati animi bene-*

volentia declarabitur. Livineii vero conjecturam in textum admisit Gruterus, et sequentes, præter Rivinum, qui priorem lectionem retinuit. Codd. tamen Putean. et Guelf. *juventute mea* servant, et pro *vigente* exhibent *tui*, cui scripturæ congruit *cui* in Bertin. Corruptum hoc quidem pronunciat Jægerus; mihi vero ipsa Mamertini manus videtur, quam restitui, ob majorem ex codd. auctoritatem, quæ soli conjecturæ prævaleat, sana etiam verborum sententia, cum in Livineii emendatione *me* post *vivente* durius positum videatur, magisque scripsisset *me vivente.* Hæsito tamen, utrum in *gente*, quod habet Bertin. lateat *in te*, ut scripserit, *neque solum, a juventute mea tui, in te grati animi benevolentia declarabitur:* hoc suadere sequentia videntur, in quibus ordo mutatur: quod enim hic dicit, *a juventute mea tui, in te grati animi*, mox confert in *tui in me beneficii.* Non itaque se juvenem dicere adfirmat, sed inde a juventute Juliani amore ductum, et ipsius se fuisse studiosum; is enim est 'animus tuus,' quem 'faventem' dixit Valer. Flacc. VI. 580. ita 'tuum' per amicum tuum explicat Serv. ad Virgil. Eclog. IX. 15. Ovidius ex Pont. IV. 15. 42. 'Meque tuum libra norit, et ære minus:' ubi Burman. de simili 'meus,' 'suus,' 'noster' usu vid. Taubman. ad Virgil. Æn. II. 396. Gronov. Lect. Plautin. p. 111. Neque, ex sequenti 'mortis' mentione, hic *viventis* necessariam esse putes. Qui enim provectæ ætatis sese alicujus a juventute studiosum fuisse dicit, et adhuc gratum fore animum profitetur, is adfirmat, quid in omni vita egerit, et amplius ad mortem usque sit acturus, iisque sequentia recte congruunt. *Arntz.*

A me cum anima defecerit] Illa *a me* resipiunt officinas librariorum. *Gruter.* Lege, *sed etiam quum anima defecerit.* Acidal. Recte voculas *a me*, ortas forte ex litteris postremis antecedentis *etiam*, expunxit Bannius, mirorque Cellarium eas retinuisse. Desunt in Mœrl. itemque Bertin. qui bene exhibet, *cum me anima defecerit.* Jæger. Ex hoc loco, quem Ciceroni debet Mamertinus, emendandam puto ejus Orat. ad Quir. post Red. cap. 10. 'Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt.' Offendere potest illud *cum mortuo:* melius esset *me mortuo*, et forsan sic fuit olim in libris. Sed idem hoc *me mortuo* glossam credo fuisse verborum *cum anima defecerit*, quæ proinde orationi Ciceronis, ejecto illo *cum mortuo*, inserenda videntur. *Idem.* Guelf. ordine mutato, *cum etiam a me anima.* Tuetur *a me* etiam Putean. et ex parte Bertin. quare ejicere non audeo; præter Cellarium etiam retinuit Patarolus. Displicuisse illa lectio videtur, quia suspecta erat locutio, *anima deficit a me;* sed *a me* referre debuissent, ut recte interpunxit Patarolus, ad *permanebunt;* ita exponi posset post me, me mortuo; Cicero de Legib. II. 25. 'Ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit:' ita *a* pro 'post' notarunt V. D. ad Curtium VI. 1. 20. ad Ovid. Heroid. II. 86. Burman. ib. X. 9. Art. Amand. I. 139. ad Petron. Sat. 24. ad Sueton. Calig. cap. 27. Schroder Observ. Jur. I. 13. p. 82. Potius tamen capio ea elegantia, qua designabit a parte mea. Cicero pro Milon. cap. 36. 'Nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit.' Adde Cortium ad Sallust. Jugurth. XXXI. 1. Oudend. ad Cæsar. B. G. VII. 82. 3. *Arntz.*

Permanebunt] Guelf. *declarabitur, permanebunt:* prius illud ex præcedentibus librarii memoriæ obversabatur. *Idem.*

§ 3 *In referenda*] Hæc jam non imitata, et efficta, sed pæne trans-

scripta, e Ciceroniana ad Quirites post Reditum extrema. *Livin.* Non convenit, ut Imperatori 'gratia referri' dicatur. Sed ut hoc conveniat, res non fert ipsa tamen. Lege, *in gerendo autem magistratu, sanctissime Imp.* Audax correctio: sed et audax corruptio. Vox *magistratus*, compendio scribendi, degeneravit primum in *gratia*. Mox alius, qui 'gerere gratiam' dici non posse videret, fecit, ut esset, quod nunc legimus. Sequentia hanc lectionem nostram clare flagitant, &c. *Acidal.* Nulla ratione aliquid hoc loco mutandum cum aliis; nam innuit Auctor, loco gratiarum actionum exhibiturum se Imperatori consulem bonum: adeo quidem, 'ut neque in suggerendis consiliis minime ipsi sit defutura veritas, in adeundis periculis,' &c. Videatur locus. *Gruter.*

Veritatem] Παῤῥησίαν. Ita Terent. Andr. I. 1. 41. 'Obsequium amicos, veritas odium parit.' *Jæger.* Cf. supra cap. XXIV. § 2. *Arntz.*

Simpliciter ferenda] Candide et ingenue. Auctor Dial. de Causs. Corruptæ Eloquent. XXV. 10. 'Solum inter hos arbitror Brutum, non malignitate, nec invidia, sed simpliciter et ingenue judicium animi sui detexisset.' Curtius VII. 2. 36. 'Simpliciter ad necessarios suos quisque scripserat, quæ sentiebat.' Pro 'ferenda' in loco Ciceronis 'referenda' legitur; de qua scriptura merito dubitant viri docti. Firmat hæc nostra lectio emendationem Hotomanni et Grævii, *ferenda* illic reponentium. *Jæger.* Tacitus Histor. IV. 86. 'simplicitatis ac modestiæ imagine.' III. 53. 'Simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide... nutriebat.' 'Simplicem' et 'apertum hominem' jungit Lactant. Instit. VI. 12. 11. 'apertum' et 'simplex cor,' ibid. IV. 17. 14. Adde Herald. ad Arnob. advers. Gent. II. p. 94. Burman. ad Vell. II. 105. 3. Cortium ad Plinii Epist. VI. 31. 14. Schwarz. ad Plin. Paneg. LIV. § 5. et LXXXIV. § 1. et ad Mamertin. Maximian. IX. § 1. Burman. Secund. ad Anthol. Latin. tom. II. p. 482. et 513. *Idem.*

Libertatem] Congruit hic locus cum oratione Tiberii, se se jactantis in senatu apud Tacitum Annal. lib. IV. 'Ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant.' *Pata-rol.*

Summis opibus] Omni conatu, vi summa. Plautus Mostell. II. 1. 1. 'Juppiter supremus summis opibus atque industriis Me perisse, et Philolacheten cupit, herilem filium.' Cicero pro P. Quintio, c. 2. 'Communi studio, summis opibus Sex. Nævium defendunt.' *Jæger.*

Ad quemcumque] Pro quemlibet, quod Græce dicitur τὸν τυχόντα. *Rhenan.* Pacatus XVI. 3. 'Nec nunc de his honoribus loquor, quos in quemcumque conferre Imperatori necesse est.' *Jæger.* Plautus Bacchid. V. 1. 1. 'Quicumque ubique sunt, qui fuere.' Phædr. Fab. IV. 5. 11. 'Quemcumque populum tristis eventus premit.' Cicero ad Divers. X. 31. 'quicumque is est, ei me profiteor inimicum.' *Arntz.*

Quia oportuerit] *Quia ita oportuerit* Vet. Cuspin. *sed quod ita* Bertin. *Livin.* Sic edd. tantum non omnes. At cod. Mœrl. Gud. *quia ita*, quod verum esse et ratio vincit, et locus Ciceronis, quem deinde laudabimus, declarat. *Oportuerit* significat, æquum et justum fuerit, et opponitur h. l. τῷ *necessario.* Ita Cicero in Verrem IV. 39. 'tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset.' Idem in Verrem V. 14. 'Ex his ego rebus omnibus, judices, ita mihi Deos omnes propitios esse velim, ut, tametsi mihi jucundissimus est honos populi, tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum sollicitudinis

et laboris, ut hæc ipsa ædilitas, non, quia necesse fuerit, alicui candidato data, sed, quia sic oportuerit, recte collocata, et, judicio populi, in loco posita esse videatur.' *Jæger.* Cicero ad Attic. XIII. 25. 'Hoc fieri et oportet, et opus est.' Adde Taubman. ad Plaut. Cistell. II. 2. 51. sæpe tamen 'oportet' etiam necessitatem indicat, quo sensu capio L. 3. C. de Jurejur. 'Inopia probationum per judicem jurejurando, caussa cognita, res decidi oportet:' ut non sit ipsius arbitrii, utrum exigere jusjurandum velit: ut in L. 3. § 15. D. de Muner. 'quibus (militibus) supervenientibus hospitia præberi in civitate oportet.' *Arntz.*

Collocati] Guelf. *collati:* male, ut ostendit Ciceronis locus, modo a Jægero adscriptus. Hæc tamen confusa etiam reperies apud Plinium Paneg. XXIII. § 5. in Schwarzil Supplement. p. 599. Drakenb. ad Livium X. 32. 5. egregie in Mall. Theodoro de Metris pag. 5. pro 'certa pedum collatione' emendabat 'collocatione' Ruhnkenius. *Idem.*

PANEGYRICUS XII.

Latini Pacati Drepani] Sic vulgati et plerique scripti. Meus cod. recentior quidem, sed ab antiquissimo descriptus, adeoque nulli ferme secundus, *Dreptani.* Scribendum sine ambiguitate *DrepanI,* litera finali majuscula, pro *Drepanii,* uti vett. consueverunt. *Drepanius* enim vocabatur non *Drepanus,* ut eum bis vel ter appellat Modius in Nov-antiquis Lectionibus. Ausonius in quodam titulo: 'Ausonius Consul Latino Pacato Drepanio filio.' Item alibi, sed inverso ordine: 'Ausonius Consul Latino Drepanio Pacato Proconsuli.' Credo, quia verum ejus nomen fuit *Drepanius,* prænomen *Latinus,* cognomen *Pacatus.* *Pacatum* semper vocat Symmachus. Nostrum enim esse puto, ad quem exstat Epist. IX. 58. et eod. lib. Epist. 60. VIII. 12. *Paccatum* scribit. Sidonio Epist. VIII. 12. est *Dripanius.* Unde et a Savarone modo *Diripanius,* modo *Dripanius* nominatur. Gessnerus nomen ejus ita scribit: *Latinus Pacatus et Drepanus:* causam conjectare hactenus non licuit, nisi forte Gessnerus, et *Pacatum* et *Drepanum* appellatum putaverit, cognomento duplici, quod ego falsum esse censeo. *Scheffer.* Inter Latinos Veterum Panegyricos restat et ille, quem *Latinus Pacatus Drepanius* Theodosio Augusto dixit, anno quidem post N. C. 291. secundum Holoandri rationes. Hic *Pacatus,* innuente Sidonio VIII. 2. fuit patria Nitiobrix, qui e Gallia Romam missus erat, ut Theodosio Imperatori relatam de Maximo tyranno victoriam, publice gratularetur. Ejus Panegyrico, quem tunc habuit, mirificas laudes tribuunt viri quidam eruditi. Scaligero enim in Manilianis p. 394. dicitur 'divinus Panegyricus.' Lipsius in not. ad Plin. Paneg. cap. XXII. 'eum' putat 'vel cum Plinianis argutiis et venere certare.' Barthio in Commentar. ad Claudian. p. 559. eadem 'oratio omnium istius ævi scriptorum numerosissima, cultissima, eloquentissima, ingeniosissima' videtur; cum 'Pacati sermonem Pliniano nusquam inferiorem' habeat. Livineius,

Acidalius, Dempsterus, et alii, 'Pacatum floridum, eloquentem, minimeque spernendum' prædicant, 'ejusque orationem nobilissimam, et una etiam atque altera pæne Ciceronis haud mutandam' censent. Nos vero, quamvis existimemus Pacatum haud quaquam ad Ciceronis dicendi majestatem pervenisse, neque Plinii nitorem ubique adsecutum esse; facile tamen adsentimur Clerico Biblioth. tom. III. judicanti 'ejusdem Panegyricum' inter XII. Vett. post Plinianum, ceteris omnino præstare. Cum vero quædam ejus loca adhuc in mendo cubare deprehendantur, et ne in recentioribus quidem XII. Panegyricorum Veterum editionibus satis emendata sint atque restituta, iis nunc lucem adferre conabimur, adjuti inprimis ab eximio cod. nostro, qui XIII. Panegyricos Veteres, eosque in membrana manu exaratos complectitur. *Schwarz.*

Panegyricus] Recte: subaudiendum enim λόγος. Cicer. de Orat. c. 11. 'Talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum.' Sunt qui malunt *Panegyrica*. Sed quid opus Græcam vocem ad subintellectæ Latinæ genus terminare? cum commodius aucteritate veterum subaudiamus Græcam. Cæterum hæc jure meritoque sic inscripta est oratio. Nam et in laudando summo principe est occupata, et a Pacato in senatu frequenti habita. Nec audiendi illi, qui Panegyricum non intellectum volunt, nisi populi in concione recitatum. Alia Græcorum, alia Romanorum conditio fuit. Splendidum ut sit auditorium necesse quidem; at sicut ap. Græcos splendidissima concio populi, sic Romæ, maxime Imperatorum tempore, senatus fuit. *Schef-fer.*

CAP. I. § 1 *Si quis unquam*] Duo in exordio hoc agit orator: primum ut ostendat, quod et quare videatur a dicendo abstinere debuisse, deinde quare tamen contra fecerit. Prius membrum explicat allatis causis a majestate audientium, locique, item eruditione senatus, sua ex adverso imbecillitate. Posterius ab officio suo erga principem, et temporum felicium consideratione, quibus sine metu, sine adulatione principem laudare liceat. *Scheff.*

Te præsente] Habet enim hoc proprium majestas omnis, maxime regia et principalis, ut non adspici nisi cum arcano quodam horrore trepidationeque possit. Igitur ad Artaxerxen Ester: 'Vidi te, Domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.' Porro ubi metus, ibi facile oratio intercluditur, quod amplius docebimus in libris 'de Ingenio Affectuum,' si vitam Deus dederit. Et notum illud poëtæ: 'Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.' Quare et Demosthenes, cum in Philippi regis conspectu orare deberet, subito horrore correptus, conticuit: uti legimus ap. Ælianum VIII. 2. aliosque, quorum ibi nomina indicavimus: qui id ipsum quoque Theophrasto accidisse memorant. Theophrastum valde imperite ridet Æschynes, ac si Athenienses, hoc est, fabros, cerdones, et id genus extimuerit. Non enim illos timuit, sed quod sentiebat in illis, majestatem scil. cujus in quocunque statu vim arcanam auctor illius Deus fecit, ut intelligant omnes, omnes cum pavore quodam reverentiaque colant. *Idem.*

Jure trepidaverit] Fatigavit me scripta lectio, donec incidi in hæc Senecæ de Benef. VII. 13. 'Etiam damnato reo oratori constat eloquentiæ officium, si omni arte usus est.' Ubi pervetustæ membranæ, quas doctiss. Carol. Langius tractavit, 'omni jure' exhibent. Quo exemplo hic quoque reposueram *jure*, idque nunc testificor liquide mihi in B. inventum. Adeo hoc in genere quædam sub ma-

nu feliciter eadunt. *Livin.* Standum fuit unius libri fidei: nam ceteri codd. *dicturus ante trepidaverit*, nulla energia. *Gruter.* Sensus non incommodus. Sed in meo *ire* legitur, ex quo adsentior Livineio et Grutero, qui hic *jure* scribendum existimant. Et videntur postulare sequentia, quibus illud *jure* declaratur, hoc est, quibus ostenditur, cur jure trepidet: quæ quidem alias non æque bene præcedentibus cohærebunt, si antiquam lectionem retinuerimus. *Scheff.* Sane *jure* prætulerim, quod latius persequitur, et ex persona tanti principis, et ex horrore Transalpini sermonis. Guelf. *ire:* et ex suis membranis in margine notavit Livineius, quod corruptum est ex *jure*. Posset et utrumque admitti *ante jure*. Arntzen.

Et iis] Meus habet *hiis* cum adspiratione. Lego *iis:* ita enim scribere talia ubique fere consuevit. *Scheff.* *iis* Guelf. sed ita variari novimus ubique. *Arntz.*

Qui consilium] Totidem verbis et Mamertinus in Julianum: *qui consilium tuum participant.* Intelligit qui Theodosio a consiliis. *Livin.* Commation illud, *qui consilium tuum participant* est in initio Panegyrici a Mamertino Juliano Imperatori dicti: 'Etsi scio te, Imperator, et cunctos, qui consilium tuum participant, posse mirari.' *Acidal.* 'Intelligit,' inquit Livineius, 'qui Theodosio a consiliis;' nempe quoniam et Mamertinus sic locutus est. At qui illi a consiliis? an senatus? is enim iis temporibus velut a consiliis principi non secus atque ante regum temporibus a Velleio 'publicum consilium' vocatur. Et habita est hæc oratio in senatu. Num potius certi quidam, quos consiliarios vocabant, ut Savaro censet, sæpiusque Suetonius commemorat? Neutrum puto. Sed quoscunque intelligo, qui principem intimius noverant, consilia ejus, mentem, magnitudinemque perspectam habebant. Ii enim orationis difficultatem adæquandam scil. meritis virtutibusque principis æstimare poterant. *Scheff.* Ego nihil video, cur a vulgari loquendi usu recedamus, quo usi sunt sub principibus. Spartian. Hadr. cap. 18. 'in consilio habuit non amicos:' ubi Salmas. et Savaro ad Sidon. Epist. I. 3. p. 24. ubi simul docet tales consiliarios dictos esse 'consiliorum participes,' adeo ut jure addiderit noster *participant.* l. 8. § 2. ff. de Legation. 'Cum prætore consilium participat.' Vereor, ut ingeniosius sit Schefferi acumen. *Arntz.*

§ 2 *Omnes retro Principes*] Nulla hæc est adulatio. Vid. Aurelium Victorem Epit. c. 48. P. Orosium VII. 34. ubi etiam Trajano anteferri animadvertes, quem tamen vulgo optimum principem existimant. *Scheff.*

Laudari oportuerit] Recte. Oportet enim bonos principes laudari, ut ad illorum imitationem alii incitentur, et ut ipsi aliquem laborum suorum fructum referant a nobis. Nec enim aliud pro suis beneficiis aut dare nos valemus aut a nobis ipsi exigere præter gloriam et honorem. *Idem.*

Libertatem armatus] Profligato nempe Maximo, qui pulso Valentiniano Italiam occupaverat. Consule Orosium VII. 34. seq. item Prosperum in Chronico. *Idem.* *Togatus* male præteriit Guelf. quod nec fert orationis nexus, nec frequens oppositio 'togati' et 'armati.' Vid. ad Plin. Pan. cap. IV. et passim alios. Nec melius pro *utriusque vestrum*, supponit *utriusque nostrum.* Apertum enim est Theodosium innui et Romam. *Arntz.*

Auxisti dignitatem togatus] Habito, ut opinor, triumpho, restitutoque imperio. Forsitan et ordinatis illic rebus, sublatisque quæ passim vigebant sceleribus. Vid. Nicephorum XII. 21. *Scheff.*

§ 3 *Pro amore*] Commode hic de senatus erga principem amore ista

inserit orator. Pertinebant quippe ad præparamenta laudum, eorumque summa quasi capita. Non enim majus certiusque principis indicium, quam amor senatorii erga ipsum ordinis: scil. hic ordo æmulari cum principe et certare de potestate consuevit. Nec deesse ei solent facultates vel ex potentia vett. vel ex auctoritate præsenti, quas, occasione data, nunquam non amat exercere. Exempla præbuerunt Nero, Maximinus, alii, quorum necem jussit, vel auctoritate sua probavit. Itaque et Plinius inter argumenta optimi principis illud studium senatus, illum splendididissimi ordinis amorem tractat numeratque. *Scheff.*

Pro ingenita] *Genita.* Leg. *ingenita.* Initio Panegyr. Constantino Augusto Constantii filio dicti cap. 1. 'Neque enim ignoro, quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis: siquidem Latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum.' *Acidal.* Sic meus, sic plerique alii. Non tamen contemnendum, quod in quodam Livineius reperit, *atque adeo hereditaria.* 'Ingenitam' porro ideo appellat, quoniam Romæ domicilium fixisse sibi eloquentia videbatur. Hinc Symmacho Epist. VIII. 68. 'Romæ domicilium latioris facundiæ.' Cassiodoro Ep. x. 7. 'Eloquentiæ fœcunda mater, virtutum omnium latissimum templum.' *Scheff.* *Ingenita* bene est in Var. Scripturis Schoonh. et Puteani, et firmat Guelf. Opponit nempe genuinam Romanorum eloquentiam et urbanitatem braccatis et Transalpinis nationibus, quarum infusam peregrinitatem adeo infecisse Romanam elegantiam, ut nullum veteris leporis vestigium adpareret, querebatur jam olim Cicero Fam. IX. 15. Adde de Horrore Celtici Sermonis Savaro ad Sidon. Apoll. Epist. III. 3. p. 189. *Arntz.*

Atque hereditaria] Arbitror germanum quod in C. est: *atque adeo hereditaria.* Infra: 'Cui excolendæ atque adeo ditandæ impensius, quam ceteris gentibus supremus ille rerum fabricator indulsit.' Rursum: 'Nominibus antistites, re vera autem satellites, atque adeo carnifices.' Iterum: 'Magno quidem (fateor) pectoribus humanis, atque adeo maximo lux amori est,' &c. *Livin.* Vellem vel alius quispiam confirmaret, neque tamen causa est, si bis terve loquatur ita auctor, cur id ipsi ubique adfingamus. *Arntz.*

Transalpini sermonis horrorem] Ita per modestiam de Gallica facundia loquitur, quam alias etiam iis temporibus ubique fuisse laudatam, præter multos alios Savaro docet ad Sidonium Carm. XXIII. p. 188. *Scheff.*

Quam de eorum] *De Deorum.* Leg. *eorum.* In eod. Panegyrico, quem locum jam jam citavi, statim sequitur, quod huc item pertinet: 'et si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiæ imitatio nostra derivat.' *Acidal.* Rhen. etiam et vetusti cum Guelf. *Deorum,* minus ad sensum oratoris; non enim tam agitur an cælitus demissa sit eloquentia, quam ut oppositionem faciat Gallos inter et Romanos, cum horror ille dicendi Transalpinus mitigatus fuerit, et excussus præceptis, quæ ex Romana eloquentia hauserant. Adeoque ineptum videtur apud alterum jactare id, quod ab eo acceperis. Hoc etiam ceteræ gentes agnoverunt, ad se ex Romanis fontibus eloquentiam esse derivatam. Ita Athalaricus rex apud Cassiod. Var. Epist. IX. 21. 'Sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat, et ut reliqua taceam, hoc, quod loquimur, inde est.' *Arntz.*

Usus] Non opus erit hanc scripturam sollicitare, cum scribere videatur potuisse *haustus.* Simili ratione apud Val. Max. I. 8. ex. 18. 'haustu aquæ recreentur.' Tacit. Hist. I. 51. V. not. ad Plin. Pan. XXIX. § 3. *Idem.*

§ 4 *Obversarique*] Belle *obversarique*, idemque mendum tollo in Seneca patre Procem. Controv. lib. I. 'Quædam vero, quæ observantia mihi, et jam ex aliqua parte se ostendentia non possum occupare,' &c. nam mihi liquet explorate verum esse 'obversantia.' *Livin.* Lectio est a libris, quam tamen etiam exsculpserat ex vulgata *observarique* optimus Delbenius, prodente Petro Daniele. *Gruterus.* Ita meus manifeste quod ex conjectura Livineii Acidaliique expressit Parisiensis: veteres alii *observarique*, sensu minus commodo. *Scheffer.* Jam olim Livineius et Acidalius conjecerunt pro verbo *observari* hic legi debere *obversari*, quæ conjectura deinceps in textum variarum editionum recepta est, ac nunc nostri codicis auctoritate evidenter confirmatur. Prior quidem illa lectio prorsus incongruens videtur. Etenim Stephano Doleto in Commentariis Linguæ Latinæ docente, verbum 'observo' duo significat: unum est 'quod custodio aliquid oculis animoque in modum speculatoris:' alterum est, 'quod admiror et colo;' adeoque veteres oratores Pacato *observari*, i. e. observanter animadverti, dici queant: multo tamen commodiorem locum hic habet verbum *obversari*; cum *obversari* dicatur id, quod frequenter adest et obversum stat: item quod ita animo adparet, ut adesse coram videatur. Sic Plinius Epist. v. 21. 'Sedebant,' inquit, 'centumviri, venerant' (obversabantur,) 'advocati; silentium longum:' et Cicero Quæst. Acad. l. IV. 'Veritas ipsa, et gravis et recta ratio nonne mihi obversatur?' Sic ergo et Pacatus dixit, veteres Romanorum oratores sibi dicturo *obversari*, h. e. animo suo tanquam: præsentes repræsentari. Sed hæc emendatio levior est, ut dixi, jam fere vulgo recepta. *Schwarzius.* Sustulit et Juretus ad Plin. Paneg. XLVIII. § 4. ubi alia addidimus, et confirmat Guelf. *Arntz.*

§ 5 *Timere; video*] Probe *quod video* et *quod timeam*; sed nondum constituta lectio. Rescribam fidenter, *timere quod video quod timeam. Quod video*, h. e. auditorium hoc præsens, *quod timeam* scilicet veteres illos oratores, qui dicturo obversantur. Doctissimus Lipsius *cogito* immiserat, mihi *video* geminari placet, errore in libris obvio. *Livin.* Locus me indice debilis. Ei sententiam et suam huic argutiam reddideris, si verbum *video* repetas: *timere quod video, video quod timeam.* Quasi enim non satis sit timere illos, quos coram videt assistere, ultro videt animo nimirum atque cogitatione, veteres omnes oratores, quos merito timeat. Quamquam clarior sensus evadet, si idem verbi bis repetas, sed alio flexu, *timere quod video, videre videor quod timeam.* Quomodo forte etiam potius auctorem scripsisse credam. Rittershusio videtur deesse verbum *acerso*, vel *requiro*, vel quid simile. *Acidal.* Sic Mss. videtur aliquid deesse; suppletum ibat Bongarsius, addita vocula, *fingo quod timeam;* admodum dextre, etsi nec sinistre Livineius, *timere quod video, video quod timeam.* Gruter. *Fingo quod timeam*] Quos præsentes video; fingo etiam Catones, Tullios, quos timeam. Bongarsius et Gruterus *fingo* addunt; Lipsius *cogito.* Cellar. Livineii emendationem secuti sunt et Jacobus De la Baune, et Laurentius Patarol. Grutero etiam visum est, istis Pacati verbis aliquid deesse, quod admodum dextre suppletum iverit Bongarsius, addita vocula, *fingo, quod timeam.* Quam voculam *fingo* etiam Cellarius in textum recepit, cum Pacati locum sic exprimendum curarit: *quasi parum habeam timere, quod video; (fingo) quod timeam.* Sicut vero Lipsius verbum *cogito;* et Bongarsius Cellariusque verbum *fingo* citatis Pacati verbis inserendum putavere; sic Cunradus

noster Rittershusius in reliquiis conjecturarum ad Panegyricos veteres itidem verbum aliquod in vulgaribus editionibus deesse opinatus hunc in modum legendum censuit, *Quasi parum habeam timere; quod video; accerso, (vel requiro vel circumspicio) quod timeam.* Hi commentatores satis assecuti sunt expresseruntque sententiam Pacati; sed in castigandis restituendisque verbis non satis felices fuisse videntur, contra codicum veterum auctoritatem ex ingenio quædam verba immittere ausi. Noster autem codex, genuinam, ni fallimur, Pacati scripturam refert, ostenditque in vulgaribus editionibus huc usque non tam aliquid defuisse quam abundasse. Sic vero ibi legimus: *Ita multiplici circumventus metu, quasi parum habeam timere, video quos timeam.* Recte sibi hic opponuntur verba *habere* et *videre: quasi parum habeam timere*, i. e. quasi non re ipsa et ex vera causa mihi necesse sit timere; *video*, i. e. imaginor fingoque animo eos, quos timeam. Sic vero v. g. loquitur Augustus apud Tranquillum cap. 58. 'Quid habeo aliud Deos immortales precari?' i. e. quid aliud precandum habeo? sive, quid aliud opus est precari? Neque notio imaginandi, animoque cogitandi aliena est a verbo 'videre.' Ipse poëtarum princeps Virgilius (cujus loquendi formulas sæpius in animo habuisse et expressisse videtur Panegyristes noster) Æn. IV. 83. sic cecinit: 'absens absentem auditque videtque.' Id quod Ovidius in Epistola Did. ad Æneam sic expressit: 'Æneasque oculis semper vigilantibus hæret; Æneamque animo noxque diesque refert.' Sic et verbum 'videre' de imaginatione et visu per insomnium dixit Tacitus Annal. II. 14. 'Nox eadem,' inquit, 'lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum.' Cicero autem ejusque æquales de eadem re loquentes, plerumque paullo plenius, luculentiusque dicunt, 'video animo,' sive 'videre videor,' et quæ aliæ sunt ejus generis loquendi formulæ. *Schwarz.* *D* in *s* mutato fluidissimam ac perargutam hanc exhibeo orationem: *Ita multiplici circumventus metu quasi parum habeam timere, quos video, fingo, quos timeam:* id est, quasi non satis mihi sit eos timere, quos oculis hisce meis nunc video, etiam fingo et animo mihi repræsento alios, quos timeam. *Satis habeo* sequente infinitivo Latinis est *zufrieden seyn, dass, &c.* Apud Curtium IV. 9. 20. monebat Alexander milites, 'ut satis haberent arma retinere:' *Sie mochten zufrieden seyn, dass sie nur ihre waffen behielten.* Eodem sensu dicitur 'contentus sum' infinitivo subjuncto. Curtius IV. 10. 14. 'Mazæus jam fugere contentus, pleraque inviolata hosti reliquit;' et cap. 12. 15. 'Ille segnis in eo, quem occupaverat, tumulo, sedet contentus non lacessi.' Rursus VIII. 1. 38. 'Dolorem tamen rex pressit, contentus jussisse, ut convivio excederet;' et c. XI. 18. 'Hostem depulisse contenti, non institere cedentibus.' Pluribus hæc sum persecutus, ut appareat, quid sit apud Pacatum, *quasi parum habeam timere.* *Parum* vero a Latinis subinde dici pro 'non satis,' vel in vulgus constat. Vid. vel Ovidius Metam. V. 686. et VI. 3. *Heuman.* Lipsii medicina Quæst. Epist. IV. 27. non displicet Pricæo ad Apul. Metam. V. pag. 252. si conjecturis agendum, mollissima sane esset illa Livineii. Sed tutioribus remediis rem adgrediuntur Scheff. et Schwarz. et firmat aperte Guelf. *timere, video quod timeam.* Et sane illud *quod* minime mutandum est in *quos*, cum alterum multo sit nervosius. Neutrum enim illud *quod* notat *quos* vel *quas.* Ovid. Her. XVIII. 153. 'At mihi, quod Perseus et cum Jove Liber amavit:' ubi multa similia Burmannus dedit. Epist. XIX. 91. 'Sis tamen hoc potius,

quam quod prius esse solebas:' quod nec ibi quidam tolerarunt. Trist. III. 11. 26. 'Non sum ego quod fueram.' Lucanus v. 729. 'quod nolles stare sub ictu Conjux sola fuit:' ubi deterius alii 'quam,' eosque recte in viam reducit Burmannus, monens et ita dici Lucæ I. 35. τὸ γεννώμενον, idque latius illustrat diligentissimus Raphelius ex Xenophonte ad Matth. I. 20. ut apud Palæph. Incred. fab. XI. τὸ κυηθέν. Adde Herodianum IV. 5. 4. si tamen cui minus adrideat simplicissima codd. scriptura, posset is præferre, ut emendavit Heumannus in Pœcil. tom. III. lib. IV. p. 529. *Timere, quos video, fingo, quos timeam.* Arntz.

CAP. II. § 1 *Diu ante meditati*] Sic Terentius Phorm. II. 1. 'meditata mihi sunt omnia mea incommoda.' Plautus in Pseudulo: 'Teneo omnia, in pectore condita sunt, meditati sunt doli docte.' Adde Vossium de Arte Grammat. lib. II. p. 27. Ceterum hæc eo scripsit, ut ostenderet sponte se venisse, nec ob difficultatem negotii officium quod debebatur principi, voluisse intermittere. Scilicet, ut ait Seneca de Ira, III. 37. 'Fortis est animus, ad quæ præparatus venit.' *Scheffer.*

Ab ultimo Galliarum recessu] Pertinet et hoc ad quædam laudum veluti præludia. Eximiam videlicet oportet esse illam virtutem, cujus fama pervenit ad tam longe remotas gentes. Quid? si postquam pervenit, eas excitet ad sui reverentiam, coramque videndi desiderium? Non potest non insignis ea esse, omnibusque modis absoluta. Itaque et inter Salomonis laudes numeratum, quod ex Oriente ultimo Sabæorum regina ad ipsum venerit. *Idem.*

Qua litus] Cod. Guelf. habet *quo*, errore librariorum non dubio, cum sit idem quod *qua parte*. Plaut. Aulul. II. 4. 22. Ovid. Art. II. 344. Davies. ad Cæsar. Bell. Civ. I. 39. 2. supra cum dicat 'ipso dicendi tempore' paria habet Ovidio Epist. Her. XX. 210. Eumen. pro Restit. Scholar. I. § 2. Quod 'solem cadentem in oceanum' dicat, pertinet ad stultam veterum opinionem, qua crederent, solem, cum occideret, cadere in mare. V. D. ad Flor. II. 17. 12. et id adparere ex eo, quem edebat, stridore, qui poterat a procul stantibus audiri. Barth. ad Stat. Silv. II. 7. 27. *Arntz.*

§ 2 *Obsequio interpretor inpudentiam*] Non hoc mutem, non, et eundem virum doctissimum non audio, qui *obsequio intersero impud.* legit: nam *interpretor* est excuso et pro obsequio duco. *Livin.* Vide ne potius scribendum, *dum obsequium interpretor inpudentia.* Nam non inplere sibi officium videtur posse, nisi inpudens fiat et temerarius. Alterum illud excuset potius *inpudentiam*, quod a mente hoc alienum. *Acidal.* Livineium omnino hic sequendum existimo; nisi quod τὸ *interpretari* non tam excusare exponerem, quam rationem facti reddere: ut sensus sit: Dum impudentiæ meæ caussam esse dico debitum Principi obsequium, &c. Nam et sic Cornelius usurpavit vita Attici: 'Nonnulli interpretantur amitti civitatem Romanam alia adscita.' *Scheffer.*

Gaudium et silentium] Nam difficulter is affectus premi taciturnitate potest. 'Difficilis est patientia gaudiorum,' inquit Symmachus Ep. I. 32. et Ennodius: 'Manca est sine sermone hilaritas, et simulacrum mœroris est occultare quod gaudeas, et afflictionis imitatio vocem in gaudio non habere.' Hinc apud Comicum Chremulus in Pluto: Λέγεις μοι χαρὰν, λέγεις μοι βοάν. *Idem.*

Diversissimas] Elegans oppositio inter *metum* et *temeritatem*, quas duas res in unum hominem vix cadere latius docuit Juretus ad Symmach. Epist. I. 31. Petiit id a suo Plinio in Panegyr. XXIV. § 1. 'Miscuisti res

diversissimas, securitatem olim inperantis, et incipientis pudorem:' ubi V. D. *Arntz.*

Nullus adigebat] Est et hæc non exigua laus, quam adcuratioribus præmittit. Bonum enim principem significat, qui solus laudes nullus exigit, conscientia sua fretus, et quia sponte secuturas novit. Ceteri contra faciunt, quia etsi boni non sint, videri tamen cupiunt. Nec quisquam exstitit tam pravus, qui non probus videri voluerit; tanta vis virtutis est, et hinc adulandi causa, et cupido. Cicero de Amicitia: 'Virtute ipsa non tam multi præditi esse quam videri volunt; hos delectat assentatio; his fictus ad eorum voluntatem sermo cum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant.' *Scheff.*

Expressæ] Dicuntur talia verba, quæ non sponte aliquando proferuntur, sed cogente necessitate et dolore. Phædr. v. 5. 32. 'Cum dolore vocem naturæ exprimit.' Pricæus ad Apul. Met. III. p. 252. Drakenborch. ad Liv. VIII. 2. Curt. IX. 3. 1. Senec. Œdip. VI. 529. Burm. ad Vell. II. 19. 3. Plin. Panegyr. II. § 1. 'Recedant voces illæ, quas metus exprimebat.' Cui igitur recte jungit mox 'fuerit abieritque,' qua formula devovebant res quibuscum nullum sibi negotium vellent esse. Martial. XI. 6. et præcipue talis res 'fuisse' dicitur, quæ ita periit, ut nullum vestigium amplius adpareat, cum penitus ab omni usu recesserit. Taubm. ad Plaut. Captiv. III. 3. 1. Barth. ad Stat. Theb. II. 140. Heins. ad Ovid. Art. III. 113. Gatak. de Styl. N. Instrum. c. 19. Inde profecta illa, ominis vitandi causa, formula, cum dicerent 'fuit' pro 'mortuus est.' Cf. Heins. ad Ovid. Her. XVII. 191. Clarius Tibull. III. 5. 32. 'Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.' V. D. ad Plin. Epist. VIII. 5. 1. quod a Græcis profectum, qui dicunt εἶναι pro 'vivere,' 'in vita superesse.' Pric. Bos. et alii ad Matth. II. 18. Sophocl. Ajac. vs. 789. Eurip. Hipp. vs. 1162. Heliodor. Æthiopic. lib. II. pag. 63. Barnes. ad Eurip. Hippol. vs. 357. *Arntz.*

Periculum silentii] Re vera periculum, quia contumaciam et fastidium præsentium exponunt mali principes, proindeque tales, velut hostes suæ pariter ac publicæ quietis aspiciunt, unde præsentissimum exitium. Sueton. de Nerone c. 23. 'Taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia ac malignitate arguens, suspectos sibi dicebat.' Et Noster paulo post: 'Tyrannum non prædicasse, tyrannidis accusatio vocabatur.' *Scheff.*

§ 3 *Ancillantis*] Libera republ. erepta dominio regum transierat ad consules cum Impp. tenerent summum imperium et dominium. 'Dominus' enim apud Romanos vox erat invidiæ subjecta præcipue ob Tarquinium Superbum, et postea de principibus adhibita. Stewech. ad Veget. de R. Milit. lib. II. p. m. 53. Cort. ad Sall. Catil. c. 6. *Arntz.*

Ventosa] Pertinet ad id, quod dixerat 'auras,' cum 'aura' usurpetur de mobili plebis favore et gratia. Gud. et alii ad Phædr. v. 7. 1. Drakenb. ad Liv. VI. 11. *Idem.*

Gratias agebant dolentes] Ita omnes editi. Meus habet *gratis,* et haud dubie sic scripserat Pacatus pro *grates* antique, quod cum ignoraret sciolus, fecit *gratias.* De re ipsa Gnomologus: 'Gratiæ aguntur regibus pro injuria.' Sic cum Vitellius non paucos occidisset cives, Coss. senatoresque summovisset officio; 'actæ insuper,' ait Tacit. Histor. II. 71. 'Vitellio gratiæ consuetudine servitii.' Scilicet, ut inquit Seneca de Ira II. 33. 'Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt.' Quare? 'facient iterum si se fecisse crediderint.' Intel-

lexit ille apud eundem eques Romanus sub Caio. Item isti sub Nerone de quibus Tacitus Annal. xv. 71. 'Alius filio, alius fratre aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates Deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi, et dextram osculis fatigare.' Atque hoc est illud, 'mentiri beatos,' uti noster infra loquitur. Quod quam gratum sit tyranno, quamque ad decipiendum eum idoneum, ex prædicto Tacito intelliges, qui de Nerone subjicit, 'atque ille gaudium id credebat.' Artem fateor difficilem, sed qua tamen utatur sub tyranno necesse est, quisquis non omnes suos sublatos volet. *Scheff.* Pro *gratias* Guelf. habet *grates.* Alterum hausit noster a suo Plinio in Paneg. III. § 4. *Arntz.*

§ 4 *Minus necesse est*] Quare? quia hic solus bonus est princeps, uti supra diximus. At quo melior est princeps, hoc eum magis laudari decet. Imo hoc ipse magis laudari potest. 'Nam laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari, nisi optimus, non potest.' Porro verbis hisce institutum suum, qua de re dicturus sit, declarat. *Scheff.*

Cap. III. § 1 *De te igitur*] Verbum sequens *erit* meus non agnoscit. Legendum igitur est *det* pro *de te,* quod et Schonhovio visum fuit. Similia menda observavit alibi amplissimus Freinshemius, collega et amicus meus plurimum colendus. Vide notas ejus Curtianas x. 9. 5. Quod rem ipsam adtinet, notandum fuerit, quod a tempore orationem suam inchoët, ostendatque quam opportune, oppressa scil. republ. ad imperium admotus sit Theodosius. Est nimirum hac in re et virtutum Theodosii, et judicii de iis summæ majestatis non spernendum testimonium. Nec enim alius, nisi magnus princeps, subire onus illud potuit, et inter omnes electus est Theodosius, cui id quantumcumque fuit, imponeretur. *Scheff.* Jo. Schefferus emendavit: vulgo, *de te .... erit ille:* quia illud *erit* vidit abesse a suo cod. *Cellar.* Cellarius ex Schefferi conjectura ita legit: *Det igitur mihi sermonis hujus auspicium ille felicitatis publicæ auspex dies, qui te primus inauguravit imperio.* Noster vero cod. confirmat vulgatam lectionem: *De te igitur mihi sermonis hujus auspicium erit ille felicitatis publicæ auspex dies, qui te prius inauguravit imperio.* Sola vocula *prius* pro *primus* non satis placet. Fuit autem auspex ille dies, secundum Theodoretum v. 6. XIII. Februarii, vel secundum Socratem XVII. ejusdem mensis; anno quidem 379. post Christum natum ex calculo Onuphrii Panvinii. *Schwarz.* *De te* rectissime legitur, cum olim legeretur *det*, male. Norunt id, qui unquam veteres codd. tractarunt. Vide Casaub. ad Sueton. Cæs. c. 6. Lambin. ad Cicer. Fam. I. 9. not. ad Plin. Pan. XLIII. § 1. Respicit igitur ad Veterum adorandi rationem, cum Impp. viventes etiam pro Diis colerentur. Pith. Adv. Subsec. I. 8. Spectat igitur ad eum morem, cum primo loco adorarent Deos, et a precibus omnia inciperent, ut diximus ad Plin. Paneg. I. § 1. Hæc causa cur a Jano, qui antiquissimus Italiæ erat Deus, principium caperent. Dempst. ad Rosin. Antiq. II. 3. *Arntzen.*

Auspex dies] XIV. Kal. Februarii, a. ante consulatum Ausonii et Olybrii. V. Chronicon Marcellini Comitis, et Cassiodori. Est id autem calculo Onuphrii 379. post Christum natum, et U. C. 1130. *Scheff.*

§ 2 *In eam cæli plagam*] Consule Plutarchum in Numa et M. Marcello. Fuit eadem et Christianorum consuetudo, unde solem velut Deum colere credebantur. Tertullianus in Apolog. cap. 16. 'Solem crediderunt Deum nostrum. Sed inde suspicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari. Sed et plerique

vestrum, affectatione aliquando et cœlestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis.' Meminit et Gratianus in decretis, unde ita inquit v. 223. 'Quæ orientem versus nos orare literarum forma præstituit? benedicimus fontem baptismatis, oleum unctionis,' &c. *Idem.*

Tempus adripiam] Ita emendavi ex cod. Pulm. Sic Mamertinus loquitur cap. II. 'Ac primum illud arripiam, quod credo neminem adhuc ausum fuisse.' *Putean.* Sequor indubitato *arripiam*, quod exemplis firmamus ad Paneg. v. (incerti auctoris) cap. II. *Livin.* Stephanus *afficiam*, quod est nihili. Alterum probat Livineiùs conjectura sua, itemque Puteanus. Meus habet *asriciam*, unde probo *aspiciam* cum Acidalio: sic enim oportet, propter præcedentem similitudinem, maxime illa verba, 'In eam cœli plagam ora convertimus.' *Scheffer.*

Romana lux cæpit] Hoc est, quo imperium nactus est Princeps Optimus. Eodem modo Curtius x. 9. 'Jure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, cui noctis quam pæne supremam habuimus, novum sidus illuxit, et veluti sol exortus lucem caliganti reddidit mundo.' Senec. in Consol. ad Polyb. cap. 32. de Claudio: 'Sidus hoc, quod præcipitato in profundum ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat.' Et de Clement. I. 2. 'Quanquam ad clarum et beneficum sidus certatim advolant.' Scilicet re vera sidus, sol, lumenque bonus princeps est, sive majestatis cogites splendorem, sive gratiæ calorem quasi beneficiorumque fomentum, sive omnium in illo lumine vivendi cum jucunditatem tum securitatem. Idem prædicto libro cap. 7. 'Non alia facies est quieti moderatique imperii, quam sereni cœli et nitentis: crudele regnum, turbidum tenebrisque obscurum est, inter trementes, et ad repentinum sonitum expavescentes, ne eo quidem qui omnia turbat, inconcusso.' *Idem.*

§ 3 *Barbaris nationibus*] Intelligit Gothos, a quibus maximam in Thracia cladem Romani acceperunt. Vide Ammian. lib. ult. et Hieron. in Chronic. *Putean.* Gothos intelligit, qui sub Suerido et Colia ducibus, in Romanorum fines ingressi, et a Valente non prudenter satis accepti fuerunt. Item Thaifalos, Hunnos, Alanos, a quibus omnibus ingenti prœlio victus Valens, exustusque in quodam tuguriolo, adeoque occupatum quodammodo imperium Romanum fuit. Vide Ammianum fin. libri XXXI. Aur. Victor. in Valente, et Gratiano: Hieronymum et Cassiodorum in Chronicis. *Scheff.*

§ 4 *Parcam replicare causas*] *Par causa.* V. C. *Sed parcam replicare, &c.* rectissime. At quod Balduinus substituit *pacatum ulcus*, etsi ingeniosum sit, mihi tamen non probatur, et lectio vetus sana est. *Juret.* Egregie *parcam replicare.* Infra, 'parcam arcanum cœleste rimari.' In editione Parisiensi Franc. Balduini est *sed par causa replic.* indiciis vero manifestis. Nam veteribus libris *cā* et *cam* valet, et *causa.* Quod proxime est, *vulgus offendere* non ausim cum eodem Balduino in *ulcus* commutare. Non enim, meo judicio, satis Latinum est *placatum ulcus*, et exemplum equidem desiderem. *Livin.* Veteres habebant, *par caussa, replicare caussas;* ex quo Acidalius fecit *par casus et vulnus*, nimium licentiose. Livineii conjecturam, quam Parisiensis sequitur, meus cod. confirmat, in quo expresse *parcam* legitur. *Scheff.* *Replicare causas* prudenter. Nam mala reipub. quantum fieri potest, obtegenda sunt. Nec enim ex eorum commemoratione nisi dolor privatim, in publicum vero dedecus exspectandum. Itaque et Cicero Orat. pro L. Manilia: 'Sinite, Quirites, sicuti poëtæ solent, qui res Romanas scri-

bunt, præterire me nostram calamitatem,' &c. Porro quod de causis addit, seorsim spectat ad historiam. Gothi nempe cum aliquamdiu consedissent dispositi in hybernis, et ab Imperatore Romano jussi essent transire Hellespontum, prius ab Hadrianopolitanis benigne petierunt cibos et viaticum. Sed præfectus urbis armatis civibus id negare ipsis, denique vi abigere conatus est. Qua injuria coacti et cives illos interfecerunt, et ad Fritgernum, reliquosque nominis Romani hostes sese contulerunt, unde postea atrocissimum illud contra Valentem Gratianumque bellum exortum est. Fuerunt igitur Romani ipsi cladium suarum auctores, unde et prudenter hic orator causas belli reticendas censuit. Orosius VII. 33. 'Propter intolerabilem avaritiam Maximi ducis fame et injuriis adacti, in arma surgentes omnia cædibus, incendiis, rapinis fœdarunt.' Adde Fraculphum IV. 20. qui Orosium hic exscribit, et Addonem in Chronico p. m. 146. *Idem.*

Placatum vulnus offendere] *Ulcus.* Sic Bong. cod. et Bald. ed. antea male legebatur, *placatum vulgus.* Sic apud Terent. in Phorm. 'ulcus tangere.' *Putean.* Legendum *casus* et *vulnus.* Id et sententia, et sequens medicorum comparatio, evincit. *Acidal.* Defendit lectionem hanc Juretus; caussam nullam video. Malo igitur cum Balduino Puteanoque legere *ulcus* ex Bongarsii cod. præsertim cum et postea in hac similitudine permaneat. *Scheff.* In omnibus fere editis olim legebatur *vulgus,* quod quidem offendere nihil potest, sed multis partibus rectius videtur scriptura *vulnus,* quæ confirmatur ex eo, quod addat, *offendere,* hoc enim verbum proprie de vulneribus adhibetur. Rhodius Lexic. Scribon. p. 416. Val. Max. I. 4. ex. 2. Confirmat et quod alii præferant *ulcus.* Arntz.

Vivax sit recordatio] Ita Marcius ad milites apud Liv. XXV. 38. 'Præsto est acerba memoria.' *Scheff.*

§ 5 *Altorum vulnerum*] Perspicue rectum est *altorum.* Eumenius in Constantinum: 'Quid faciam igitur, ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem?' Correximus et supra *alta* pro *alia,* scriptura æque obsequente. Minus expositum, quod notatum mihi in Arnobio lib. II. 'Quid ergo? vos soli sapientiæ conditi, atque intelligentiæ vi mera nescia quid aliud videtis et profundum?' Equidem hic quoque 'altum' rescribam, et suspicio mihi sciolum quempiam literarum *i* et *t* similitudine deceptum, cum 'alium' legisset, 'aliud' suffecisse. *Livin.* In quibusdam edit. inepte legebatur olim *aliorum,* cum absque dubio verum sit *altorum.* Ovid. Met. X. 527. Lucan. I. 32. Martial. I. 61. Senec. Troad. vs. 48. 'Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.' Sic dixit 'profunda vulnera' Eumen. in Constant. XIV. § 3. Vide et Drakenb. ad Sil. VI. 580. *Arntz.*

Manu pendente tractabo] Sic Eumen. in Constant. cap. XIV. 'Quid faciam igitur, ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem?' Plinius quoque lib. VI. Epist. ad Tiabatum: 'Tu vero non debes suspensa manu commendare mihi, quos tuendos putas.' *Putean.* 'Tractare' hic recte adhibet, cum ad medicos pertineat. Ovid. ex Pont. I. 6. 24. Barth. ad Stat. Theb. III. 154. et apud Justin. XII. 6. 8. 'Primum in fletus progressus amplecti mortuum, vulnera tractare.' *Arntz.*

Per sententias isse] In C. *persentisse* est, in L. *perscrutasse,* voces nihili, et a loquendi legibus alienæ. Præivit ad verum, quod V. B. exhibent corrupte, *persentiasse;* unde eruebam ægre, nec sine seria cura, *per sententias isse:* nam *sentias* in exaratitiis libris *sententias* valet. Lampridius Alex. Sever. 'Neque ullam constitutionem sacravit sine XX. jurispe-

ritis, et doctissimis ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis, non minus L, et id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset.' Franc. Modius *percensuisse* legebat, quod mihi quidem non admodum probat. Tu vide, sis, mi lector. *Livin.* Ita omnes. Acidalius putabat, *præsentes et singulos.* Meus habet *persenciasse.* Verbum nihili, e quo tamen veram eruo scripturam. Fuit enim, *per sententias isse, τὸ sententias* in cod. quem secutus est meus contracte scriptum fuit, hoc modo *sentias:* quod non intellexit, ideoque cum sequenti verbo composuit. Eandem de hoc loco conjecturam etiam Livineii fuisse nunc observo, qui in suo quodam cod. reperit *persentiasse.* Scheff. Ita privatam in Mss. vocem e vestigiis Livineius et Schefferus restituerunt: et tollendum omnino editorum, *persentisse* aut *præsentisse.* Cellar. Locus valde corruptus olim exstabat, quem adhuc etiam Jacobus De La Baune in splendida editione sua retinuit, sicque expressit: *Altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, præsentisse, et singulos universosque rogitasse contentus, an,* &c. Nihil corruptius est voce *præsentisse;* quam, teste Livineio, codd. quidam fere adhuc depravatiorem exhibuerunt, dum in aliis *persentisse,* in aliis *perscrutasse,* in aliis *persentiasse* scriptum fuit. Et critici in hoc mendo tollendo corrigendoque diu parum feliciter versati sunt. Franc. Modius, *percensuisse,* Acidalius *præsentes* substituere voluerunt. Primus veram lectionem conjectura adsecutus est Livineius pro *præsentisse* legendum existimans *per sententias isse.* Quam Livineii conjecturam deinceps Cellarius et Patarol recte receperunt, utpote quæ sententiæ Pacati egregie congruit et nunc auctoritate cod. nostri evidenter comprobatur. Ita enim ibi legimus: *Alterum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, per sententias isse, et singulos universosque rogitasse, contentus,* &c. Quid vero sit, *per sententias isse,* id explicat ipse Pacatus in verbis istis subsequentibus, *et singulos universosque rogitasse.* Scilicet Panegyristes his verbis significare voluit, se in præsenti oratione res adversas calamitosasque, quæ tunc acciderant Imperio Romano, vel plane prætermissurum, vel duntaxat parce leviterque commemoraturum, satisque habiturum esse, ut comprobet (si etiam omnium omnino hominum sententias et suffragia exquirat colligatque) meliorem digencioremque Imperatorem Theodosio ne quidem optari, nedum eligi potuisse. Cæterum, in eadem periodo pro *sanitate,* legere malim *sanatæ;* dummodo huic emendationi codd. veteres suffragentur. *Schwarz.* Hic locus diu in mendo cubavit, cum veteres editi ex eo fecerint *præsentisse,* in quo errore præivit antiquissima, quam vidi, editio, eamque securi secuti sunt ceteri. Libens igitur accesserim ei scripturæ, quam Schwarzius in cod. scripto invenit, quamque videtur firmare cod. Guelf. Livin. Epist. ad Lips. in Syll. Burm. tom. I. p. 638. putat ex variis titubantium codd. aberrationibus reponendum esse *percenturiasse,* quem vide. Novimus autem verbum *ire,* a solemni more senatus Romani petito adhiberi de sententiis, unde *ire* adplicari posset ad hanc rem, cum senatorum esset, ut indicarent quid ipsorum esset sententia, in hanc alteramve partem abeuntium pedibus discedere, cui opponitur, *ire in alia omnia.* Manut. ad Cicer. Fam. I. 2. Mox pro *rogitasse* Guelf. legit *excogitasse,* quamvis altera manus id jure correxerit. 'Rogare' namque pertinet ad sententias exquirendas in senatu. Cicer. Fam. I. 2. Sueton. Cæsar. cap. 21. et alibi. Senec. Lud.

Claud. p. 852. l. 6. § ult. ff. de Decurion. Plin. Pan. cap. VII. Cort. ad Sall. Catil. cap. 52. *Arntzen.*

Fessis rebus] Ita Tacitus Annal. XV. 50. 'Ergo dum scelera Principis et finem adesse imperii, deligendumque qui fessis rebus succurreret,' &c. et Annal. XI. 24. 'Fesso imperio subventum est.' Eodem modo Plin. Histor. XI. 7. 'Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens,' &c. Nimirum bella, sævitia tyrannorum, et id genus non secus ac ingentes arduique labores, reipubl. Imperiique vires omnes misere exhauriunt. *Scheff.* Hoc dicit Senec. Œdip. vs. 210. 'fessis opem reportare;' et 'fessum sustinere,' Val. Flacc. VIII. 231. ubi Burm. Nos ad Plin. Pan. cap. VIII. § 3. *Arntz.*

Medendum] Recte. Re vera enim istiusmodi heroës malorum publicorum morborumque veluti cœlestes quidam medici. Aur. Victor in Antonino: 'Credo divinitus attributum, ut, dum mundi lex seu natura aliudve quid hominibus incognitum mala gignit, rectorum consiliis tanquam medicinæ remediis leniatur.' Lamprid. in Alex. Sever. 'Interfecto Heliogabalo ad remedium generis humani Aurelius Alexander urbe Arcena genitus, accepit imperium.' *Scheff.*

Imperatoris unius tueretur æt.] Valentinianum intelligit Gratiani fratrem, ætate adhuc immaturum. Nicephoro XII. 19. Ambrosioque Ep. XXVII. testantibus, et ut refert Zonaras puerum tunc quadrimum, adeoque facile expositum injuriis. Vide Onuphr. ad lib. III. Fast. p. m. 300. Sleidanus illum male filium Gratiani appellat. *Idem.*

Principem vel optare] Plinius de Trajano: 'Fingenti formantique mihi Principem, quem æqualis Diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic quem videmus.' Ea scilicet optamus, quæ videntur posse fieri. At esse principem, et in fortuna summa collocatum et virtutes omnes juxta colere, pie probeque vivere, id quodammodo principalis fastigii licentia non admittere videtur. Hinc illud dictum Gnomologi: 'Colere pietatem minime facile Principi est.' Quo magis laudandi illi, qui hanc difficultatem superant, et sic non modo spem suorum civium ac vota, verum ipsum etiam principale fastigium supergrediuntur. Quemadmodum cum Theodosio Christina, nostra princeps facit. *Scheff.* Ex convenientia præcedentis voculæ posset conjici legendum esse *voto*, ut illud *o* absorptum fuerit a sequenti *optare* et *vot* originem ducat ex *vel.* Plin. Paneg. cap. IV. § 4. 'voto saltem concipere.' Juven. Sat. III. 276. 'et votis poscere.' Lucan. II. 533. Supra male Guelf. *tuetur*, pro *tueretur*, quod frequens in codd. scriptis, cum *er* et *re* ob compendium scripturæ fuerint neglectæ. Scheff. ad Justin. XI. 8. 5. Cf. not. ad Plin. Paneg. cap. XII. § 3. Drakenb. ad Liv. I. 37. et alibi iis in libris. *Arntz.*

§ 6 *Nutantia Rom. rei fata*] Nam ut Victor testatur in Gratiano, 'extremum tunc periculum nomini Romano imminebat.' *Scheff.* Multa retulerunt Romani de fatis urbis suæ quam fingebant æternam futuram, unde de ea urbe canit Rutil. I. 92. 'Excedis factis grandia fata tuis.' Firmiter enim olim persuadebant Romani suam urbem nunquam perituram, nec subjectam inmitioribus Fortunæ telis, et calamitatibus iis, quæ interitum possent minitari. Barth. ad Rutil. II. 55. 129. et 133. unde 'Romana dies' pro omni ævo. Barth. ad eumd. I. 200. Inde quoque vota faciebant et ea persolvebant pro æternitate urbis. Lips. ad Plin. Paneg. cap. LXVII. et Dempst. ad Rosin. Antiquit. I. 2. *Arntz.*

Cui felix patria] Hoc est, qui sum-

mis animi corporisque, et fortunæ dotibus esset instructus. Tales enim tempora hujusmodi requirunt. Non sufficit qualiscunque virtus ad restituendam reipubl. fortunam conclamatam. Rara omnibusque numeris absoluta, id est, Heroica ut sito, necesse est. Exempla sunt in Cyro, et Octavio, et Carolo M. et similibus. *Scheff.*

Domus clara] Observabunt hic, qui eloquentiæ incumbunt, quanto artificio partes omnes, quas illustraturus est, et ordinem earum verbis hisce indicet insinuetque. *Idem.*

Ætas integra] 'Integer' de florentibus annis adhibetur, qui in medio sunt robore. Virgil. Æn. II. 638. Ovid. Met. IX. 440. Terent. Andr. I. I. 45. Victor. Var. Lection. XXV. 21. Sic et 'ætas integra' apud Tacit. Agric. c. 44. Vide et Plaut. Merc. III. 2. 7. Symmach. Epist. VII. 103. *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Ab omnibus*] Plinii imitatione quem diligenter legisse noster videtur. Is enim ita Paneg. cap. VII. 'Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.' Ceterum priorem conjunctionem cod. meus non agnoscit. *Scheff.* Quæ mox de felicitate Hispaniæ scribit, confirmant omnes veteres, ut sua abundantia omnibus terris sufficeret. V. D. ad Justin. XLIV. 1. 4. et Melam II. 5. 'Felix' enim accipitur pro fecundus, fertilis. Martial. XIII. 20. Pricæus ad Apul. Met. I. p. 4. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 671. Drakenb. ad Sil. IV. 359. et ad Liv. VII. 28. Serv. ad Virg. Georg. IV. 329. 'inpensius' igitur dicit, pro largius, cumulatius. Schulting. ad Senec. Suasor. VII. pag. 48. *Arntz.*

§ 2 *Nam primum tibi*] Primum laudis caput a patria, quam commendat a situ, opulentia, cultu, incolis, eorumque virtute. Scilicet præclara natum esse patria non exiguum rei bene gerendæ adjumentum; sive quia ipsa nonnihil ad formanda ingenia conducit, sive quia claritudine sua magnos animos ad egregios conatus concitat, sive denique, quia cœpta actionesque auctoritate sua juvat promovetque. Quod Seryphius ille voluisse videtur, cum Themistocli patriam Athenas objiceret. V. Ciceron. de Senect. Platon. Polit. lib. I. *Scheffer.*

Hispania] De qua vide Justinum XLIV. 1. quosque ibi citat vir sine omni controversia magnus Matthias Berneggerus. *Idem.*

Ceteris gentibus] *Gentibus* addititium. 'Ceteris terris' intelligitur. *Acidal.*

§ 3 *Austrinis obnoxia æstibus*] Justinus lib. XLIV. de Hispania: 'Nam neque ut Africa violento sole torretur, neque ut Gallia assiduis ventis fatigatur; sed media inter utramque; hinc temperato calore, inde felicibus et tempestivis imbribus in omnia frugum genera fœcunda est,' &c. *Putean.* Ut Africa, in cujus sita est vicinia, et quam hic innuit orator. Justinus similiter prædicto loco: 'Non ut Africa violento sole torretur.' *Scheff.*

Arctois subjecta frigoribus] Ut Gallia, in cujus comparatione hæc dicuntur. Prædictus auctor iterum: 'Non ut Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter utramque (Galliam et Africam) hinc temperato calore, inde felicibus et tempestivis imbribus in omnia frugum genera fœcunda est.' *Idem.*

Pyrenæis montibus] Justinus loco citato (lib. XLIV.) 'Hæc inter Africam et Galliam posita oceani freto, et Pyrenæis montibus clauditur.' *Putean.* Merito in laudibus Hispaniæ et ista memorat, velut firma certaque illius munimenta, longeque aliis quibuscunque præstantiora, quia durabiliora solidioraque. Hinc a Floro II. 17. 'vallata mari Pyrenæoque' dicitur. Consule Gruterum in Disc.

ad Tacit. Annal. I. 9. *Scheff.*

§ 4 *Egregias civitates*] De numero Hispaniæ urbium vide Strabonem lib. III. et Eustath. in Dionys. *Putean.*

Culta incultaque] Vide Strabonem lib. III. p. 106. edit. Casaub. ubi de Lusitania. *Idem.*

Gregibus] Non tam aliorum animantium, quam equorum. Vide Justinum prædicto loco; Plinium VIII. 42. Claud. de Laude Serenæ: 'Dives equis, frugum facilis.' *Scheff.*

Metalla gemmarum] Vide Plinium lib. XXXVII. 9. et 10. Strabon. lib. III. pp. 99. et 100. edit. Casaub. ubi de Turditania. Justin. lib. XLIV. 'Nec summa tantum terræ laudanda bona, verum et abstrusorum metallorum felices divitiæ.' *Putean.* Repete ex superiori 'opes.' Intelligit autem chrysolitos, quos Hispania producit. V. Plinium XXXVII. 9. Hæ gemmæ metalla radiant, hoc est, auri colore splendent. *Scheff.* Non debet durius videri hanc vocem referri quoque ad lapides et pretiosos gemmarum thesauros. Barth. ad Stat. Silv. III. I. 8. Drakenb. ad Silium VIII. 482. not. ad Lucan. IV. 304. Sedulius Carm. I. 139. 'subitas arente metallo.' Barth. Advers. XXXIV. 3. Haverc. ad Tertull. Apolog. cap. 27. *Arntz.*

Quæ ut sint vera] Leg. *quorum quædam sint vera, &c.* Acidal.

Gargara proventu] Gargara cacumen montis Idæ, vel oppidum in Mysia. Vide Macrob. Saturn. V. 20. Virgil. Georg. I. 103. 'Nullo tantum se Mysia cultu Jactat: et ipsa suas mirantur Gargara messes.' Ovid. Art. Amand. I. 57. Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos, Æquore quot pisces, fronde leguntur aves.' *Puteanus.* *Gargara-Mevania.* Illa sunt mons Troadis fertilissimus. Virgil. Georg. I. 103. 'ipsa suas mirantur Gargara messes:' hæc, Mevania, Umbriæ oppidum cis Appenninum pascuis dives. Silius VIII. 457. 'latis Mevania pratis.' *Cellar.* Not. ad Ovid. Epist. Her. XVI. 107. et Delrio ad Senec. Phœn. vs. 608. *Arntzenius.*

Mevania memoratur armento] Mevania Umbriæ civitas, in qua armentorum maxima copia, quam 'tauriferam' vocat Lucan. lib. I. 'Et qui tauriferis ubi se Mevania campis Explicat.' Papin. Silv. lib. III. Columella. *Putean.* Inepte et contra omnem scripturam editum Balduino *Menavia*, geographis auctoribus, ut ait, at Ptolomæo ac Straboni Μηουανία est. Lucan. lib. I. Silius lib. VI. 'Ingentem pascens Mevania campum Dona Jovi.' Propert. IV. 1. 'Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo.' Paulo post *assurgat* ποιητικώτερον dixit, ut Virgil. Georg. II. 'Tmolus et assurgit quibus et rex ipse Phanæus.' *Livin.* De hac agit Lucan. lib. I. Stat. Silv. lib. III. et Columella, teste Puteano, quibus adde Virgil. Georg. II. Nam Clitumni greges et tauri hujus ipsius sunt Mevania. Servius: 'Clitumnus fluvius est in Mevania, quæ pars Umbriæ, partis Thusciæ.' Pomp. Sabinus: 'Clitumnus prope Mevaniam labitur, apud quem tauri pingues et candidi fiunt.' *Scheff.* In Mevania erant pascua pascendis pecoribus aptissima, quare recte addit *armento*. Serv. ad Virgil. Georg. II. 144. Silius IV. 546. Pluribus Barth. ad Stat. Silv. I. 4. 128. Huc pertinet Columella III. 8. 3. 'Mevania armentis sublimibus insignis est:' ubi Schœtgen. *Arntz.*

Censeatur monte Gaurano] Id est, laudetur, in pretio sit. Sic Ulpianus dixit, 'feras juris naturalis peritia censeri.' Sic Val. Maxim. V. 2. in fin. 'et sane amplissimæ et pretiosissimæ divitiæ sunt feliciter erogatis beneficiis tale posse censeri.' VI. 1. in princip. 'Te custode matronalis stola censetur.' l. VIII. c. 7. ubi de Pythagora. Item de Democrito: 'cum divitiis censeri possit.' Similiter infr. cap. XVII. 'amicitiæ laude censentur.' Claudian. 'nec laude virorum Cen-

seri contenta fuit.' *Putean.* Propter vinum, quod ibi provenit longe generosissimum, quodque cum Massico certare queat. Vide Plinium XIV. 6. *Scheff.*

Amne Pactolo] Notissimus propter aurum quod vehit. Vide Plin. XXXIII. 4. Solinum cap. 53. 'Vibium sequestrem.' *Scheff.*

§ 5 *Durissimos milites*] Florus lib. II. vocat 'bellatricem, armisque virisque nobilem Hispaniam, illam Annibalis eruditricem.' Claudianus de Laud. Serenæ: 'Quid dignum memorare tuis Hispania terris Vox humana valet?' Et mox: 'Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis Principibus, fœcunda piis, tibi secula debent Trajanum.' Paulo post: 'Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus Contulit Augustos: fruges, æraria, miles Undique conveniunt, totoque ex orbe leguntur: Hæc generat, qui cuncta regant.' In laudibus Honorii: 'et quæ diademata mundo Sparsit Ibera domus.' *Putean.* Quia, sicut ait Justinus, dura omnibus et adstricta parcimonia. De virtute porro militari Hispanorum præter Florum II. 6. Claudian. de Laud. Seren. Honorii, quos Puteanus laudat, etiam Livius XXVIII. 12. *Scheff.*

Experientissimos duces] Hæc in Trajani, Adriani, et paucorum aliorum respectu dicuntur. Nam alias, si credimus Justino XLIV. 2. 'in magna seculorum serie nullus illis magnus dux præter Viriatum fuit.' *Scheff.*

Facundissimos oratores] E quibus Fabius Quintilianus, Seneca, Gallio, &c. *Scheff.*

Clarissimos vates] Lucanum, Juvenalem, Sextilium Henam, Acilium Butam, Lucium, &c. *Idem.*

Judicum mater] Puto hic per 'judices' præfectos urbis intelligere, hoc est, eos, qui nomine Imperatoris, Romæ jus dicebant, ipsique præerant senatui. Certe Symmachus se passim 'judicem' adpellat, cum esset præfectus urbis. Vide imprimis Ep. X. 28. Adde et quæ ad Ep. II. 74. observat Juretus. *Idem.*

Parvi Jovis] Vide Apollod. Biblioth. lib. I. *Idem.*

Delos reptata numinibus] Apollini et Dianæ. Fabulam habes apud Hyginum LIII. et CXL. Adde Ælianum nostrum V. 4. *Idem.* Castore et Polluce. *Cellar.* Verius dixisset Apolline et Diana, unde Apollo *Deliacus* dictus. Dempst. ad Rosin. II. 7. Mentio ideo occurrit 'Apollinis genitoris aræ in Delo.' V. Junium Anim. I. 21. et Spanhem. ad Callim. in Delum, vs. 253. sed præcipue vs. 477. Et Barth. Advers. XXV. 22. *Arntz.*

Hercule] Vide Apollodori lib. II. ubi docet hunc Alcmenæ filium fuisse, de quo Plautus in Amphitruone. Fuerunt alioquin multi Hercules, ut vel ex uno Cicerone discas libr. de Nat. Deor. *Scheff.*

Thebæ] Celeberrimæ fuerunt cum aliis, tum præcipue ob Dionysium, Herculem, &c. Schmid. ad Pindar. Pyth. B. vs. 6. V. D. ad Justin. XI. 4. 5. Jonsenius Epist. de Spartis p. 214. et seqq. *Arntz.*

CAP. V. § 1 *Justæ compensationis*] Hoc secundum caput est laudationis, nempe a parentibus majoribusque, quos a virtute rerumque gestarum magnitudine commendat. *Scheff.*

Patris saltem virtutibus] Qui et ipse dictus fuit Theodosius. Cassiod. in Chron. Comesque fuit sub Imperatore Valente, a quo etiam propter nomen interfectus est, quemadmodum ex Freculphi IV. 19. et Hieronymi Chronicis intelligimus. Nicephorus II. 45. 'fuisse,' ait, 'virum magna militiæ gloria, ex Hispania, ubi claro loco natus fuerat, genus trahentem.' Male hic patruus Gratiani dicitur a Prospero in Chronico, si modo vera lectio, quam editio Basileensis nobis exhibet. Nam ego pro 'Gratianus post mortem patrui Theodosii Theodosium filium,' &c. legerem, 'p. m.

patrui Theodosium Theodosii filium.' Nisi quis trajectus sponte voces ab illo existimare velit. Aur. Victori pater Theodosii non est Theodosius, sed Honorius, quod notandum est. *Scheff.* Et ipse pater nomine Theodosius; cujus res gestas Ammianus narrat, in Valesii indice distincte notatas: qui aulicorum invidia Carthagine, quum baptizatus esset, fuit interfectus. Orosius VII. 33. Adde Vales. p. 579. ad Ammiani XXIX. 5. extr. *Cellar.* *Quid faciam?* usitatum hoc dubitandi quasi proverbium, ut recte jam monuit Cognatus in Erasmi proverb. p. 56. Burm. ad Ovid. Art. I. 631. Virgil. Ecl. I. 41. 'Quid facerem? neque servitio me exire licebat:' ubi recte Emmeness. et Barth. ad Stat. Theb. IX. 490. et Erasm. l. l. p. m. 55. *Arntz.*

§ 2 *Rhenus aut Vahalis*] Claudianus de rebus gestis patris Theodosii: 'Facta tui numerabat avi, quem litus adustæ Horrescit Libyæ, ratibusque impervia Thule: Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos Edomuit, Scotumque vago mucrone secutus Fregit Hyperboreas,' &c. *Putean.* Sic Parisiensis ex conjectura Livineii, ante legebatur *Vacalis.* Meus habet *Vachalis.* Ceterum de rebus hisce a parente Theodosii gestis videndus est Claudianus Cons. Honor. III. Freculphus IV. 19. *Scheff.* *Vachalis* prætulit Guelf. errore certissimo. Notissimus est Bataviæ fluvius, qui hodie idem nomen servat *Wael.* V. Tacit. Annal. XI. 6. Alting. Notit. Batav. p. 11. et aliis eo in libro locis. *Arntz.*

Prœliis Bataviam] In nostro cod. scriptum est, *attritam pedestribus prœliis Britanniam referam,* quod nomen recte hic locum habet. Quæ enim in Britannia gesserit Theodosii pater, de quo ibi loquitur Panegyristes, commemorat Ammianus lib. XXVII. et XXVIII. Hoc allusit etiam Claudianus de Consul. Honorii III. vs. 53. seqq. Illarum adèo rerum historia nihil commemorat de Batavis a Theodosii magni patre debellatis. *Schwarzius.* Ostendimus apud Pacatum c. 5. ex indicio cod. Mss. *Britanniam* legi debere, non *Bataviam.* Verior ratio est, quia Theodosii patris res in Britannia gestæ sunt celebratiores, et quia, quæ ad Bataviam referri possint, Pacatus jam in his verbis attigisse videtur, 'Quæ Rhenus aut Vahalis vidit, aggrediar?' Ergo posteriora verba sunt prætereunda. *Idem.*

§ 3 *Ad hoc tanti viri gesta, &c.*] Eadem in C. lectio nisi quod mox *quanti* exhibet pro *quam,* indubie nullo sensu. Optime V. B. *ad hoc tanti viri gesta præstet, &c.* *Ad hoc,* i. e. præterea. Auctor infra: 'Gemmis sericoque præbendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis,' &c. Frequens Plinio, Sexto Victori, aliis. *Livin.* Ad marg. *atque tam præstet* conjiciunt: nec id satis recte. L. *atque tanta gesta præstat in summa referre, quam enumerando, &c.* Acid. Mss. Danieli blandiebatur, *in summam,* et malim. *Gruter.* Burman. ad Ovid. Met. VI. 459. Drakenb. ad Liv. VI. 7. not. ad Plin. Paneg. c. XLVIII. § 4. *Arntz.*

§ 4 *Mos ille vixisset*] Similis locus apud Claudian. de Laud. Stilicon. III. 14. 'Ostentare suos prisco si more labores, Et gentes cuperet vulgo monstrare subactas, Certarent utroque pares a cardine Lauros; Hæc Alamannorum spoliis australibus, illa Ditior exuviis,' &c. *Putean.* Non damno; usitatius tamen erat *viguisset.* Acid. Mallem cum Acidalio *viguisset,* licet illud alterum etiam meus retineat. De re ipsa sciendum, temporibus Cæsarum, posteriorum maxime, cognomenta ista nemini data, nisi soli principi, aut imperaturo, cum antea quibuscunque bonis ducibus darentur. Hoc est quod apud Tac. Ann. I. 31. milites Germanici dicunt, 'In suum cognomentum adsciscí impera-

turos; quodque de Trajano scribit Plinius Paneg. c. IX. § 2. 'missum ei a Nerva in castra Germanici cognomentum.' Nimirum sicut aliarum rerum laudes in republ. ante omnia sibi princeps vindicare debet, ita maxime rei militaris, qua interest ipsius principis, ne quis major ipso censeatur, quoniam si secus fit, auctoritas ipsius facile vilescit. Nihil autem facilius principi, quam vindicare sibi laudes rerum earum, quæ a ducibus ipsius geruntur, propter auspicium quod habet, ducibusque suis communicat. *Scheffer.* Non mutandum in *viguisset*, cum 'vivere' dicuntur leges, quæ plenum obtinent vigorem. Pr. Institut. de perpet. et tempor. action. Supra pro *illum* Guelf. *illud.* Mox pro *nonne* in marg. Livineius conjecit *non*, vix video cui usui. Nam si ita præferrent codd. putarem *non* pro *nonne* exponendum esse, ut alii eo modo adhibuerunt. V. not. ad Plin. Paneg. cap. L. § 4. et cap. XLIX. § 4. et alibi in eodem Panegyrico. *Arntz.*

Nonne hodie pauciora] Male divulsa hæc a superioribus integra interpunctione. Tu sic committe; *insigne sumebant: nonne hodie.* Nec te turbet *an* præmissum, et subillatum *nonne.* Acidal.

Cognomenta] Romani honestiores fere tria habuerunt nomina, quare id, quod tertio loco ponebatur, cognomen habebatur. Aliquando quartum adcedebat, quod præcipue imponebatur ex populo, vel aliqua urbe clariore devicta, ut a 'Creta,' 'Creticus,' a 'Macedonia,' 'Macedonicus.' Freinsh. ad Flor. I. 11. 9. et Duker. ad eund. III. 7. fin. Costa in pr. Instit. Procem. p. 2. Quamvis reperiamus 'cognomen' abusive pro agnomine adhiberi, ut h. l. Plura Cort. ad Sallust. Jug. V. § 4. et Celeberr. C. H. Trotzius Memor. Propag. cap. I. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *De te æstimemus*] Hæc enim reciproca quasi conjectatio est, parentum ex liberis, et liberorum ex parentibus, quoniam filii paternos ferme mores referunt. 'Est in juvencis, est in equis patrum Virtus.' Elegans est locus hac de re Juliani in Misopog. pag. 348. ed. Spanh. cujus verba hic adscribam: "Ωσπερ ἐν τοῖς φυτοῖς εἰκός ἐστι διαδίδοσθαι μέχρι πολλοῦ τὰς ποιότητας, ἴσως δὲ καὶ ἐπίπαν ὁμοίας τὰ μετὰ ταῦτα τοῖς ἐξ ὧν ἐβλάστησε φύεσθαι· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων εἶναι εἰκὸς παραπλήσια τὰ ἤθη τῶν ἀπογόνων τοῖς προγόνοις. *Quemadmodum in plantis verisimile est diffundi qualitates quam latissime, ac fortasse etiam in totum similia nasci ea, quæ gignuntur, iis unde orta sunt: sic etiam in hominibus credibile est nepotum mores avitis affines esse.* Scheff.

Cum duo sint] Nam, ut inquit Euriphanus Pythagoricus, 'Ενίκασι ὁ στραταγὸς, καὶ σὺν τ' ἀρετᾷ καὶ σὺν τ' εὐτυχίᾳ. *Vincit Imperator et fortuna et virtute.* V. Lipsii Pol. V. 15. 35. Hinc Cicero pro Lege Manil. cap. 16. 'Ego sic existimo magnis Imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata.' *Idem.*

Virtus] Hoc inprimis in viro principe prædicabatur: unde illud Ciceronis Fam. X. 3. 'Omnia summa consecutus virtute duce, comite fortuna.' Livius X. 36. 'Virtus non solum consulem, sed et fors adjuvit:' ubi consule Drakenb. Ammian. Marcell. XIV. 6. 'virtus convenit atque fortuna:' ubi Lindenbrog. cum Fabro Semest. I. 19. alia res est, quibus, ut ait Tacit. Histor. II. 82. 'Fortuna pro virtute esset.' *Arntz.*

Scire obvium est qua fuerit] Deest alterum membrum quod in C. repperi: *Scire obvium est qua præditus fuerit virtute qui te docuit, qua fuerit felicitate præd. &c. Qui te docuit,* hoc est, cui rudimenta, et scientiam debes rei bellicæ, i. e. pater. Infra cap. VIII. fin. 'Tu ita fortiter multa

gessisti, ut ea non tantum Alexander, aut Africanus, aut Hannibal videre dum discerent, sed parentes atque institutores eorum optassent facere, dum docerent.' *Livin.*

§ 2 *Ejus esse filium Principem*] *Filium Principum* corruptissime. Ad marg. conjiciunt, *ejus esse filium Principis qui.* Obscure imo plane contra auctoris mentem. Non enim filium a patre commendat, sed contra a filio patrem. Leg. ergo, *ejus esse filii patrem, qui Princeps esse debuerit, qui nunc Rom. &c.* Acid. Ita meus. Ante legebatur, *ejus esses filium Principem esse:* ex quo Stephanus faciebat, *ejus esse filium Principis qui*, quod obscurum dixit Acidalius, ideoque emendavit, *ejus esse filii patrem qui Princeps.* Videtur tamen Stephanus in animo habuisse illam lectionem, quæ auctoritate nostri cod. firmata est. *Scheff.*

Humani] Nescio cur rejiciatur scriptura aliorum codd. inter quos cod. Guelf. et consensus Barthii ad Claud. in Nupt. Honor. p. 774. qui censuit ita scribendum ex optimis libris. Confirmat Florus Proœm. I. § 2. 'Humani generis fata,' ubi V. D. ita 'orbis terrarum' pro imperio Romano. Sueton. Cæs. cap. 7. et 61. Petron. cap. 119. *Arntz.*

Decore etiam] Illud *etiam* displicuit cod. Guelf. et ut videtur jure. V. Drakenborch. ad Livium II. 5. 1. Manut. ad Cicer. Fam. I. 6. Juvat hanc scripturam ipse Pacatus infra cap. XVI. § 2. 'Non solum intra curiam vocasti, sed indutum purpura,' &c. Cort. ad Sall. Jug. XIV. 23. Periz. ad Val. Max. III. 3. ext. 4. et nos ad Plin. Paneg. cap. VIII. § 1. et cap. IX. § 1. *Idem.*

Velut tua hæc forma] Eumen. in Constant. cap. XVI. 'Sed tuum te magis nomen, tua de memoria patris auctoritas, tuæ ætatis gratia, tua denique ista venerabilis forma commendat.' Æmil. Probus in Dione: 'Habuit a natura multa bona, in his ingenium, docile, come, magnam corporis dignitatem, quæ non minimum commendatur.' Infra cap. VII. 'Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium.' Unde Lucianus: *τὸ δ' εὔτελες κάλλος, οἶμαι, τουτ' ἔστιν ὁπόταν ἐς τὸ αὐτὸ συνδράμῃ ψυχῆς ἀρετὴ, καὶ εὐμορφία σώματος.* *Putean.* Tertium laudationis caput, a forma habituque corporis egregio, in quo dignitatem potissimum majestatemque commendat. *Scheff.*

Fortunæ suæ par] Seneca pater Proœm. Controvers. de Cicerone: 'Potui et illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere.' *Livin.*

Commendat imperium] Ita sane, maxime apud vulgus, 'cui omnis in corporum majestate veneratio est;' ut cum Curtio loquamur VI. 5. Quare? quia illa tantum vulgus æstimat, quæ in sensus oculosque veniunt, reliquorum inscium et ignarum. Jam vero nihil est, quod magis oculos afficiat, quam decus et egregia forma, hoc est, in qua *μέγεθος, κάλλος, καὶ ἰσχὺ,* ut docet Arist. Rhet. I. 5. Atque hoc respectu Dius Pythagoricus apud Stobæum Serm. 64. de pulcritudine: *ἔχεν τὶ σεμνὸν καὶ θαυμασμῷ ἄξιον, reverendum et admiratione dignum quid continet.* Adde Athenæum lib. XIII. p. m. 566. *Scheff.*

Plane in ambiguo] Sic Eumenius in Constant. cap. XVII. 'Pulcrum enim et cœleste miraculum Imperator adolescens, in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter, et grata majestas perstringit simul et invitat aspectus.' *Putean.*

§ 3 *Augustissima*] Opinio veterum erat, credentium, quo quis pulcrior esset, eo propius adcedere ad Deos. Lamprid. Alex. Sever. cap. 33. et not. ad Plin. Pan. cap. IV. § 7. Stephan. ad Saxonem Grammat. Histor. Danic. lib. II. p. 67. Hinc est, quod anima fuerit habita 'rector corporis.'

Senec. de Benef. v. 25. Cortius ad Sallust. Jug. II. § 2. Supra pro *sapientium*, *sapientum* reperitur in Guelf. æque bene, cum utraque forma fuerit recepta. Vossius Analog. II. 14. Cortius ad Sallust. Jug. LXXXIX. § 5. et Catilin. LI. § 9. Cicero pro Archia cap. 6. Omisso *de* simpl. *cælo* legit Stephan. ad Saxonem Grammat. Histor. Danic. lib. II. p. 67. et Schulting. ad Senec. Suasor. IV. p. 36. *Arntz.*

Prius metatur hospitium] Gemina Eumenius in Constantin. 'Non frustra enim doctissimi viri dicunt Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator.' *Livin.* Verbum ex militia desumtum: ibi enim 'metatores hospitiorum,' et 'metata.' V. titul. Cod. de Metatis. 'Metari,' ait Nonius, 'parare: unde et hodie metatores.' Res ipsa ex philosophia Pythagoreorum est. Ex ipsorum enim sententia anima quæque dignum sibi eligit domicilium. V. Hieroclem in Aurea Carm. Pythag. *Scheff.* A castris ponendis deductam loquendi formulam recte monet quoque Gronov. ad Liv. VIII. 38. unde in castris Romanis notissimi sunt 'metatores.' Stewechius ad Vegetium de R. Milit. II. 7. Barthius ad Rutilium I. 345. et V. D. ad Virgilium Georgic. II. 274. *Arntz.*

Sive quum venerit] Leg. *seu quum;* debuerat enim dicere, *alterum ex altero crescit.* Verum non tam exacte suorum verborum discrimen attendunt hi scriptores, et utrumque proque altero alterum promiscue usurpant. *Acidal.*

Fingit habitaculum] Sententia Platonicorum, de qua consule Plotinum passim, et in eum commentaria Ficini. *Scheff.*

Aliud ex altero crescit] Uti tradit Aristoteles, qui ex materiæ potentia formam producit. *Idem.*

Rimari] Proprie erit per rimas aliquid arcanum speculari. Pric. ad Apul. Met. p. 171. Mamertin. Gratiar. Action. Julian. cap. XXIII. Barthius ad Statium Thebaid. VII. 761. Ouzelius ad Minuc. Felic. Octav. p. 67. Servius ad Virgilium Æn. XI. 748. *Arntz.*

§ 4 *Qui a gentibus*] Exemplo Antonini, de quo Victor: 'Adeo tremebant eum atque amabant cuncti reges nationesque et populi, ut parentem seu patronum magis quam Deum Imperatoremve reputarent, omnesque uno ore in cœlestium morem propitium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent.' Non enim adorationem illam adulatoriam hic intelligit, aut servilem, sed reverentiam, quam summis principibus nulli libentius præstant, quam qui virtutem ipsorum, eamque quæ re vera est in ipsis numinis supremi quandam veluti imaginem, quam divinitatem vulgo nominant, propius intelligunt, et ita præstant, ut ostendant, se in ipso principe virtutes singulari mortalium usui, et emolumento cœlitus concessas agnoscere, mirari, et ut summum Dei donum pie revereri. Ceterum in meo cod. præpositio, quæ est in aliis, non legitur. *Scheff.*

Privata vel publica vota] Scilicet a principe pendere publica omnium privataque singulorum felicitas putatur. Prout enim ipse cum 'consorte suo Deo,' ut noster supra loquebatur, egerit, prout pietate virtuteque gratiam illius, vitiisve iram promeruerit, ita feliciter aut secus evenire cuncta videntur. Itaque et illi navis Alexandrinæ de Augusto apud Sueton. cap. 98. 'Per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.' Pertinet huc formula Symmachi Ep. X. 31. 'Aderunt optatis cursibus plena navigia, et Romanos portus frequens atque onusta

classis intrabit, si adspiraverint numinis vestri secunda suffragia.' *Scheff.*

A quo petit] Nimium hoc ab homine exspectare: et tamen ita et olim Imperatores suos adulabantur. Augusto nautæ navis Alexandrinæ adclamabant, 'per illum se vivere; per illum navigare.' Suetonius c. 98. *Cellar.* *Serenum*, quod sequitur, notat serenitatem, tempus navigaturis adpetitum. Serv. ad Virgil. Æn. v. 851. Lucretius vi. 1099. Palladius de Re Rust. i. 30. 3. Salmasius ad Solinum Polyh. p. 74. et 297. Drakenborch. ad Silium xii. 4. Burman. ad Valerium Flacc. i. 332. 'nostris ingrata serenia.' Seneca Hippol. vs. 674. *Arntz.*

Cap. vii. § 1 *Eam in laudum*] Franc. Balduinus *ea in laudum tuarum* edidit: mihi liquet sincerum esse, *ea a me in laudum tuar.* Infra quod de ætate consulari, prætoria, ædilitia, ait (addo a me et quæstoria) Paulus Manutius aliique nonnulli serio, et cum cura tractarunt, quos non exscribo. *Livin.* Leg. *ea*, imo potius, *etiam.* Acidal. Idem Daniel nec non Bongarsius demtam volebant literam voci *solebant*, ut fieret *solebat*, nisi legamus *sed patere eam*, et sane alterutrum admittendum est. *Grut.* Balduinus hic conjectat *ea*: Livineius *ea a me.* Acidalius *etiam*, Gruterus pro *solebant* scribit *solebat.* Meus palam præfert *ea*, ita enim habet, *sed patere ea in laudium t. p. c. &c. laudium* dixit etiam Sidonius Carm. xxxiii. 'Hoc centesima laudium tuarum est.' *Scheff.* Libenter adcederem scripturæ cod. Guelf. *ea*: quæ minime damnanda, cum fraudem fecerit ignorantibus librariis, quod præcessit, *gloriam.* Aliter vero sentiebant Veteres. Horatius Od. iv. 4. 36. 'Dedecorant bene nata culpæ.' Burman. ad Quinctil. Declam. i. 6. Taubman. ad Plaut. Amphit. i. 3. 39. *Arntz.*

Sola laudari] Quemadmodum in Maximino, quem res nulla in tantum fastigium evexit, quam proceritas et robur corporis. Sed et in juniore Maximino sola pulcritudo formæ laudata est. *Scheff.*

Hæc ut deceret] Nam ut ait quidam apud Athenæum lib. xiii. τὸ κάλλος βασιλείας οἰκεῖον ἐστιν. *Pulcritudo regno maxime convenit.* Idem.

§ 2 *An vero quidquam*] Hoc quartum est laudationis membrum, ab ætate imperio matura, nec vitiis amplius obnoxia. *Idem.*

Valuerit nobilitate] Quæ fere alias excipere adversus leges consueverunt. Ceterum notandum de his solis hic sermonem esse. Alioquin novimus ob magna in rempubl. merita virtutesque singulares etiam ante tempus datos honores. De Corvino Eutropius lib. ii. 'Propter hoc meritum annorum trium et viginti consul est factus.' Nominat quoque Cicero Rullum, Decium, Africanum, T. Flaminium, qui 'admodum adolescentes' consules facti sunt, in orat. Philip. v. *Idem.*

Comitiali lege] Annalem capio, quæ lata ab L. Villio, trib. plebi, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. Unde familiæ cognomen inditum, ut Annales adpellarentur. Auctor Livius lib. xl. *Livin.* Hanc 'Annalem' vocat Cicer. Philip. v. Festus v. 'Annariam,' quoniam continebat certum numerum annorum, quem explevisse quisque debuerat, antequam capessere hunc illumve magistratum posset. De hac lege V. P. Manutium, Anton. Augustinum, Hottomannum, aliosque, qui de LL. Romanis scripserunt. *Scheff.* Spectat ad id, quod honoribus gerendis certus annorum numerus esset præstitutus, quæ lex 'Comitialis' dicebatur. Maximus Cujacius Observ. xxi. 32. et Drakenb. ad Livium xl. 44. Ideoque is annus, quo aliquem

magistratum petere jure possent, dicebatur 'suus annus.' Abramus ad Cicer. pro Milon. c. 9. *Arntz.*

§ 3 *Ut non cadant*] 'Ipsa enim natura profudit adolescentiæ cupiditates,' Cicero pro M. Cœlio: et paulo post: 'Ipsa natura multas vias adolescentiæ lubricas ostendit, quibus illa insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix possit.' Hinc Darius apud Curtium IV. 5. ad Alexandrum, 'nihil,' ait, 'esse difficilius quam in juvenili ætate magnam capere fortunam.' Et in Pisone laudat Galba 'illam ætatem, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit.' Tacit. Histor. I. 15. *Scheff.* V. et Isidor. Orig. lib. X. pag. 1079. *Arntzen.*

§ 4 *Clarissimos nominis R. viros*] Cicero pro M. Cœlio: 'Multi et nostra et patrum majorumque memoria summi homines, et clarissimi cives fuerunt, quorum cum adolescentiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutes, firmata jam ætate, exstiterunt.' *Scheff.* 'Clarissimi' dicebantur consules et senatores V. D. ad Plinium Epist. VII. 33. et 'Clarissimus ordo.' Clarius Prudentius in Symmach. I. 490. 'Ipse senatorum meminit clarissimus ordo.' Nemesian. Cyneg. vs. 81. 'Augustos habitus, Romam, clarumque senatum:' ubi Burman. Casaubon. ad Vopiscum Aurel. cap. XIX. Ita capimus Horatium Od. IV. 6. 31. 'Puerique claris Patribus orti.' Et præcipue quidem dicuntur 'Clarissimi' hi viri, quia summos in republ. Romana gesserant honores. V. Drakenborch. ad Livium XXXIV. 4. 20. *Arntz.*

Syllas, Catulos] *Illos Catulos* tetigit mihi aurem, quod in V. offendi. (*Si illos Catulos, &c.*) ac sub manu *Syllas, Catulos, &c.* emendabam. Quod diserte L. C. post firmarunt. Tu adi, lector, Valer. Maxim. VI. 9. Asscribam et Ciceronis pro M. Cœlio c. 12. locum: 'Equidem multos et vidi in hac civitate, et audivi, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitæ, et extremis (ut dicitur) digitis adtigissent, sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedidissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam recepisse, gravesque homines atque illustres fuisse.' *Livin.* Audiendi duo codd. unus typis vulgatus, alter exaratus calamo, *Syllas, Catulos, &c.* Grut. *Syllas*, quippe qui cum scurris histrionibusque vivere, crebroque potare consuevit. Vide Plutarch. in ipsius vita, ubi et libidines illius juveniles commemorat. *Scheff.*

Scipiones] Consule Valer. Maxim. VI. 9. *Idem.*

§ 5 *Soli in homine perfecti*] Perfectos annos nominat, quemadmodum Terentius in Andria, 'ætatem integram:' quibus nihil addi ad vigorem, nihil demi potest. Nam si addideris seniles habebis, si deduxeris juveniles, i. e. aut immaturos, aut ad finem inclinantes. *Scheff.*

Virtute juvenum] Hoc est, robore, fortitudine, promptitudineque. *Idem.*

§ 6 *Sine exempli periculo providebatur*] *Providebitur.* Confusum hoc et intricatum. Expedio distinctionibus: *Sed sine exempli periculo providebatur. Ne quid amiseris vita longiore pensand.* Vocibus *exempli periculo* respicit ad superiorem sententiam istam: 'nam et qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico, ut non cadant, titubant.' Nisi forte quædam desunt, ad hoc exemplum: *Sed sine exempli periculo non potueris. Et providebitur ne quid amiseris. Vita longiore pensandum quod ex præterito, &c.* Acid. Locus integer, quique nullam Acidalii medicinam desiderat. Sensus est: Providebitur sine periculo exempli, quod alioquin metuendum fuit, si citius venisses ad imperium. Quid providebitur? ne quid amiseris ex eo tempore, quo ante imperare

debuisses. Quomodo? si quod ex præterito privatus perdidisti longiore vita, adeoque et imperio compensetur. *Exempli periculum* appellat, quod subire forsan respubl. coacta fuisset sub alio principe, minime tali, quale fuit Theodosii, ingenio, si ad illius exemplum ætate nondum matura ad imperium fuisset electus. *Scheff.* *Sine exempli periculo providebitur*. Arguta est hæc lectio neque temere solicitanda; quamvis nesciam, quid hic tentaverit Acidalius. Laudat Pacatus Theodosium, quod non immatura ætate, nec contra omnes leges annales veterum, susceperit imperium, et quamvis citius ad id fastigium evehi debuerit, ut diutius imperaret, et bene de imperio Romano mereretur; ex Dei tamen providentia, sine metu quidem et periculo exempli legum annalium nimis violatarum, futurum esse ait, ut quantacunque illa mora, eo longiore vita, perenniore imperio compensetur. Sic, ut opinamur, sententia Pacati sibi constabit. Non tamen possumus, quin levem variationem cod. nostri hoc quoque loco exhibeamus: *Prius fortasse imperium inire debuisti, ut diutius imperares; sed sine exempli judicio* (f. *indicio*) *providebitur, ne quid amiseris, &c.* Quid enim, si putemus, nomen *judicio* hic dictum scriptumve esse pro *præjudicio?* Tunc eadem quidem Pacati sententia maneret, sed forte paullo facilius caperetur. Imo quid, si pro *judicio*, *indicio* legi debere existimemus, quasi dixerit Pacatus: Quamvis serius pro meritis suis ad imperium pervenerit Theodosius; sine omnis tamen similis exempli *indicio*, et vestigio a Deo provisum iri, ut is quam diutissime imperet, ejusque imperium finem terminumque non habeat, adeoque mora illa largissime compensetur? Non vero insolens fuit, Imperatoribus æternum imperium ominari, adprecarique. *Schwarz.* *Judicio* quoque præfert Guelf. pro *periculo*. Sed periculum in eo erat, quod ante annos legibus statutos ad imperium pervenisset. *Arntz.*

Terminum non habebit] Intellige scilicet 'imperium.' At mihi generalis esse sententia videtur, immittendumque *quod terminum n. h.* Acidal. Ita ominis causa locutum puto. Et usitatum fuit bonis principibus æterna imperia adprecari. Observo ex Julii Firmici lib. I. cap. ult. ubi ad Comites de Constantino et ejus filiis: 'Perpetua eis imperia decernite, facite etiam nostris posteris, posterorum nostrorum posteris infinitis seculorum continuationibus imperare.' Adde quæ notavimus ad Ælian. I. 31. Nempe nemo satis diu imperat, qui bene imperat, etiam cum diu imperat. Hinc de Antonino Pio Julius Capitolinus: 'Periit anno septuagesimo, sed quasi adolescens desideratus est.' *Scheff.*

CAP. VIII. § 1 *Hactenus*] Sequitur nunc quinta pars laudationis: a rudimentis militaribus, in quibus maxime laborum patientiam commendat. *Scheff.*

Proferamus] Guelferb. *properamus.* Virgil. Æn. IV. 641. 'illa gradum studio celebrabat anili.' Senec. Agamem vs. 388. sed idem cod. inverso ordine legit, *ad ea nunc proper.* Arntzenius.

Quæ tibi debes] Recte: nam ut ait Marius apud Sallustium, 'Virtus sola neque datur dono, neque accipitur.' Pro se quisque curam adhibere cogitur, qui nancisci eam volet. *Scheff.*

§ 2 *Tristiores*] 'Tristes' proprie dicuntur patres, qui in liberos severiori auctoritate utuntur. Serv. ad Virgil. Æn. VI. 315. Barth. ad Stat. Thebaid. VII. 51. Pricæus ad Matth. VI. 16. Ideo recte præcesserat, 'severi patres.' Adde Broukhus. ad Tibull. III. 3. 35. Tacit. Histor. I. 14. Unde adparet male vocem *patres* omittere Guelf. *Arntz.*

Difficillimis reipubl. temporibus] Ele-

ganter. Ita enim principes futuri ad ferendam gravem imperii molem pulcre præparantur. Pleni exemplorum omnes sunt historicorum libri, e quibus unum Alexandrum nominasse hic suffecerit, cui quantum ad scientiam bellandi rudimenta sub Philippo profuerint, dici vix potest. *Scheff.*

§ 3 *Ævi maturus*] Virgilius: 'ævi maturus Acestes:' sic Nazarius Panegyr. Constant. cap. XVI. 'Tu, Imperator optime, inito Principatu adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio,' &c. *Putean.*

Sub pellibus hiemes] Claudianus: 'quoties sub pellibus egit Ædonas hiemes, et tardi flabra Bootæ Sub Divo Riphæa tulit.' *Idem.* 'Pelles,' tentoria ex pellibus confecta. Flor. I. 8. 'Tunc primum hiematum sub pellibus.' Tacitus Annal. XIII. 35. 'Retentus omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa, humus tentoriis locum non præberet.' *Cellar.* Pellium usus apud antiquos fuit varius, cum omnibus fere necessariis adhiberentur: qua de re conferri meretur Cl. Fabricius de Orig. Sacr. p. 35. ad p. 42. Inter ea non minimi usus erant in re militari, cum ex iis conficerentur tentoria, ut milites hieme, et immodicis tempestatibus sub iis tuti durare possent. Tacitus Annal. XIV. 38. Vide quæ notat Dukerus ad Florum I. 12. post Lipsium de Milit. Rom. lib. V. Dial. 1. Stewech. ad Vegetium de Re Militar. I. 3. *Arntz.*

§ 4 *Paullo patre*] Æmilio Paullo, qui filium Scipioni, Africani majoris filio, adoptandum dedit; qui Africanus minor est, sive Æmilianus. *Cellar.*

In tentoria Hispana] *Hispana* pro *Hispania*, quod omnino nihili est, rescripsi ex auctore ipso, ut mox ostendam, et de librorum omnium consensu, C. excepto, in quo *Hispanica* est. Sed et *in* deleam ex V. B. Infra, 'vix tecta Hispana successeras.' Et 'murum succedere' apud Tacitum legas. *Livin.* Sine deleto *in*, Sed vox *Hispana* magis mihi suspecta. Nomen latet alicujus, sub quo rudimentum militiæ posuerit Hannibal, quem nunc sane non novi. Parens ejus quidem ille non est, sed aliquis alius. Nam infra de *institutore* dicit, quod ad nullum accommodes, nisi ad Hannibalem. Africano enim et Alexandro sui parentes doctores. *Acidal.* Meus præpositionem non agnoscit, quod in suis Livineius quoque Acidaliusque observarunt. *Scheffer.* Præpositionem delet Guelf. cum rectius editi eam servent. Consule V. D. ad Sulpit. Sever. Hist. Sacr. II. 15. Livium XXXI. 45. Cortium ad Sallust. Jug. cap. LXVII. 4. et Fragm. Histor. lib. VI. p. 1008. Uterque casus dativus et accus. huic verbo ea notione additur. V. D. ad Virgil. Æn. I. 627. Pluribus Burman. ad Quinctil. Declam. XXIX. et Oudend. ad Cæsar. B. G. II. 6. Quod hic *Hispana* pro *Hispania* voluit Livineius, male id quidem, sed de ea forma conf. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 362. Duker. ad Flor. II. 5. 1. et quæ diximus ad Victor. Vir. Illustr. cap. LXXXII. *Arntz.*

Inplevit] I. e. satisfecit iis muneribus, ei exspectationi. Simili modo Statius Theb. IX. 721. 'arcumque inplere valebas.' Nec aliter Ovidius ex Pont. II. 3. 1. 'qui claris nomen virtutibus inples:' ubi Heins. Symmachus Epist. VII. 13. 'partes amantis inplevi.' Burman. ad Quinctil. Declam. CCLXXIX. Cortius ad Plinium Epist. VIII. 13. Savaro ad Sidonium Epist. VII. 15. Ad eumdem modum 'inplere aures' dixit Curtius IV. 12. 20. *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Consilia fortunæ*] Eleganti hac sententia viam sibi aperit ad partem sextam laudis, quam desumit ab operibus pacis. 'Fortunam' vocat, quam nos 'providen-

tiam' diceremus, cujus fere semper consilia non intelliguntur ante, quam evenerunt. *Scheffer.*

Inimicum tuum] Hoc est, adversum, noxium, damnosum, quia nemo fuit cujus ope tam bene commoda reipubl. in bello promoveri potuerunt. Sic 'inimica consilia' dixit Nepos in Pausania cap. 3. 'Consilia cum patriæ tum sibi inimica capiebat.' Velleius II. 78. 'Otium rem inimicissimam disciplinæ.' *Idem.* Jo. Schefferus interpretatur adversum, noxium, damnosum, intellige publicis rebus. Respicit tempus, quod a nece patris ad principatum fuit, quem Gratianus dedit. Interea enim privatus Theodosius in Hispania vixerat. *Cellar.*

Ad quietem receptum] I. e. ἀναχώρησιν. Qua notatione tritum 'receptui canere.' *Livin.*

§ 2 *Principem comens*] Lepidam hanc ait esse metaphoram Gruterus, a se in Suspicionum libellis palam factam, ideoque non sollicitandam. Verum Acidalius malebat *commentans*. Scheff. Guelf. habet *comes*, quod aperte falsum. Etenim 'comere' et 'comtus' de virtutibus adhiberi optimo et naturali sensu consuevit. Barth. ad Stat. Achill. I. 343. Taubm. ad Plautum Stich. V. 4. 19. Adde Victor. Cæsar. cap. XL. § 14. ad alteram scripturam. *Arntz.*

Sub otii] *Sub* hic idem erit quod 'in tempore pacis:' ut bene Schulting. ad Senec. Suasor. VII. p. 46. Senec. de Benef. VII. 19. Drakenb. ad Silium III. 66. Duker. ad Flor. II. 15. 7. *Idem.*

Aliorum negotiis] De quibus egregie disserens videndus est Seneca de Brevit. Vitæ cap. 12. qui rem tandem sic concludit, ut tales 'non otium, sed iners negotium' habere dicat. *Scheff.*

§ 3 *Amœna litora*] Qualia Baiana, et Formiana. Vide Senecam Epist. 51. Hinc illud Symmachi Epist. V. 41. 'Grave est sub auribus judicis Baiarum appetentiam confiteri.' Et convitium istud, quod exstat Epist. VI. 20. ubi quendam 'Baiani litoris persultorem' appellat. Adde quæ a nobis scripta sunt in libris de Militia Navali I. 1. *Idem.*

Ad temporum vices] Æstivos hybernosque puto intelligere, quemadmodum in ipsis villis alia conclavia hyberna, alia æstiva habuere. V. Plin. Epist. V. 6. *Idem.* Quod dicunt ὥρας. Vid. Anacreon. Carm. XVIII. Perizon. ad Ælian. Var. II. 17. III. 1. Muncker. ad Antonin. Liberal. Metam. c. 41. Berkel. ad eund. c. 12. p. 261. Inde Latini transtulerunt. Valer. Max. IV. 6. ext. 3. Savaro ad Sidonium I. 7. Mox pro *oppidis*, Guelf. *opibus*, quod quidem male, sed inde clarius patere videtur, veram scripturam hujus vocis esse per unum *p*. Dausq. Orthograph. part. II. p. 221. Cum jungat 'rem' et 'famam' idem facit quod infra cap. XXVII. § 5. 'Rei et famæ bene consulit.' Adeoque frustra conjiceremus *spem*. Arntz.

Rem et famam] *Rem*, intellige, non quæstu aut lucris, sed beneficiis quæ mox recensentur. Atque ita res futuri principis augetur, quoniam quo majora tribuit beneficia, hoc plures sibi devincit. Nec aliud honestius in principe lucrandi genus, quam quod per beneficia exercetur. *Scheff.* *Rem*, non quæstu, sed beneficiis quæ statim recenset: unde fama et gloria. *Cellar.*

§ 4 *Oppida rure mutare*] Ποιητικώτερον, et quod non temere in hac scriptione usurpes. Horat. Od. I. 17. 1. 'Velox amœnum sæpe Lucretilem Mutat Lycæo Faunus.' Iterum Od. I. 29. 14. 'Libros Panæti, Socraticam et domum Mutare loricis Iberis.' Alii passim. *Livin.* Recreandi causa ex urbe secedere solebant in rus. Plura dedimus ad Plin. Paneg. cap. LVI. § 4. *Arntz.*

Aliqua te laborum] An sic dictum ut *lata camporum*, et similia, quæ alibi colligimus? Probarem, sed in C. est *aliqua re laborem, &c.* unde corrigam, *aliqua te re laborem, &c.* Mox *cujuscemodi* nescio an non *cujusquemodi* præstet. Macrobius Saturn. I. 7. 'Saturno insertiones surculorum, pomorumque educationes, et cujusquemodi fertilium tribuunt disciplinam:' sic enim lego, non *ejuscemodi.* Livin. Sicut fecit Antoninus Pius, de quo Capitolinus. Vide et quæ scripsimus ad Æliani VII. 5. In verbis ipsis Livineius scribit, *aliqua te re laborem.* Meus uti veterem scripturam retinet, ita post *tibi*, valde emphatice addit, *ipsi.* Quod videtur necessarium, quum sermo sit de viro tanto, quem ipsum suis manibus tractare ligonem insolens videbatur. *Scheff.* Noster cod. sic profert: *Audio etiam, Imperator, et credo, sæpe aliqua te laborum tibi ipsi injunxisse, et ne contraheres torporis veternum, ejuscemodi semper opere insidiantis otii tersisse originem.* Pronomini *tibi* ἐμφατικῶς additur *ipsi.* Mirum enim erat, ipsum Imperatorem, quasi agricolarum laboribus exerceri voluisse. *Aliqua laborum* per Græcismum dicitur pro 'aliquos labores:' haud secus, ac 'ardua montium,' 'lubrica vallium,' 'amara curarum,' 'strata viarum,' 'sæva ventorum,' et longe plura. Neque adeo necesse est, ut cum Livineio scribendum putemus, *aliqua te re laborem tibi injunxisse.* An vocabulum *torporis*, pro *corporis* sit recipiendum, dubito. *Torporis veternus* per pleonasmum diceretur, eumque a Panegyristæ nostri dicendi genere non prorsus alienum. Sic cognata conjungit Virgilius Georg. I. 124. 'Nec torpere gravi passus sua regna veterno.' Probe autem in loco proposito, *ejuscemodi* scribitur pro *cujuscemodi*, aut, uti Livineius legi voluit, pro *cujusquemodi.* Pacatus enim sigillatim respicit opus et laborem agricolarum, de quo proxime disseruerat. *Schwarz.* Respicit ad propriam hujus vocis notionem, quæ est de opere rustico. Nam Græcos imitati Latini *laborem* simpliciter dixerunt *opus rusticum.* Servius ad Virgilium Æn. II. 306. Græci dicunt ἔργα. Heinsius ad Epistol. II. Petri cap. III. 10. et nemini non nota sunt Hesiodi ἔργα. *Arntz.*

Veternum] Dudum de hac phrasi egerunt Comment. ad Cicer. de Nat. Deor. II. 50. et ad Ovidium Amor. III. 7. 35. V. Justin. VI. 9. 3. 'in torporem resoluti.' Inde 'torpescere' dicuntur, qui in æstu corrumpuntur, qui nihil agendo se marcescere sinunt. Catullus Epigr. XVII. 'Si pote stolidum repente excitare veternum.' Victorius Var. Lection. XIII. 11. Spiegelius Interpret. ad Prudentium p. 253. Barth. ad Statium Theb. VI. 94. Cortius ad Sallust. Jugurth. cap. XI. in fin. Schulting. ad Senecam lib. I. Contr. p. 58. Tacitus Histor. I. 71. Nonius III. n. 250. quare 'turpe veternum' dicit Rutilius Itiner. I. 391. Corrad. ad Ciceron. Famil. II. 13. et VIII. 6. *Idem.*

Insidiantis otii] Pulcre, et in respectu ingenii militaris, quod fere impatiens ejusmodi laborum. De Germanis, bellicosa gente, Tacit. German. c. 15. 'Fortissimus quisque, ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus cura infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent.' Et Seneca de Ira I. 2. 'Armorum unica illis cura est, in alia negligentibus.' Ælianus X. 14. idem de Indis, Persisque testatur, quem vide. *Scheff.*

§ 5 *Agrestes Curii*] Vide Ciceronem in Catone, et pro Rosc. Amer. Valer. Maxim. IV. 4. Plinium XVIII. 3. Columell. I. in Præfat. Senecam Consol. ad Helv. *Putean.* M. Curius Dentatus, de cujus abstinentia Aurelius Victor, in Illustr. c. 33. *Cellar.* Non enim puduit Romanos Principes agris colendis operam dare, quod sequentibus temporibus servis fuit com-

missum. Barthius ad Claudianum Cons. Manl. vs. 8. et Cons. Honor. IV. vs. 448. *Arntz.*

Coruncani] T. Coruncanius, primus ex plebeiis Pontifex M. de quo Liv. Epit. XVIII. et Cicero pro Domo cap. 54. et Velleius II. 28. Idem Cos. et triumphalis ut in Fastis est. *Cellar.*

Nomina] Ita hoc substantivum quasi per adpositionem accipitur, ut circumscriptioni inserviat. Scal. ad Tib. III. 4. 61. Heins. ad Ovid. Her. XVII. 60. et ad Silium XIV. 70. V. D. ad Phædr. V. 5. 42. *Arntz.*

Fabricii] Eutropius II. 7. et 8. *Cellar.*

In gremio Jovis laureis] Dixi ad Plin. Paneg. cap. VIII. *Idem.* Post reportatum enim triumphum coronam lauream Jovi consecrare, et eam in ipsius gremium deponere moris erat. Insignis est locus Plinii Paneg. cap. VIII. § 3. 'Adlata erat ex Pannonia laurea, . . . Hanc Nerva in gremio Jovis collocarat:' ubi plura dixi. Dempst. ad Rosin. X. 29. Optime ad illustrationem hujus loci facit Sidonius Epist. VIII. 8. ubi cum præmisisset illa magna nomina, subdit, 'parce rusticari.' V. ibid. Savar. *Arntz.*

§ 6 *Datos serentibus fasces*] Quintio Cincinnato. Flor. I. 11. Eutropius I. 15. *Cellar.*

Cum curulibus suis] Forte legendum *sellis*; ut Mamertin. Paneg. Maxim. cap. III. 'Trabeæ vestræ triumphales, et fasces, consulares et sellæ curules.' Idem Gratiar. Action. pro Consul. cap. XXI. 'Otioso tibi atque alia curanti fasces, sella curulis, atque insignia omnia magistratuum differrentur.' *Putean.* Non male suspicatur Daniel *suis* reformandum in *sellis*. Sed enim cum abstracte etiam ponat *palmatas*, vix est, ut *sellis* heic reponendum fuerit, conjectura tamen valde est ingeniosa. *Gruter.*

Inter armenta vestitos] Nimis generale. Leg. *quæsitos*, i. e. adquisitos, adscitos. Induxit eos, qui mutarunt, vox *trabeatos*. Similis locus Manilii lib. IV. Claudianus Paneg. in Cons. Manlii Theodori: 'in mediis consul quæsitus aratris.' *Acidal.*

§ 7 *Addicebat labori, ut quibus ipsis*] Pro *ipsis* frigidius habet Gnelf. *ipsi*. Ea autem vocula singularem vim habet, cum κατ' ἐξοχὴν ponatur. Gebhard. Crepund. I. 9. Not. ad Juvenal. Sat. I. 60. et ad Ovid. Trist. V. 1. 45. *Arntz.*

Injuria] Pro *injuria* Barthius ad Claudianum in Cons. Manlii vs. 8. scribit *incuria*. 'Cura' proprie spectat ad agros, quod quo majori cura excoluntur, eo largiores ferant fructus. Plautus Rud. I. 2. 58. 'Tritico curat Ceres.' Hinc utraque potest ferri scriptura, cum nemo facile dixerit, quid orator scripserit. *Idem.*

CAP. X. § 1 *Gaudent profecto*] Sic Mamertin. Genethliac. Maxim. cap. II. 'Siquidem vos Diis esse genitos et numinibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus approbatis, quarum infatigabiles motus et impetus ipsa vis divinitatis exercet.' Et Idem cap. III. 'Profecto enim non patitur hoc cœlestis ille generis conditor: nam primum omnium quidquid immortale est stare nescit, sempiternoque motu se servat æternitas.' Sic incertus Auctor Constantino: 'Quisnam iste est tam continuus ardor, quæ divinitas perpetuo vigens motu?' Senec. Consol. ad Helv. cap. 6. 'Mobilis enim et inquieta mens homini data est: nunquam se tenet, spargitur et cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga et quietis impatiens, et novitate rerum lætissima, quod non miraberis, si propriam ejus originem spectaveris, non ex terreno et gravi concreta corpore, ex illo cœlesti spiritu descendit: cœlestium enim natura semper in motu est.' *Putean.* Maximus Tyrius Dissert. V. οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς σχολὴν ἄγει. *Ne quidem ipse Jupiter ociatur.* Scheff.

Vestra natura est] V. C. *nostra*. Balduinus reposuit *illius natura est*. At illud *vestra* commode ad Imperatorem referri potest. Conferri autem debet iste locus cum altero loco Panegyrici dicti Constantino cap. XXII. init. 'Quisnam iste est tam continuus ardor, quæ divinitas perpetuo vigens motu?' Et Mamert. Genethliac. cap. III. 'Quidquid immortale est stare nescit,' &c. *Juret*. *Vestra*, h. e. Deorum, in quis et tu, Imperator. Franc. Balduino temere et contra libros vulgatum, *illius nat*. *Livin*. Ideoque fit etiam sine labore, sine molestia. Intelligit autem heroës, quibus propria est hæc agilitas celeritasque. Vide quæ de hac re observavit vir amplissimus, mihique conjunctissimus J. Henr. Bœclerus in Charact. Velleianis. *Scheff*.

§ 2 *Emerita arma suspenderas*] Ita enim consueverant, uti passim observamus ex Pausania et aliis. Credo natum inde morem suspendendi etiam hodie insignia et arma defunctorum nobilium in templis. Porro sextum hic laudationis caput tractat, de virtutibus Imperatoris, quibus Principatum meruit. *Scheff*.

Iberum] *Liberum*. Leg. *Iberum*. Constantino Constantii F. dicto: 'Rheno Danubioque prætenduntur, excubias agunt,' &c. *Acidal*.

Jam Istro prætendebas] *Prætendebaris*. Egregie *prætendebas*. Vide Nazar. Paneg. Constant. cap. XXI. Infra mox *munerum numeros* perspicue rectum est, et eundem virum doctum non audio, qui *munera numerorum* reposuit. Nam ita dictum ut illud Plinii Panegyrico 'omnes comitatis numeros obibas.' Seneca pater: 'Quid igitur? quæstio per omnes suos numeros implenda non est.' *Livin*. Jacobus De la Baune, Vinc. Patarol, Cellarius, et alii legunt, *Vix Iberum tuum videras; jam Istro prætendebas*. Non male. Sicut enim verbum simplex absolute ponitur, v. g. Virgil. Æn. II. 29. 'Hic sævus tendebat Achilles.' Æn. VIII. 605. 'legio latis tendebat in arvis:' i. e. interprete Servio, 'tentoria et tabernacula habebat:' ita et verbum compositum 'prætendere,' ubi de re militari sermo, sæpe absolute positum reperitur, significatque quasi 'ante tendere.' Sic Frontinus Strateg. II. 14. 'Equites,' inquit, 'deinde in æquum procedere, ac velut prætendere peditibus jussit.' Auctor Anonymus Panegyrici Constantino Augusto dicti c. XXI. 'Jam obliti deliciarum Rheno, Danubioque prætendunt.' Sic quidem legitur ibi in cod. nostro: cum alii legant 'prætenduntur.' Hinc vero et 'prætenturæ,' Vegetio, Ammiano, et aliis dictæ sunt præsidia militum, quæ castellis et aliis locis tuendæ regionis causa imponebantur: ipsa etiam loca, in quibus hæ stationes, 'prætenturæ' audierunt. Vide Schelium in not. ad Hygin. pag. 31. et Turnebum Advers. IV. 7. In excitato Pacati loco Cuspinianus in editione Viennensi legit *prætendebaris*, quam lectionem aliis examinandam relinquo. Noster vero cod. hæc verba exscripta refert, *Vix Iberum tuum videras; jam Istro acies* (i. e. legiones instructas) *prætendebas*. Arridet nobis hæc lectio: quamvis enim a militari eoque vulgari loquendi genere recedere videatur; sequitur tamen analogiam linguæ Latinæ, et mirifice convenit cum iis quæ Claudianus de B. Getic. vs. 416. cecinit, 'extremis legio prætenta Britannis.' 'Acies' vero etiam in plur. num. sæpe pro legionibus instructis Tacitus aliique dixerunt. *Schwarz*. Interserit *acies præt*. etiam cod. Guelf. 'Prætendere' scil. est verbum castrorum. Tacitus Histor. II. 6. Serv. ad Virgil. Æn. II. 29. Schulting. ad Senec. Suasor. VII. p. 48. Lindenbrog. ad Ammian. XII. 11. et Drakenborch. ad Silium XVI. 253. *Arntz*.

§ 3 *In altiorem*] In summum prin-

cipatus. *Cellar.* Aperte falsum, cum solummodo respiciat ad altiores militiæ gradus, quod vel ex eo conficies quod sequitur: ' jam tum posset intelligi, alios Imperatori pugnare, te tibi.' Curtius IX. 1. 6. ' gradus quem in militia obtinebat.' Victor, Cæsar. XXIX. § 1. ' Militiæ gradu ad imperium conspiraverat.' Vide Barthium ad Rutilium I. 508. *Arntz.*

Cum negotiis otium] Velleius lib. I. ' Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit:' ubi fortasse legendum ' distinxit.' Sic loquitur Plinius lib. VIII. Epist. ad Arrianum: ' Qua ratione,' inquit, ' ductus graviora opera lusibus jocisque distinguo.' *Putean.*

Frui posses honore] Forte legendum *honere*, vel *onere*. Sic Catullus dixit ' onus reponere.' *Putean.*

Munerum numeros] Puto legendum *numerorum munera*. ' Numeri ' appellantur in re militari centuriæ et cohortes legionesque militum: sæpissime autem hæ voces ' numeri ' et ' munera ' invicem permutantur: ut in Vegetio II. 2. ' Auxiliares conducuntur ad prœlium ex diversis muneribus venientes:' ubi legendum ut vet. cod. ' numeris.' Et c. XIX. ' Totius enim legionis ratio jure obsequiorum sive militarium numerorum, sive pecuniæ,' &c. ubi legendum ' munerum.' De ' numeris ' vide Turnebum Advers. XXIV. 36. et Ræevard. Var. IV. 8. *Putean.* *Munerum numeros* editio vulgata, quam et confirmat V. C. Pithœi. Balduinus autem inversis verbis reposuit *numerorum munera*, quod forte non malum est, sed quod illa verba *aut cum primis* omnino sustulit, tanquam spuria, vehementer fallitur. Nam ita veteres loqui jam pridem ad Symmachum monui Epist. X. 16. prolato Ammiani Marcellini testimonio. Quibus etiam insuper eos locos adjicere placet, ut nemo de veritate lectionis dubitet. Dictys Cretensis de Bello Tro. II. 3. ' atque ita omnino primi aut inter primos bellantes.' D. Hieronymus super obitu Paulinæ uxoris ad Pammachium: ' primus erat, sed inter primos præcedebat alios dignitate, sed et alios sequebatur.' Et paulo post: ' Patricii generis primus inter primos monachos esse cœpisti.' Divus Bernardus Epist. CCV. ad Ludovicum Regem: ' Regum primus, aut certe inter primos rabiei persequentium, eadem matrem vestram strenuissime et Christianissime defendendo obviastis.' *Juret.* Hæc verba recte contra Balduinum, qui expunxerat, defendit Juretus ad Symmachum Epist. X. 16. *Arntz.*

Cum primis obires] Liv. lib. VII. ' Omnia inter infimos militum haud gravate munia obeundo.' *Putean.*

Vallum] Intelligit eos stipites, quibus Romanorum castra muniebantur. Stewech. ad Veget. de Re Milit. IV. 28. V. D. ad Florum II. 18. 10. ' ferre plenius vallum:' et ad Grat. vs. 87. Lips. lib. V. de Milit. Rom. Dial. 5. Broukh. ad Tibull. IV. 1. 85. *Arntz.*

§ 4 *Jam tum*] Recte pro primis illis militiæ rudimentis. Corrupte omnino Guelf. *tantum*. Aliter Terent. Eunuch. III. 3. 4. *Idem.*

Præ ceteris mirum] Nam ex rebus bene gestis alioquin gloria facile in superbiam convertitur, unde spes novarum rerum, et cupido altiorum fere solet exoriri. Itaque et Plinius in Paneg. cap. IX. ' Credentne posteri nihil ipsum, ut Imperator fieret, agitasse, nihil fecisse? nisi quod meruit et paruit.' *Scheff.*

CAP. XI. § 1 *Imperium deprecatus es*] Ingens sane laus, summique animi indicium. Nam cum omnibus innata sit gloriæ cupido, præterea imperare cuncti velint, nemo libenter parere (vid. Cic. Lælium p. m. 571.), imperiumque ideo res, de quo ferro igneque certatur, satis apparet, quantum vulgarem hominum conditionem superasse oporteat illum, qui sponte

etiam oblatum Principatum possit adspernari. Itaque talis demum dignus imperio, qui hac magnitudine animi declarat, posse se etiam non imperare. Non enim metuendum est, ne non bene imperet, qui non sua sed aliorum causa imperat. Hinc Plinius de Trajano c. v. 'Recusabas imperare, recusabas, quod bene erat imperaturo.' Ceterum hoc septimum laudationis caput est. *Scheff.*

Nec id ad speciem] *Dans spem:* indubie verum est *speciem* ortusque e compendiis error. Nam *spēm* veteribus libris *speciem* valet. Corruptum et supra *spem* pro *spē*, i. e. *specie.* Infra vicissim *spem* pro *spēm*, h. e. *speciem*, castigamus. Quod proxime est *nec dans speciem* dubium mihi et suspectum facit, quod in V. lego, *nec idas speciem*, in C. *ne dedisse speciem.* Neque hercule defugio quin Latinum sit *dare speciem*, i. e. ἔμφασιν ποιεῖν, ut Quinctilianus dixit 'speciem hosti abeuntis exercitus dedit.' Sed arbitror germanum, quod in B. est, *Nec id ad speciem*, h. e. simulato et ad quendam prætextum. *Livin.* In Cod. Ms. eleganter post *tantum* ponitur particula *que*, hunc in modum, *nec id ad speciem, tantumque, ut cogi videreris.* Livineius legebat, *nec dans speciem, &c.* Schwarz. Barthius ad Claudianum in IV. Consul. Honor. vs. 48. scribit, *nec spem dans, tantumque ut cogi, &c.* et ita antiquitus editi. Verum recepta lectio multum præstat. V. de tali loquendi forma nos ad Victor. Illustr. c. LIV. § 1. *Arntz.*

Ut cogi videreris] Adeoque summo fastu ostenderes, te illum esse unicum, qui imperare possit, debeatque. Nec enim cogitur ad munus, nisi qui solus reperitur idoneus. Quam igitur ambitiosum, si solus sis, reluctatione simulata monstrare, quis sis? quam triste ac acerbum simulatione tali ostendere, qui sint cæteri, e quibus nemo isti dignitati par censeri potest? Utrumque enim facit, qui sic reluctatur. Et suam magnitudinem ostentat, et infirmitatem reliquorum, adeoque reipubl. totius destitutæ aptis viris miseram fortunam veluti exagitat. Sed forte magis hic orator spectavit artificium, quo viri magni uti consueverunt sub malis principibus. Nam cum sciant nil suspectius eis esse, quam virtutem alienam conjunctam cum cupiditate gloriæ imperiique, hunc affectum solertissime obtegere consueverunt. *Scheff.* V. D. ad Rutilium Itin. I. 91. *Arntz.*

§ 2 *Tanquam tentaret*] Attingit usitatum malis principibus tyrannisque artificium, qui offerre viris magnis, quorum metuunt virtutem, dignitates summas solent, tantum ut explorent animos ipsorum, voluntatemque cognoscant: utrum ambiant, utrum oblatos honores suscipere audeant. Atque postea occasione facta velut cupidos imperii e medio tollant. Observandum autem artificium illud, quod in hoc artificio usurpant. Soli quærunt, domi quærunt, ut familiaritas, ut fides videatur, quod summa est perfidia. Dein ut speciosius repulsæ metum simulent, faciliusque animum expiscentur. Denique ne si in plurium conscientia id faciant, facere re vera videantur pluribus quam securitati ipsorum conducit. *Scheff.*

§ 3 *Expostulari*] *Expostulare* Guelf. quod verbum ad adcusationes referri notum est. Phædr. III. 10. 34. Sueton. Cæs. c. 4. et Neron. c. 15. mox *formidine* omnino per errorem Guelf. *Relapsa* vero spectat ad eos, qui ex meliore fortuna ad pejores casus rediguntur. Broukh. ad Tibull. I. 7. 59. His fere similia habet Cicero Orat. I. in Catil. c. 7. 'quæ tecum, Catilina, sic agit, et quodammodo tacita loquitur.' *Arntz.*

§ 4 *Hunnus, quidquid aufert Alanus*] In pari causa Virgilianus Ascanius: de quo pater Æneas Æn. IV. 'Me

puer Ascanius, capitisque injuria cari, Quem regno Hesperiæ fraudo, et fatalibus armis.' *Acidal.* Ineptit Guelf. *humanus* cum præferat. Hunni et Alani serioribus reipubl. temporibus infestissimi fuerunt Romanorum hostes, qui numerosissimis copiis instructi penitus adgressi sunt delere Romanum nomen. Stephan. ad Saxon. Grammat. Histor. Dan. lib. v. p. 121. et plura ad Victorem Epit. XLVII. § 3. Tantum igitur aberravit Guelf. cum scribat *humanus* de populo, qui ab omni humanitate esset longe remotus. Nec meliores haberi debent *Alani.* Cf. Savar. ad Sidon. Epist. IV. 1. et inde Jornandes Reb. Get. p. m. 474. 'Hunnorum gens omni ferocitate atrocior.' Vinetus ad Ausonium Epigr. I. 8. 'Arma inter Chunosque truces,' &c. *Arntz.*

Olim desiderabit Arcadius] Theodosii filius, ad quem imperium post mortem patris perventurum erat. *Scheff.* Scilicet *olim* ponitur de futuro tempore, quamvis alii ad præteritum referant. Ita Tibull. III. 5. 23. Phædr. IV. 10. 8. Ovidius Trist. II. 575. Justinus XXXVIII. 3. 1. Ignoratio hujus notionis fraudi fuit librario Guelf. ut scribere maluerit *desideravit.* V. Barthium ad Statium Theb. IX. 876. *Arntz.*

§ 5 *Alter etsi*] 'Principum senior' Gratianus: 'alter adhuc parvus' Valentinianus II. *Cellar.*

Sero reparandam. Hanc] *Reparandam hanc:* distingue *reparandam. Hanc.* Acidal.

§ 6 *Amor generis*] Id pertinet ad Imperatorem Titum, qui maxime honorifico nomine dictus est, 'amor et deliciæ generis humani.' V. D. ad Sueton. in Tito c. 1. Victor. Illustr. X. § 6. Ausonius Cæsar. Carm. XI. 'Expers civilis sanguinis, orbis amor.' Per *pietate*, quod sequitur, adludit ad agnomen Antonini: de quo Beger. Thes. Brandenb. p. 663. *Arntz.*

Mœnibus Augustus] Non sollicito contra libros. Augustus apud Senecam ludo in mortem Claudii, 'Ideo legibus urbem fundavi, operibus ornavi,' et quæ sequuntur. Notumque ejus Apophthegma, 'Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.' Franc. Balduino *moribus* probatum pro *mœnibus* ex his Horatii ad Augustum, 'Res Italas armis tuteris, moribus ornes.' *Livin.* Imitatur Horatium Epist. II. 1. 2. 'Res Italas armis tuteris, moribus ornes, Legibus emendes:' ubi de hoc ipso loco plura Bentleius, Procem. Instit. Sueton. Aug. c. 29. § 1. 'urbem neque pro majestate imperii ornatam,' &c. Val. Max. IX. 1. ext. 2. 'urbs opulenta erat moribus et legibus ornata;' quamvis ibi frustra tentent V. D. 'ordinata,' quæ frequens est inter has voces mutatio. Bosius ad Nepot. Attic. XVIII. § 1. Drakenb. ad Liv. XXIV. 48. De 'auctis finibus' sub Trajano inspice V. D. ad Florum Procem. lib. I. in fine. *Arntz.*

§ 7 *Nolle jam non licet*] Pæne ad eundem modum Plinius cap. IX. 'Ut ad te fortunæ tuæ nuntius venit, malebas quidem hoc esse, quod fueras, sed non erat liberum. An non obsequereris Principi cives, legatus imperatori, filius patri? Ubi deinde disciplina, ubi mos a majoribus traditus, quodcunque Imperator munus injungeret, æquo animo paratoque subeundi?' *Scheff.*

CAP. XII. § 1 *Solus igitur, Auguste*] Quemadmodum orator in superiori capite in Theodosio laudaverat moderationem animi, sic in præsenti ejus continentiam in vita commendat. *Scheff.*

Princeps esses, præstitisti] 'Principem præstare' scio eleganter dici. Sic enim Sueton. Tiber. cap. 23. 'Paullatim Principem exercuit, præstititque.' Scio etiam vere de Theodosio: sed non apposite profecto huic loco, qui non agit de dignitate illius, sed recusatione. Lege igitur

restitisti. Restiterunt sane et alii, quibus imperium deferretur: sed non restiterunt, ut essent Principes. Cui acumini simile paullo inferius in eadem re: 'et unus est ambitus candidati, ne declaretur.' *Acidal.* Cavendum ne quid heic mutemus cum aliis: nam sane *restitisti* falsissimum est. Nam ne multos excitem priores, ecce de Tiberio Velleius II. 124. 'Tandem magis ratione, quam honore victus est; cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret: solique huic contigit, pene diutius recusare principatum, quam ut occuparent eum alii armis pugnaverant.' *Gruter.* Virtutibus nempe tuis, de quibus cap. X. nam illuc verba hæc referri debent. Frustra Acidalius hic contra omnium librorum fidem *restitisti.* Ostendit verbum *solus.* At ille non solus restitit, sed et alii ut supra annotavi. Deinde sequentia, *alios empta legionum suffragia, alios vacans aula, &c.* Hoc enim volunt, alios aliorum beneficio aut necessitate factos Principes; Theodosium sua causa, et tantum quia dignus videbatur. *Scheffer.*

Empta legionum suffragia] Quæ quidem ad imperium via illis temporibus fuit vulgatissima. Promittebant donativum militi, prætoriano maxime, in quo vis legendi Principem, vel submovendi. V. Herodianum II. 8. de Capeliano Capitolinus in Maximinis: 'Militum animos sibi conciliabat, præludens ad imperium, si Maximinus periisset.' *Scheff.*

Alios vacans aula] *Vocans.* Leg. *vacans,* cui respondet quod sequitur de occasione, et item quod adscitus sit tertius. Nam hæc ita referuntur inter se: *ut empta legionum suffragia, et ambitus, et cogebaris invitus utque affinitas regia, propinquitas, alienus:* quæ in sequentibus pulcherrimo ordine invicem sibi opponuntur. *Acidal.* Ab idoneo successore: quemadmodum a Galba Piso, a Nerva Trajanus vocati sunt. Nam et hi, tametsi reipubl. causa vocentur, etiam privato respectu sumuntur. Nempe ut tueantur Principem adversus insidias, quibus alias destituti successore exponuntur, vel ut a despectu eos vindicent. Nota Galbæ vox apud Tacitum Histor. I. 16. 'desinam videri senex, audita adoptione,' quæ pulcre secretius consilium illius fulciendæ domus declarat. V. Senec. Consol. ad Marc. cap. 15. *Scheff.* *Inposuere,* quod sequitur, idem erit, quod præposuere. Livius XL. 12. 'Inponeret Macedoniæ.' Florus III. 6. Tacitus Annal. II. 19. Nos ad Victor. Illustr. cap. XXXI. Fortius tamen hoc verbum esse videtur, cum vim quasi indicet. Cortius ad Sallustium Jug. cap. C. Barthius ad Statium Theb. I. 172. *Arntz.*

§ 2 *Parricidæ, qui oblita fide*] Clementem Maximum tangit, a quo Gratianus occisus. Quod inde est *oblita fide,* scio excusari posse et lucem accipere ex his Virgilii Æn. VI. 'quique arma secuti Impia, nec veriti dominorum fallere dextras.' Sed mihi perplacet *cæde,* quod in B. C. est. Juvem ergo et amplius brevi media rescribam *obliti cæde,* i. e. inquinati. *Livin.* Cum in duobus libris fuerit *cæde,* non *fide,* legerim libens, *oblata cæde.* Rittersh. *Cæde*] Ita scriptus unus et alter cusus, sed vetuste, neque longe abit alter calamo notatus, in quo *sede.* Recentiores edd. præferunt *oblita fide,* quod et ferri queat, sed ferri tantum. *Gruter.* Noster habet *cæde,* quod et Livineius in aliquibus ait sese reperisse, ideoque *obliti cæde* scribi posse. Forsan non incommode conjungerentur, *qui oblita fide, cæde dominorum, &c.* Nam *oblita cæde,* an dicatur, nescio. At *oblita fide* eleganter dicitur in respectu ministrorum, peccatumque, contra fidem pietatemque commissum exaggerat: et respicit hic Maximum, quem ubique amat pessime reprehendere.

Scheffer. In impressis exemplaribus scribitur, *Audite hoc publici parricidæ, qui, oblita fide, dominorum sceptra cepistis.* Rittershusius noster, cum in duobus libris invenerit *oblita cæde,* legendum censuit *oblata cæde,* i. e. occasione cædis patrandæ data. Livineius cum in quibusdam codd. scriptum reperisset *oblita cæde,* ex conjectura, brevi media, et ultima in *i* mutata, rescribendum putavit *obliti cæde,* i. e. inquinati atque contaminati cæde. Et certe sic diserte habet cod. noster, *audite hoc publici parricidæ, qui, obliti cæde, dominorum sceptra cepistis.* Neque tamen rejicere velim receptam lectionem, *oblita fide.* Quamvis enim sic participium *oblita* παθητικῶς sumatur; id tamen non fit sine exemplo aliorum scriptorum. Sic certe Virgilius, cujus loquendi rationes amat Panegyristes noster, cecinit Ecl. IX. 53. 'Nunc oblita mihi tot carmina.' Sed si quis voces has *oblita cæde,* quas Livineius et Gruterus in codd. observarunt, retinere malit, tunc *oblita* in casu accusandi sumeretur, et tota illa oratio sic interpungenda esset, *Audite hoc publici parricidæ, qui, oblita cæde dominorum sceptra cepistis,* &c. h. e. qui sceptra cepistis contaminata sanguine et cæde dominorum. *Schwarz.* Mox *pretio sanguinis* est, effusione sanguinis adquisivistis regiam dignitatem. Cf. Schulting. ad Senec. Contr. lib. II. p. 137. et Burman. ad Ovidium Amor. III. 8. 10. *Arntz.*

Periculo non minore] Quod testantur omnium annalium exempla, in quibus nemo istiusmodi invasorum naturali morte obiisse deprehenditur. Sed nimirum his in corde est, quod extat apud Senecam Theb. vs. 664. 'Imperia pretio quolibet constant bene.' *Scheff.*

§ 3 *Tam gloriosam fidem*] Cod. noster habet *gratiosam fidem;* quasi Germanice dixeris, *Wird die spate nachwelt wol so viel liebe und gewalligkeit vor uns haben, dieses zu glauben?* Schwarz. Quid eligas parum intererit, cum utraque vox sensui oratoris commodissime satisfaciet. Mihi tamen magis placeret *gloriosam.* V. ad Victor. Illustr. cap. LXXII. et ad Plinium Paneg. c. XXX. § 5. *Arntz.*

Infra supraque temp.] Atqui de Severo Spartianus: 'multis hortantibus repugnans Imperator factus est.' Et de Gordiano Capitolinus in Maximinis: 'Milites reclamantem, et se terræ adfligentem opertum purpura imperare coëgerunt.' Sed nimirum metu Juliani alter, alter Maximini hoc fecit. Nec deprecatus est Antoninus, ut nostrum legimus fecisse, licet invitus susciperet. *Scheff.*

Vitæ tuæ sectam] Mamertinus Grat. Act. pro Cons. c. X. 'Sed qui vitæ tuæ instituta rationemque cognoverit, facile fontem copiæ hujus inveniet?' *Puteanus.* *Secta* ea est ratio, quam quis sequitur in vita sua. Plinius Paneg. c. LXXXV. § 7. ubi Rittersh. Suetonius Aug. c. 12. Florus III. 12. Confer Menagium ad Diogenem Laërtium lib. I. n. 9. Servium ad Virgilium Æn. X. 107. Pertinet huc Terentius Eunuch. II. 2. 31. 'sectari jussi. Si potis est tanquam philosophorum:' ubi Donatus cum Pricæo ad Apuleium Met. IX. pag. 539. et Lipsio Manuduct. ad Philos. Stoic. lib. I. Dissert. V. Adde Comment. ad Valerium Maxim. II. 7. ex. Rom. 2. *Arntz.*

§ 5 *Quantum per leges licebat*] Antea nimirum, cum privatus esses. Quibus etsi nunc, ut Princeps, es solutus, nihilominus pares, tanquam adhuc adstrictus esses. Ita enim facit bonus Princeps, qui se ipse 'legibus subjicit, quas nemo Principi scribit, nec amplius vult sibi licere, quam privatis:' denique ut Claudianus eleganter loquitur, 'paret sibi.' Atque ita et justitiæ de se opinionem facit, et auctoritatem legibus conciliat; quare utraque nihil est, quod amplius

rempubl. firmet conservetque. *Scheff.*

Copia commodandi] Nam, ut ait Gnomologus, ‘ beneficiis superare quosvis, regium est.’ Hinc D. Chrysostomus Homil. XXVII. ad II Corinth. τί ὄφελος μέγα εἶναι, καὶ μηδένα ὠφελεῖν; ὥσπερ οὖν οὐδὲ ἰατροῦ κέρδος ἐμπείρου, μηδένα τῶν καμνόντων ἰωμένου. *Quid refert magnum esse, si nemini prosis? quemadmodum videlicet nil prodest medicum artis suæ peritum esse, si nulli ægrotantium medeatur.* Idem.

Non securitate peccandi] Quod alioquin amat fieri. Exemplum nobile habes in Domitiano apud Tacitum Agr. c. 7. *Idem.*

§ 6 *Vixisse te legibus tuis*] *Tuis,* non Principis aut reipubl. adeoque fuisse virum bonum, cui soli, ex mente philosophorum, nulla lex est scripta, nihilque præcipitur. Nimirum, sicut ait Gnomologus, ‘ absque lege jus colunt et fas pii.’ Vopiscus in Tacito de senatu Romano c. 2. ‘ Non illi Principem quemquam, ut recte facerent, non tribunitiam potestatem formidabant, sed, quod est in vita optimum, se timebant.’ *Idem.*

CAP. XIII. § 1 *Quin ubi primum*] Sequitur illius moderationis explicatio uberior, ostenditurque quod eandem instituerit etiam apud alios primum imperio, mox (cap. seq.) exemplo. *Scheff.*

Ultra] Guelf. *ulta,* de ea re, quæ major est, quam exspectari potuisset. Tacitus Histor. II. 63. ‘ ultra feminam ferox.’ Duker. ad Flor. II. 7. 9. Huic oppositum est ‘ intra.’ Manut. ad Cicer. Fam. IV. 4. Barth. ad Stat. Silv. I. 1. 20. Gronov. Observ. I. 10. Vorstius ad Valer. Max. III. 2. ex. 24. Drakenb. ad Livium VIII. 24. 15. *Arntz.*

Suadere potius honesta] Quod longe est validius. Nam qui cogunt, tamdiu obtinent, quamdiu metus obtinet. Imo non obtinent, quia imperari virtus non potest. Quid igitur? simulatores faciunt, et in speciem probos, quo genere nihil in republ. perniciosius. Interest igitur salutis omnium, ne cogantur honesta, sed suadeantur. Seneca de Ira I. 5. ‘ Civitatis rectorem decet, quamdiu potest, verbis, et his mollioribus, ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti et æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum.’ *Scheff.*

§ 2 *Longo Orientis usu*] Quid hic *Orientis?* an ‘ Principem crescentem ’ intelligit? quem ‘ orientem ’ et Paneg. Maximiano et Constantino Augg. dicto dici videmus: ‘ Constantine, oriens Imperator.’ Vix putem. Potius de regione acceperim. *Acidal.* ‘ Longus usus ’ est, qui post longum temporis spatium durat. Ovidius Art. III. 791. et ex Pont. III. 6. 53. *Arntz.*

Multorum retro Principum] Qui hæc vitia illorumque concessionem inter dominationis conservandæ flagitiosa penitus arcana habuerunt. Nota vox Tiberii apud Tacitum Ann. II. 33. cum Fronto postularet modum argento, supellectili, familiæ, ‘ non id tempus esse censuræ.’ Plinius Paneg. cap. XLV. ‘ Priores Principes, excepto patre tuo, præterea uno aut altero, (et nimis dixi) vitiis potius civium, quam virtutibus lætabantur.’ Vis scire causam? ‘ quod patientiores servitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi servos.’ Recte: nam effeminant ista vitia virorum animos, et fluxa molliaque, h. e. apta ad servitium, faciunt. Constat igitur, qualium Principum ista sit remissio, videlicet malorum. *Scheff.*

Injuriam putaret] Si exigeret Princeps, quod præstare ipse non potest, aut, quia non præstat, improbare videtur. V. Plin. Pan. c. XLV. Observa quam sit necessarium Principi non modo ut bona præcipiat, sed ut ipse quoque bonus sit. Injuriam inter-

pretantur cives eam bonitatem, quam ab ipsis absque suo exemplo exigit. *Idem.*

Inpendia palatina] Abit in alia omnia Zosimus Histor. lib. IV. qui a Theodosio tantum impendiorum in mensam regiam ait invectum, ut præ multitudine ciborum, et lautitia populosa coquorum ac pocillatorum, cohortes sint institutæ. Non potuit dissimilius, καὶ ἐξ ἐναντίας μᾶλλον· qua fide, ipse viderit. *Livin.*

Recidendo sumptum] Gronovius restituit Observ. II. 22. ut Suetonius Tiber. c. 34. 'mercedibus recisis:' et Calig. c. 44. 'commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam recidit.' Vulgo lectum, *rejiciendo.* Cellar. In aliis editionibus legebatur *rejiciendo*, ut quoque in Guelf. *reiciendo* ex veteri consuetudine scribendi, cum 'reicere' ponerent pro 'rejicere:' de qua Pierius ad Virgil. Ecl. III. 96. et Duker. ad Flor. I. 10. 5. Hæc scriptura videtur specie aliqua defendi posse, cum 'rejici' dicantur ea, quæ contemnimus, parum curamus. V. D. ad Florum II. 16. 6. et ad Phædr. IV. 1. Retinet etiam Colvius ad Apul. Met. IX. p. 122. Nisi me omnia fallunt, veram lectionem adsecutus est Gronovius Observ. II. 22. *recidendo*, quod signatum est huic rei verbum, cum alterum vix Latinum sit. Ita 'recidere damna' pro minuere nimios sumptus dixit Symmachus Epist. V. 62. 'Damna' enim inpensas notant, quæ supra modum fiunt. Vid. not. ad Plinium Paneg. c. XII. § 2. Periculosum est contra Mss. quidquam mutare, quamvis in mutatione consentiant omnes fere V. D. de qua audacia, dicam an timore, videri merentur, quæ erudite disputavit Dukerus Præf. ad Florum. Cum fortassis aliquis doctior nobis similia posset proferre. Ceterum de hoc loco pluribus Faber Semestr. II. 16. *Arntz.*

Usurpando dimensum] Dimensum frumentum quod servis aliquot mensibus in alimenta dabatur. Terent. in Phorm. I. 1. 'Quod ille unciatim vix demenso de suo, Suum defraudans genium, comparsit miser.' Vide ibi Donatum. *Putean.* Desumtum vides a servis apud Romanos, qui justo et statuto tempore singulis mensibus frumentum, quod inter eos dividebatur, accipiebant. Nonius XII. § 42. ideo 'diaria' Horatius dixit Epist. I. 14. 40. et Colvius ad Apul. p. 122. *Arntz.*

Emendasti volentes] Vereor ut in hoc loco plus acuminis fuerit, quod reddi repetitione aliquot vocum. Leg. *quod natura difficile est emendasti; quod difficillimum, volentes.* At volentes emendari facillimum, nihil ergo mutandum. Emendare difficillimum est, ille emendarat facillime, quia volentes. *Acid.* Pulcra sententia. Emendari nempe pauci sponte sua volunt, quia omnibus innatus vitiorum amor. At exemplo suo faciebat Theodosius, ut vellent emendari, quoniam diversos se a Principe videbant. Jam vero id ipsum velle emendari difficillimum, ut obtineri possit. 'Estque jam bonitatis pars magna fieri velle bonum,' uti ait Seneca Epist. XXXIV. Sed id, quod fuit difficillimum, facile fecit pudor, quem in animis omnium Principis exemplum gignebat. Hinc statim subjicit: *an quis feret moleste, ad Principis semet modum coërceri, &c.* Tacitus Annal. III. 55. 'Præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in Principem et æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus, et metus.' Nota vim exempli Principalis et necessitatem: præsertim vero usum, cum adversus publice consueta et adulta vitia pugnandum est. Quo fere tempore frustra leges, frustra pœnæ sunt. Evenit enim, quod Tiberius ait præced.

loco, ut si quis ista sanciat, 'cuncti civitatem verti, splendidissimo cuique exilium parari, neminem criminis expertem esse clamitent.' Quæ hic habet Acidalius, longe a sententia Pacati recedunt. *Scheff.*

§ 3 *Doleret de privata luxuria*] Quamvis restet in solo Viennensi, nescio tamen quomodo nervosius est, *doleret stipendium privatæ luxuriæ.* Grut. Gruterus contra omnium ceterorum fidem, ex unico Viennensi, *doleret stipendium privatæ luxuriæ.* Meus cod. plane simul graviterque, *doleret privata luxuria.* 'Luxuria doleret,' pro hominibus luxui deditis dixit, notissima hicque convenientissima figura. *Scheff.* Grut. ex cod. Viennensi, *doleret stipendium privatæ luxuriæ.* Schefferus, ex sua membrana, *doleret privata luxuria*, i. e. luxuriosi. Sed et proba vulgaris lectio. *Cellar.*

Modico et castrensi cibo] Mamertinus in Julianum: 'Gaudens castrensi cibo, ministro obvio, et poculo fortuito.' Asscribam commentarii viceem Ælii Spartiani locum Hadriano: 'Cibis etiam castrensibus,' inquit, 'in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo, et posca, exemplo Scipionis Æmiliani et Metelli, et auctoris sui Trajani.' *Livin.* H. e. larido, caseo, et posca, interprete Spartiano in Hadriano, qui tamen in Vulcatio addit bucellatum, et acetum. V. Lipsium de Milit. Rom. lib. v. Dial. 16. *Scheff.* Cibus erat modicus, laridum, caseus, et posca. Stewech. ad Veget. de Re Milit. I. 3. Lipsius de Mil. Rom. lib. v. Dial. 16. V. D. ad Spartian. Hadr. cap. x. *Arntz.*

Solantem] Agnosco poëticam dictionem, nec muto. Poterat tamen etiam non minus poëtice, *solventem.* Acid. 'Jejunia solari cibo modico,' bene dixit Pacatus, fere imitatus Virgilium Georg. I. 159. 'Concussaque famem in silvis solabere quercu.' Noster cod. pro ultima voce *solantem* legit *solventem.* Neque id male. Nam et Ovidius Fast. IV. 607. 'Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis.' Eidemque Met. I. 312. 'jejunia longa' dicuntur. *Schwarz.* *Solantem* proprium h. l. verbum pro sublevantem, et quasi minuentem. Virgil. Georg. I. 159. 'Famem in silvis solabere quercu:' ubi cf. V. Doct. Vide et Cortium ad Plinium Epist. VI. 16. 17. Ita accipiendus videtur Horatius Sat. II. 6. 117. 'tenui solabitur ervo.' Calpurnius IV. 32. 'viridique famem solarer hibisco:' ubi Burman. Non possum igitur adcedere sententiæ Cortii, qui in ora sui cod. adposuerat *solventem*, quod petitum videtur ex cod. Guelf. et addiderat Lucan. III. 282. 'Longaque Sarmatici solvens jejunia belli:' quomodo etiam Ovidius Fastor. IV. 607. 'solvit jejunia granis.' *Arntz.*

§ 4 *Ad hoc aulam*] Provide. Nam et inde exempla in publicum trahuntur: et honesta aula facit honestam civitatem. *Scheff.*

Spartanis] Apud Lacedæmonios enim summa laus patientia ducebatur: quo spectat Nepos Alcib. XI. 4. 'Apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur.' Unde singulare Epith. apud Horatium Od. I. 7. 10. 'patiens Lacedæmon:' ubi alia Torrent. *Arntz.*

Remotum litorum piscem] Seneca de Providentia: 'Quid ergo felicior esset, si in ventrem suum longinqui littoris pisces et peregrina aucupia congereret?' Similis locus apud Mamert. Grat. Act. pro Consul. cap. XI. quem Pacatus imitatus videtur: 'Quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur, miracula avium, longinqui maris pisces.' Petronius Satyrico cap. 119. 'Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus Ad mensam vivus deducitur, inde Lucrinis Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas Ut renovent per damna famem.' *Putean.*

Alieni temporis florem] Julius Capi-

tolinus in Vero: 'Coronas quin etiam datas, lemniscis aureis interpositis, et alieni temporis floribus.' Sic Mamertinus dixit 'alieni temporis poma.' *Idem.*

CAP. XIV. § 1 *Delicati illi ac fluentes*] Velleius: 'otio ac mollitiis pene ultra feminam fluens.' *Putean.*

Et quales] Ferri et deleri potest *et*: malim deleri. *Acidal.* Luculenter de hac re agunt V. D. ad Petron. Sat. c. 93. *Arntz.*

Luxuria vertisset annum] Hoc est, ex hieme fecisset æstatem, et ex æstate hiemem, cibis rebusque aliis hoc tempore appositis, quæ non habentur nisi in isto. Vide Senecam Epist. xcv. Capitolinus in Vero: 'Dedit coronas lemniscis aureis interpositas, et alieni temporis floribus.' Adde Hieronym. in Paulo. Plut. περὶ ἀοργησίας. Plin. xix. 4. Senec. Quæst. Nat. quos hic nominat Puteanus. *Scheff.*

Poculis rosæ innatassent] Mamertinus: 'Longinqui maris pisces, alieni temporis poma, æstivæ nives, hibernæ rosæ.' Lampridius in Alex. Sever. 'Frigida semper pura usus est, et æstate vino cum rosa condito.' Lucianus. *Putean.*

In gemmis capacibus glacie] *Gemmis capacibus*, i. e. poculis gemmeis. Plinius lib. xxxiii. in Præf. 'Nec hoc fuit satis: turba gemmarum potamus, et smaragdis reximus calices.' Vide xxxvii. 2. Capitolin. in Vero: 'Data etiam aurea atque argentea pocula et gemmata.' Hieron. in Paulo: 'Qui domos marmoribus vestiunt, qui uno filo villarum insuunt pretia, vos gemma bibitis.' Et Idem Hieron. in Epist. 'Audio quosdam aquam non bibere, sed sorbitiunculas delicatas non calice sorbere, sed concha. Nisi æstivam glaciem Falerna fregissent.' Antiqui enim nivem et glaciem potui adhibebant, quod in summis deliciis erat. Notavit Plutarch. περὶ ἀοργησίας· Χίονος δὲ μὴ παρούσης ὅντ' ἂν πιὼν, οὕτω ἄρτον δὲ ἀγοραῖς φάγων, κ. τ. λ. Plinius xix. 4. 'Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat.' Plinius Epist. i. 15. 'Paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulso et nive.' Senec. Nat. Quæst. lib. iv. in fin. 'nivatas potiones' vocat. *Putean.* Hoc est, poculis ex gemmis excavatis, de quibus vide Savaronem ad Sidon. Epist. ii. 13. Meursium Roma Luxurian. c. 8. *Scheff.* In nostro cod. pro *æstivæ glacie* legimus *æstivam glaciem.* Bene sic verbum *fregissent* ad *Falerna*, uti proxime *innatassent*, ad vocabulum *rosæ*, neque ad *homines* (quod parum commode subaudiendum esset) refertur; adeoque ipsa Falerna dicuntur 'frangere,' i. e. dissolvere glaciem æstivam: quæ glacies nimirum etiam æstivo tempore asservabatur, ut potui adhiberetur. Quo de more præter alios, Plinius Hist. Nat. xix. 4. 'Hi nives,' inquit, 'illi glaciem potant; pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque, ut alienis mensibus nix algeat.' Hanc vero lectionem, quam ex nostro cod. attulimus, jam etiam Patarol ex cod. Ms. Divi Marci in textum Pacati recepit; eandemque jam ante hunc Cuspinianus et Rhenanus expresserant, Lipsiusque ad Senec. cap. 3. de Provid. ex conjectura approbaverat. *Schwarz.* Scilicet luxus posterioribus temporibus eo usque adscenderat, ut non contenti auro vel argento ex gemmis quoque pocula conficerent. Sidon. Apoll. Epist. ii. 13. 'Spumarent Falerno gemmæ capaces inque crystallis calerent unguenta glacialibus.' Lucan. x. 160. 'Gemmæque capaces Excepere merum.' V. D. ad Petron. cap. 27. Broukh. ad Tibull. i. 1. 30. Scholiast. Juven. Sat. iii. 108. Pric. ad Apul. Met. ii. p. 106. 'gemmas

formatas in pocula.' Barth. ad Stat. Theb. I. 149. Virg. Georg. II. 506. 'Ut gemma bibat:' ubi Interpr. Gemmarum ille luxus labente republ. fuit Romæ vulgaris. Tacit. Annal. XV. 42. Plura, quæ hunc locum illustrant, habet Dempst. ad Rosin. V. 30. 'Fregissent' vero est, vim ejus minuissent. Barthius ad Claud. de Laud. Stilic. II. 69. Manut. ad Ciceron. Fam. I. 9. Drakenb. ad Silium I. 262. Hunc locum porro exponit Seneca de Provid. cap. 3. 'Si in ventrem suum longinqui æquoris pisces et peregrina aucupia congereret.' *Arntz.*

§ 2 *Noster orbis, namque*] Notant deesse verbum *judicabant*, aut quid simile. Recte. Sed deest parte saltem sui. Lego *noster orbis, probabantque app.* Scriptum antiquitus *provabantque.* Priores syllabas *proba* vox præcedens *orbis* absorpsit; e reliquo *vantque* factum postea *namque.* Simillimus locus Mamertini Juliano dicto: 'Cum quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur:' et plura quæ huc pertinent. *Acidal.*

Non sapore sed sumptu] Sic edendum curavi, secutus scripturam B. et F. in Pulm. cod. legitur, *nam app. dap. æstimantes non sapore, sed sumptu.* Similem locum vide ap. Mamert. Grat. Act. pro Consul. cap. 11. 'cum quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur.' *Putean.* Quia deerat verbum, Balduinus addidit *sumptu æstimabant.* In v. c. est *dapes metiebantur non sapore sed sumptu.* Confer similem locum apud Mamertin. Paneg. cap. XI. et Senec. de Consol. ad Albin. cap. 9. in fin. *Juret.* Columella Præf. de Hortorum Cultu: 'Mox cum sequens et præcipue nostra ætas dapibus libidinosis pretia constituerit, cœnæque non naturalibus desideriis, sed censibus æstimentur, plebeia paupertas submota ab pretiosioribus cibis ad vulgares compellitur.' Seneca Consol. ad Helv. cap. 9. 'O miserabiles quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! pretiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas et difficultas parandi facit.' Et inibi in eandem sententiam plura. *Livin.* Juvenalis Sat. XI. 'magis illa juvant, quæ pluris emuntur.' Senec. Quæst. Nat. lib. IV. cap. ult. 'nihil potest luxuriæ placere, nisi carum.' Lampridius de Heliogab. 'Amabat sibi pretia rerum majora dici earum, quæ mensæ parabantur, orexin convivio hanc esse asserens.' *Scheff.* V. Meursium et Kobierzykium de Luxu Romanor. tom. VIII. Thes. Græv. Idem est quod Mamertin. Paneg. cap. XIV. Post *dapes* Guelf. inserit *metiebantur*, cum deleat *æstimantes.* Vid. Cortium ad Sallust. Catil. XXXI. § 2. *Arntz.*

Quos extremus Oriens] Sic Petronius Arbiter plurimis in locis luxum Romanorum carpit, et inprimis Epigrammate quodam, quod integrum adferam, quia valde convenit cum loco Pacati. Tale autem est: 'Ales Phasiacis petita Colchis, Atque Afræ volucres placent palato, Quod non sunt faciles: at albus anser Et pictis anas enovata pennis Plebeium sapit. Ultimis ab oris Attractus scarus, atque arata Syrtis Si quid naufragio dedit, probatur. Nullus jam gravis est: amica vincit Uxorem. Rosa cinnamum veretur: Quidquid quæritur, optimum videtur.' Auson. Epist. 'Non hic naufrago quæritur æquore, ut crescat pretium grande periculis.' Hieron. Epist. ad Salvinam. 'Procul sint a conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus, et omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant.' Idem alibi: 'Novi et genera et nomina piscium, in quo littore concha tecta sit calleo, saporibus avium discerno provincias, et ciborum me raritas, et novissime damna ipsa delectant.' Et ad Furiam: 'Illis tribue divitias tuas, qui non phasides aves sed cibarium pa-

nem comedant, qui famem expellat, non qui augeat luxuriam.' Multa in rem hanc Seneca de Consol. ad Helv. Plinius XIX. 4. Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων: et Dialogo cui titulus πλοῖον ἢ εὐχαί. Gellius VII. 16. et alii. *Putean.* Scilicet Roma non contenta suis divitiis, gustus per omnia elementa quærebat, ut loquitur Juvenalis Sat. XI. 14. et Seneca Epist. LXXXIX. V. D. ad Petron. Sat. cap. 83. Adpositus est locus Horatii Epod. II. 52. Et ideo recte *misissent* utitur, cum hoc verbum proprie adhibeatur de rebus peregrinis. Propert. II. 8. 77. 'quas mihi misit Orontes:' et plura Burman. ad Ovid. Art. III. 212. 'quamvis mittantur Athenis.' *Arntz.*

Invita quodammodo] Insaniam circa conchilia testudinesque marinas hic potissimum perstringit, quæ inter scopulos ex altissimo mari eruendæ sunt. *Scheff.*

§ 3 *Dilectu*] Guelf. *delectu*, de qua scriptura vide nos ad Vict. Illustr. cap. XLVIII. Proprie pertinet ad milites. Scribendum esse *dilectum* docuit Stewechius ad Vegetium de Re Milit. lib. I. prolog. p. m. 2. *Arntz.*

Ductasque] Per errorem *ductos* Guelf. Proprium verbum quod ad res militares pertinet. Justin. XLIII. 5. 12. Valer. Max. VIII. 13. ext. 1. Tacitus Annal. I. 44. Drakenb. ad Livium I. 23. et Scalig. ad Manil. in Sphær. Barb. vs. 17. p. 436. *Idem.*

Cujusdam retro Principis] Plures luxuriosi: Vitellius Livineio videtur ex Sueton. cap. 13. *Cellar.*

Fercula sestertium millies] Quis *sestertium millies*, h. e. vicies quinquies centena coronatorum millia unico prandio, ne dicam nunc ferculo, absumi posse crediderit? aut ad eam summam adscendisse censum equestrem? Fidem enim omnem transcendere magno discrimine videtur utrumque: siquidem lautitiæ magnificentiæque unicum exemplum, quod Cleopatra edidit, cui nihil adstrui ulterius posset, centies sestertium collegit, hoc est, ducenta quinquaginta aureorum millia: et censum equestrem sub Julio Cæsare quadringenta sestertia, h. e. decem coronatorum millia pependisse constat. Interpolandum igitur nonnihil locum dubiæ fidei autumo, et legendum ἀξιοπιστοτέρως *sestertiis mille*, quæ summa etiamnum immanis est, quippe quæ ad viginti quinque aureorum coronatorum millia adscendat, et propiore aliquanto confinio attingat equestris census limites, quos cum imperio excrevisse verisimile est: ut ita legatur, *non prandia sæpe, sed fercula sestertiis mille æstimata.* Junius Animadv. IV. 9. Hadrianus Junior Anim. IV. 9. pro *millies* reponit *mille:* nam summa illa immanis est, omnemque fidem superat. Putat autem intelligi Verum Antoninum Cæs. qui convivium opulentissimum dedit, de quo Capitolinus in ejus vita. Sed nec adhuc quidem locus plane perpurgatus videtur: nam census equestris erat tantum quadringentorum sestertium. Itaque puto sic legendum, *fercula CD. HS. millibus æstimata, &c.* Nam et hic erat census equestris, ut dixi, et Vitellii epularum singulos apparatus quadringenis (sic V. C.) millibus nummum constitisse Suetonius in ejus vita c. 13. scribit. *Putean.* Verisimile mihi est, Imperatorem Vitellium denotari, de quo hæc Suetonii sunt c. 13. 'Nec cuiquam minus singuli apparatus quadringentis millibus nummum constiterunt.' Sed impedita, quæ proxime sequuntur, et (amplius) falsi se ipsa manifeste convincunt: quid enim? tantumdem sunt sestertium millies et equestre patrimonium? Ne in somniis quidem. Et ecce de equestri sensu clare Juvenalis: 'effice summam Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis, Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum, Sume duos equites, fac tertia

quadringenta.' Horatius: 'Si quadringentis sex, septem millia desunt, Est animus tibi, sunt mores, est vita, fidesque, Plebs eris.' Iterum Juvenalis: 'Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dis, Et melior fatis donaret homuncio, quantus Ex nihilo fieres!' Plinius Epist. I. 19. 'Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos Decurio es. Igitur ut te non Decurione solum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equitis facultates CCC. millia nummum.' Pluribus, quæ ad manum, testimoniis in re minime dubia supersedeo, et incredibilem summam, quæ nostratis monetæ coronatorum milliones (ut vocamus) duos ac dimidiatum conficit, ad fidem reduco, fidensque lego *sestertiis CD.* hoc est, quadringentis, haud paulo tolerabiliore impensa, denum millium coronatorum. Scio hunc ipsum, quo de loquimur, Vitellium, ac C. Cæsarem, et post Elogabalum profusius cœnasse, sed de ferculis hic non justis prandiis cœnisve sermo. Nec me præterit Hadrianum Junium Anim. IV. 9. *sestertiis mille* emendare (et habet sane qui se sequantur); sed non hercule video, ut ea summa dum equestri patrimonio consentiat, quæ perspicue alterum tantum, ac dimidiatum amplius reddit. Itaque opinionem non muto. Quod paullo ante est de infami dilectu, id hactenus mihi non lectum in Historiis, non auditum. Tu observa, sis, quisquis es lector. *Livin.* Major summa, quam pro equestri censu, de quo statim subdidit. Idcirco Livineius *C. D.* legit, unde prave ortum fuerit CIↃ. Nititur Plinii Epist. I. 19. *Cellar.* V. V. D. ad Livium XLV. 4. Lipsius de Magnit. Roman. IV. 7. ad hunc locum ita adnotat: 'Nec satis firmiter scio, quem aut quos tangat. Puto Vitellium tamen si in verbis ejus emendes, *HS. mille æstimata.* Nam de illo millies, quis credat in uno ferculo absumptum?' Adi Gronov. de Pecun. Vet. IV. 4. *Arntz.*

§ 4 *Locorum ac temporum*] H. e. quales loca, in quibus es, et tempora suppeditant. Nihil hic peregrinum, et aliunde advectum, nihil alio tempore natum. Quæ duo in superioribus potissimum carpebat. *Scheff.*

Parsimoniæ cursus] Verius ad marginem *cultus.* Acidal.

Blandissime jubetur exemplo] Velleius: 'Facere recte cives suos Princeps optimus faciendo docet, cumque sit imperio maximus exemplo major est.' *Putean.* Theodosius præceptis ad Honorium filium apud Claudianum de IV. Honorii Consulatu: 'In commune jubes si quid, censesque tenendum, Primus jussa subi, tunc observantior æqui Fit populus, nec ferre negat cum viderit ipsum Auctorem parere sibi. Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis.' *Livin.* Quoniam qui sic jubet, non jubet, sed persuadet, de quo supra. Jubet tamen quia efficaciter persuadet. Non enim 'sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis.' Adde Claud. de IV. Cons. Honorii. *Scheff.* Præcipue consulendus Barthius ad Claudian. IV. Cons. Honor. vs. 343. *Arntz.*

CAP. XV. § 1 *Formarint*] Recte respondet illi *ad modum;* cum 'formare' sit aliquid ad alterius modum facere, et est proprie architectorum, qui totius ædificii speciem in brevi quasi tabella exhibent, ad quem modum totum deinde erigatur ædificium. Confer Broukhus. ad Tibullum II. 5. 22. Eodem modo Cicero de Orator. I. 19. 'de conformandis hominum moribus:' ubi male cod. quem vidi, 'confirmandis.' *Arntz.*

Abdicandis] Quid si respexerit ad consuetudinem præsertim Græcorum, qui filium minus placentem ex-

pellere solebant? hoc etenim proprie 'abdicare' dicebatur. Idque clarius patet, quod addat *adoptandis*, ut persistat in metaph. cum 'adoptare' et 'abdicare' proprie pertineant ad patrem, qui filium expellit, et hoc præsertim a Græcis petiverunt postea Romani. Ælian. Var. II. 12. Heliodor. Æthiop. III. p. m. 150. Eunapius in Ædesio, p. 233. V. D. ad Vell. Paterc. I. 1. 1. Savaro ad Sidonium Epist. IV. 23. Confer quoque notas nostras ad Victor. Illustr. cap. 17. Clarus est locus Senecæ Med. vs. 507. 'Placare natis. ME. Abdico, ejuro, abnuo.' *Arntz.*

His te viris] Nova Principis laus, sed prorsus eximia. Exstiterunt nempe magni viri sæpe Principesque, sed famam eorum fœdarunt amici. Notumque ex Tacito, summo Principi Augusto objectum Atedii et Pollionis luxum Annal. I. 10. Idem accidit et Julio, de quo testis est Plutarchus, retulitque in Dissertationibus suis ad Annales Taciti Bœclerus. Nimirum ferre tales nemo creditur, nisi qui et ipse talis: nec intelligit vulgus, quantum sæpe condonandum sit privatis horum meritis. Hinc suspiciones de tacitis occultisque Principum vitiis, etiam ubi causæ illarum nullæ sunt. Itaque hic necessaria prudentia, ut eligantur ii, quorum aliquando pœnitere nos non possit; nec ut eligantur modo sed et conserventur tales. Id quod fieri solo Principis exemplo potest. Quod si Princeps alius, dubium non est, quin amici ejus statim subsequantur. Continent porro ista decimum laudationis membrum ab amicis Principis curaque in eligendis iis, servandis, et remunerandis. *Scheff.*

Qui quam faciles] *Sequaces* proprie pertinet ad sectas philosophorum. Rutgers. Var. Lection. IV. 19. Plinius Panegyr. cap. XLV. 'Quamcumque in partem ducimur, ... sequaces sumus:' ubi alia huc spectantia adtulimus. V. D. ad Gell. Noct. IV. 11. De ipsa voce *sequaces*, quam damnant alii, confer Savar. ad Sidon. Epist. VII. 17. *Arntz.*

Expetendi essent] Solet enim eo magis vulgus hosce imitari, quo, si eos imitetur, ipsum Principem imitari magis se existimat, quem ex amicis fere judicare solet. *Scheff.*

§ 2 *Quales legisti*] Pro *legisti* Guelf. *elegisti* quasi non idem esset simpl. ut compositum. Vide Phædr. III. 17. 2. Sueton. August. cap. 52. Serv. ad Virgil. Æn. V. 132. Abram. Gronovium ad Justinum III. 3. 8. 'ut uxores legerentur,' ubi eodem modo variatur. Ciaccon. ad Mel. I. 9. Drakenb. ad Liv. II. 1. Male quoque idem cod. *summa* omissa lineola. Aliter 'summa imperii,' 'summa votorum.' Vide Victor. Illustr. VII. 10. et not. ad Plinium Pan. XLIV. 2. Cortium ad Porc. Latron. c. 15. *Arntz.*

§ 3 *Aliter ex fato*] Certe. Non enim omnia hic potest circumspectio humana. Fato providentiæque divinæ magnos Princeps ministros, magnos amicos debet. Neque casus aut sola diligentia Alexandri putandum est, quod Aristotelem præceptorem, quod Parmenionem, Hephæstionem, Clytum et id genus alios amicos habuerit. Deus nasci omnes uno tempore unius in imperio voluit, ut iis fretus ministris tantam rem et aggredi auderet, et posset perficere. Idem de Augusti, idem de nostri temporibus sentiendum est. *Scheff.*

Exceptos habeas] Probe *acceptos*, i. e. fato (ut jam dixerat) oblatos. Patet ex his proxime, 'et illi meruerint teneri.' *Repertos* intellige judicio quæsitos. *Livin.* *Acceptos*, ita tres libri, nam vulgati *exceptos*, quod mutatum ibat Daniel in *excerptos*. Grut.

CAP. XVI. § 1 *Ecquis*] Guelf. *nec quis*. Ita hæ duæ voculæ sæpe librariis displicuerunt. Vide notas ad Plinium Pan. XLIX. § 3. et largissimam copiam talium dedit Draken-

berch. ad Livium v. 36. *Arntz.*

Humilis h. virtus dubiumque an] Ita edidit Parisiensis. Ante legebatur *dubiumque virtus*, ex quo Acidalius fecit *dubiorumque virtus*. Sed Parisinam meus cod. firmat. Porro totus locus ita distinguendus est: *humilis hæc virtus, dubitumque an virtus, judicabatur*. Verbum ad prius, non posterius comma referendum: ut sit sensus: Judicabatur amicitia humilior virtus, quam quæ Principibus competeret. Quare? quia inter æquales saltem amicitia: at Principi nemo æqualis. Deinde quia malorum metu instituitur, sed Princeps, quia potestate summus, habet neminem quem debeat metuere. Deinde ne virtus quidem judicabatur ex nonnullorum mente. Innuit hic disciplinam Aristotelis, qui amicitiam non inter virtutes, sed subsidia et complementa quasi beatitudinis ac felicitatis recenset. *Scheff.* Cod. noster, non quidem magni momenti, sed tamen non aspernenda varietate, in his verbis scriptum exhibet, *humilium hæc virtus*. Schwarz. Pro *humilis* non male Guelf. *humilium*. Phædr. I. 30. 1. 'Humiles laborant, ubi potentes dissident.' Pricæus ad Apul. lib. VIII. p. 405. *Arntz.*

Sed pergulis] Seneca de Benef. VI. 33. 'Nescis quantum sit pretium amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed seculis raram, quæ non alibi magis deest, quam ubi creditur abundare.' Mox *prompserit*, et de Impp. accipio, in quibus sit facilius repertum iri liberalitatis, quam fidei et amicitiæ exempla. *Livin.* H. e. non Principi, sed privatis. Quare? quia palatia extra pericula, ut adulatores nonnulli falso Principibus persuadent. Unde Bocchus ille ad Sullam apud Sallustium: 'Nunquam ego ratus sum, fore, uti rex maximus et opulentissimus privato homini gratiam deberem,' &c. At amicitia non est necessaria, ubi nullus ejus usus, h. e. ubi ope amicitiæ, subsidio, auxilio non est opus. Nam utilitatis causa inventam amicitiam cum vulgo existimant, (vid. Plaut. Stich. IV. 1. Ovid. ex Pont. II. 3.) itaque non amant. Plinius Paneg. cap. XV. 'In Principum domo nomen tantum amicitiæ inane irrisumque.' Sed falsa hæc sententia. Panegyristes idem: 'Plurimis amicitiis fortuna Principis indiget.' Themistius: 'Felix ille et beatus, qui privatus cum sit, amicitiæ boni compos fieri potest. Is vero longe beatior, qui plurimis urbibus, et immensæ alicui regioni præest.' Adde reliqua. Gnomologi dictum est: 'Utilis est privato amicus: regi plus est quam utilis.' *Scheff.* *Periculis*] Quæ adversitas inter *palatia* et *pericula*? Certe a præalustri arce fulmen et pericula proxime absunt a præcipiti. Itaque miror quomodo hoc ut argute dictum laudet Lipsius ad Senecæ Epist. IX. Nimis confidebat acumini nostro: neque enim intelligimus quid velit. Correxerunt alii *dubiorum* pro *dubium*: alii *pagicolis*, vel solum *viculis*, ἀντὶ τοῦ *periculis*. Scribe, *nec palatiis digna sed pergulis habebatur*. Glossarium, 'Pergula, tuguriolum.' Ausonius Epist. ad Theonem: 'Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.' Glossarium Græco-Latinum: καλύβη, *casa, tuguriolum, pergula*. Glossarium aliud Latino-Græcum, *Pergula*, μεσοδμή, ὑπερῷον, στενὸν οἴκημα. Quod Imperator dicit 'ponere casam in litore,' hoc Theophilus, καλύβας ἑαυτοῖς ἐπιτιθέναι. Theocritus locat piscatores ὑπὸ πλεκταῖς καλύβαισιν. Desumsit sententiam ex Plinio: 'Jam etiam et in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum amicitia: cujus in locum migraverant assentationes, blanditiæ, et pejor odio amoris simulatio. Etenim in Principum domo nomen tantum amicitiæ inane scilicet irrisumque mane-

bat.' Scriptum forte olim pro *pergulis*, fuit *perculis:* quod nasuti librarii manus cum non assequeretur, *periculis* reposuit. Id vero adeo non absurdum, ut ex Tucca Placentinus *peculam*, pro *pergulam*, dicere maluerit, cum C pro G uteretur, teste Fabio. *Gronov.* Observ. II. 22. *Pergulis*] Gronovii hæc medela est Observ. II. 22. prave vulgatum *periculis.* Sunt autem 'pergulæ' tuguria h. l. Glossæ Philoxeni, *καλύβη, casa, tugurium, pergula.* Ausonius Epist. IV. 4. 'Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.' *Cellar.* Lipsius ad Epist. IX. Senecæ, vulgatam lectionem tanquam argutam laudat: sed alii mendum ibi latere suspicati, legendum existimarunt, *nec palatiis digna, sed pagicolis.* Nobis neutra, neque ipsius cod. nostri lectio probatur: sed sine dubio Gronovius genuinam lectionem acutissima conjectura assecutus est, qui Observ. II. 22. scribendum suadet, *nec palatiis digna, sed pergulis* (i. e. tuguriolis, et casis privatorum) *habebatur.* Cum vero nulli codd. Mss. quantum constat, hanc emendationem confirment, recte suspicatur Gronovius scriptum forte olim pro *pergulis*, fuisse *perculis;* quod nasuti librarii manus cum non assecuta sit, *periculis* reposuisse. Cod. autem nostrum in initio pro *ecquis*, omisso interrogandi signo, habere *neoquis;* eo magis prætereo, quo minus hanc mutationem ratam habeo. *Schwarz.* Cur non liceat exponere inter privatos tantum etiam amicitiæ cultum prævaluisse, cum amicus amico in foro et accusationibus adesset? *Pericula* enim notant accusationes, quia in iis periculum subitum: adeoque inter privatos consultissimum erat, plurimos habuisse amicos. De ea notione vide Schulting. ad Senec. Contr. I. 7. pag. 118. Freinshem. ad Tacit. Histor. III. 53. et nos ad Plin. Pan. XLV. § 2. Ego vero contra Guelf. potius servo *pergulis*, ut ita magis adpareat oppositio *τῷ palatiis.* Cf. notas ad Sueton. Ill. Gramm. c. 18. Addendus Cujacius Observ. XI. 13. et *pergulas* propius ad hunc locum pertinere constabit ex iis quæ notat Taubman. ad Plautum Pseud. I. 2. 79. Scaliger ad Ausonium Epist. IV. 4. Salmas. ad Vopiscum Saturnin. cap. 10. *Arntz.*

Optimus ille] An Trajanus? ejus enim proprium hoc cognomentum. Non opinor: nisi Plinius composuerit aliqua de eo, quæ in eo non fuere. *Scheff.* An Trajanus, cujus cognomen fuit? an valet indefinite, *optimus quisque* Impp. qui fuerunt? *Cellar.*

§ 2 *Nomen*] Amicitia dicitur *nomen privatum*, quia apud privatos tantum erat cognitum. Plinius Pan. LXXXV. § 1. 'Nomen amicitiæ inane scilicet irrisumque remanebat.' Ovid. Epist. Her. X. 116. 'Nomen inane fides.' Drakenb. ad Silium V. 161. *Arntz.*

Auro] Sic fere Mamertin. Grat. Act. cap. XXIII. 'Tu Philosophiam paulo ante suspectam, ac nedum spoliatam honoribus, sed accusatam et ream, non modo judicio liberasti, sed amictam purpura, auro, gemmisque redimitam, in regali solio collocasti.' Plinius ad Trajanum. Symmach. Ep. IV. 56. *Putean.* 'Solium' enim erat decus regium. Statius Theb. V. 321. 'regno et solio considere patris:' et 'solium regale' dicitur apud Ovid. Fast. VI. 353. ideo 'amicitiam solio recepisse' laudatur, cum reges tales solio secum recipere gauderent, quos magni facerent. Adami Observ. Philolog. p. 40. *Arntz.*

§ 3 *Nomen annus*] Notum ex consulibus denominatos annos. Sed hic observandum, quæ sub Impp. creandorum consulum maxima fuerit caussa: nempe, ut essent, qui annum panderent, quemadmodum inquiebant, vis et imperium aberat. V. Sidon. Paneg. Anthemii. *Scheff.* Annus scilicet nomen adcipiebat a consulibus. Barth. ad Claud. de Laud. Stil. II. 474. Fornerius ad Cassiodor.

lib. XII. pag. 557. Libera repnbl. ita Coss. anno dabant nomen, sub Impp. vero tantum illi, qui initio anni magistratum inibant: qua de re plura in notis ad Plin. Paneg. cap. LVIII. *Arntz.*

§ 4 *Quibus differebatur*] Leg. *deferebatur*. Faber. Quod rectius. Drakenb. ad Liv. III. 9. Tacit. Annal. II. 43. Justin. XI. 7. 13. *Arntz.*

Voluptas cui quum e. d. filii] Arcadius et Honorius. *Cellar.* *Spes* dicitur de homine, a quo meliorem fortunam nobis exspectamus. Silius X. 48. ubi Drak. et inprimis de liberis, qui spem familiæ et reipubl. præbent. V. nos ad Plin. Paneg. cap. XXVI. § 4. Ideo recte addit *oculi*, quasi ornamenta reipubl. Ampl. Cuper. ad Lactantium de Mort. Persec. cap. 8. Justin. V. 8. 4. ' duo Græciæ oculi.' *Arntz.*

§ 5 *Præstitisti*] Cod. Guelf. *præbuisti*, quæ solennis est mutatio. Manut. ad Cicer. Fam. IV. 8. voluit ' præbere ' indicare speciem propensi ad juvandum animi; ' præstare ' vero re ipsa ostendere. Burman. ad Quinctil. Declam. 338. *Arntz.*

CAP. XVII. § 1 *Pirithoi*] Qui Theseum ad inferos secutus est, ut legimus in fabulis. V. Val. Max. IV. 7. Plut. in Theseo. De ceteris adde Hygin. Fab. CCLVII. *Scheffer.* De his Virgil. Æn. VI. 393. Horat. Od. IV. 7. extr. Ovid. ex Pont. II. 3. 43. *Cellar.*

Phocæi juvenis] Pyladem intelligit, Orestis comitem, quem Pacuvius in Comœdia et alii exhibuerunt. Vid. Cicer. de Amic. ubi et de sqq. agitur. *Scheff.* Ovidius ex Pont. II. 3. 43. ' Adfuit insano juvenis Phocæus Orestæ.' Pylades autem est hic juvenis, Strophii Phocensis filius, de quo Cicero in Lælio c. 7. *Cellar.* Quod dicit *scenis decantatum* ad eam formam V. D. in Act. Lipsiens. a. 1726. p. 468. apud Virgil. Æn. IV. 470. pro ' scenis agitatus Orestes,' ' pœnis agitatus ' maluit. Vid. Barth. ad Statium Theb. VIII. 25. *Arntz.*

Phintiam etiam] Libet adscribere annotata Danielis, *Pynthiam* vel *Pinthiam*. Sic scribitur in vet. cod. Ciceronis de Offic. III. et Val. Max. lib. IV. Plut. in Libr. περὶ πολυφιλίας, Φίντιαν vocat, quomodo etiam in quibusdam vett. Ciceronis libris id nomen reperiri testatur Turneb. Adv. XX. c. 13. *Grut.* Cicero de Offic. III. 10. historiam narrat. De nomine *Phintias*, quod *Pythias* vulgo, etiam apud Val. Max. IV. 7. scribitur, vid. Turneb. Adv. XX. 13. et Salmas. ad Solin. c. 5. p. 78. *Cellar.* Recte scribitur, non *Pythias*. Ita tamen vulgato errore Guelf. quod certe ortum, quia nomen *Pythiæ* notius erat. Not. ad Nepot. Milt. I. § 3. et inprimis Davies. ad Cicer. Disp. Tusc. V. 22. *Arntz.*

Morte se vadem] Per *vadem* intelligit illum, qui suscipit aliquem ad præstitutum diem præsto esse futurum. Liv. XXV. 4. V. D. ad eumd. Epit. lib. XLVIII. Comment. ad Caii Institut. lib. II. Tit. IX. § 2. Ideo ' fora ' et ' vadimonia ' junxit Martial. XIV. 135. Cujac. Obs. X. 10. Torrent. ad Horat. Sat. I. I. 2. Manut. ad Cicer. Fam. II. 8. V. D. ad Nepot. Attic. XXV. § 9. Hinc apud jurisconsultos nascitur ' vadimonii deserti actio.' Brisson. de Form. lib. V. init. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 39. Plenius hanc vocem hac notione exponit Bentl. ad Horat. Sat. I. 9. 36. *Arntz.*

§ 2 *Ut hæc*] Minus recte Guelf. *et.* Seneca Epist. LXX. ' ut hoc sit verum,' i. e. si verum credamus. Ovid. Epist. XVII. 121. ' Utque sit hoc verum :' ubi Burm. Porro innoxiæ poëtarum genti ' mendacia ' tribuit, quod illi ex regulis suæ artis faciebant, neque cuiquam inponere conantur sua commenta veritati respondere. Ovid. Fast. VI. 253. ' valeant mendacia vatum.' Huc pertinet, quod addat, *plausus cavearum*. Id.

Caveorum fidem t. d.] Nempe, ut ait Lactantius II. 7. 'Tanta est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse ducatur.' Hinc Arnobius ex talium mente adv. Gent. I. 9. 'Antiquiora nostra sunt, et per hoc fidei et veritatis plenissima.' Sed respondet pulcre, 'quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit.' Nam, ut ait Gnomologus, 'Antiquitati impune mentiri licet.' *Scheff.* 'Cavea' locus erat in theatro, in quo sedebat populus, cum reliqua loca senatui et equitibus essent propria. Hinc 'discrimina ordinum' dicit bene Tacit. Annal. XIII. 54. ubi Lips. et Rittersh. ad Plin. Epist. x. 48. Ideo 'cavea' ponitur pro toto populo. Barthius ad Statium Theb. VI. 654. Lips. de Amphith. c. 14. V. D. ad Petron. c. 15. *Arntz.*

Plus fere filios] Lucian. in Abdic. Καίτοι γὰρ ἡ φύσις τοῖς πατράσι τοὺς παῖδας μᾶλλον, ἢ τοῖς παισὶ τοὺς πατέρας, ἐπιτάττει φιλεῖν. Et paulo post: ἡ (φύσις) τοὺς γεννήσαντας ἕλκει πρὸς πόθον τῶν γεγεννημένων πολύν. *Putean.*

Exonerandam] Quasi scil. pudore adficerentur, ob collata in se beneficia. Hæc melius illustrant Schulting. ad Senec. Contr. XXII. p. 257. et Quinctil. Declam. I. 15. Sidon. Apollin. Epist. VII. 2. 'Oneras consummatissime pontificum verecundiam meam:' ubi Savaro. V. et Juret. ad Symmach. Epist. IX. 44. V. D. ad Vell. II. 124. 3. Eo modo dicitur 'onerare laudibus.' Drakenb. ad Liv. IV. 13. Savaro ad Sidon. d. l. *Arntz.*

Sed reddere] Pro meritis nempe, virtutibusque. Adeo ex beneficiis suis non gloriam et famam aucupabatur, ut non beneficia sed præmia videri vellet. Quanto aliter alii, qui cum debitam mercedem offerunt, imputant et in beneficio reponunt, quod non debito fraudarunt. *Scheff.* Mox pro *tribuis* Guelf. *tribuas.* Arntz.

§ 4 *Amici possent esse*] Balduinus reposuit, *amici debent esse c.* at dico nihil immutandum. Scio enim 'debere' sæpe significare 'posse,' et hæc duo converti. Exempla vid. apud Canterum in lectione. *Juret.*

Amicum tibi esse] Quæ vera boni principis est nota, sicut mox dicemus. *Scheff.*

§ 5 *Præmium spondetur*] Recte cape argutiam. *Redditur*, quibus officium mandatur, *spondetur* aliis nempe sub horum exemplo. Id est, quod Plinius Paneg. ait, 'illis præmia, his exempla,' quem locum huc totum refer. *Acidal.*

Conscientiæ tuæ sufficit] Eumenius in Constant. 'Sibi imputet, quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita judicavit, cum per te liceret ut viveret, tu (quod sufficit conscientiæ tuæ) etiam non merentibus pepercisti.' Paulo post *tamen* recte scribitur, non *tu*, aut *tum*, quorum utrumque ab errore est, qui e compendiis profectus: nam *tñ* librariis *tamen* est. *Livin.* Satisfit enim conscientiæ, quando neminem, qui honorem meretur, studio præteritum esse novit. Observa bonum principem non modo reipubl. sed et conscientiæ suæ caussa viros bonos præmiis honoribusque afficere. Primum, quia justum esse scit, ut quanto quisque melior, tanto etiam sit honoratior, cum gloria et honor dignum sit virtutis præmium. Deinde, quia id honestum sibi intelligit; nam sub bono principe boni cives honorantur: neque certius boni principis indicium, quam si sub eo plurima virtuti merces. Atque hoc est, in quo præter alia bonus differt a malo, qui et ipse honores largitur, sed non ob conscientiam, verum suam ob utilitatem: quo et conspectiorem se faciat multosque devinciat sibi, obnoxiosque reddat. *Scheff.*

CAP. XVIII. § 1 *Tamen dicas*] Leg. *tñ.* i. e. *tamen:* mox *promiseris.* Acid.

Livin. in marg. pro *tu dic*, in suo cod. invenit, *tamen dicas*. Arntz.

Beneficiorum turba] Proprie quidem dicitur *turba* de multitudine hominum, sed etiam usurpatur de copia rerum, Justin. XXXII. 2. 8. et 'turba malorum' Lucan. IX. 495. Barth. ad Statium Silv. II. 9. 44. Cort. ad Plin. Epist. l. IX. ep. 24. 1. Pro *parcior* Guelf. *paucior*, ut sæpe alibi. Drakenb. ad Liv. III. 61. *quid* vero, quod præcedit, ne cui offendere queat, curavit in notis Cortius ad Plinium Epist. VI. 24. 1. 'quid a quo fiat.' *Arntz.*

§ 2 *Quotidie in*] Guelf. *conde*, quod sine dubio ex veteri scribendi ratione, Duker. ad Flor. I. 11. § 2. Dausq. Orthogr. Part. II. p. 263. unde passim in omnibus codd. ea mutatio obvia est. *Idem.*

Memoriam convenimus] Infra: 'Agedum si videtur præteritas cogitationes tuas consule, et vota conveni.' Minucius Felix Octavio: 'Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit, aut credit de cæde infantis et sanguine.' Nonius 'interpellare' exponit. *Livin.*

§ 3 *Delicatior est querela*] 'Delicatiorem' vocat 'querelam,' quoniam non tam ex idonea caussa, quam impatientia humana oritur. Nam ita comparatum est cum omnibus, ut 'æquiore animo feramus præcidi spem nostram quam trahi,' sicut ait Seneca de Benef. II. 5. qui ejusmodi querelas 'ingenuas' appellat, h. e. fastuosæ illius cunctationis insuetas, libertatis etiam in negando amantes. *Scheff.*

Cui Hortensio] Hortensii memoriam laudant Cicero Bruto c. 88. et extreme de Oratore lib. III. Senec. pater Procem. lib. I. Contr. Luculli, idem Cicero Lucullo, Tusculana I. 24. et de Orator. lib. III. de Cæsare adi Plinium VII. 25. *Livin.* Ad Ciceronis locum vide Comment. et Acad. Quæst. IV. 1. *Arntz.*

Reddit omne depositum] Seneca in Procem. Declam. dicit, 'Memoriam suam esse bonæ fidei, et quæcunque apud illam aut puer aut juvenis deposuerit, sine cunctatione proferre.' *Puteanus.* *Mens tua? loco:* disting. *quam tibi sac. m. tua loco m. q. i. r. e. depositum?* Acidal.

§ 4 *Fata cum tabulis*] Vid. Lucian. et Turneb. Adv. XXVII. 3. *Puteanus.* Simile quid apud Martian. Capell. lib. I. ubi 'Parcas librarias superum et Jovis sententias excipere' ait. *Jur.* Pertinent huc Euripidis versus Menalippa qui apud Stobæum Hologis Physicis exstant sermone VII. Δοκεῖτε πηδᾶν τ' ἀδικήματ' εἰς θεοὺς Πτεροῖσι κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς Γράφειν τιν' αὐτὰ, Ζῆνα δ' εἰσορῶντα νιν θνητοῖς δικάζειν; Οὐδ' (*f.* ὁ πᾶς οὖν) ὁπωσποῦν οὐρανὸς Διὸς γράφοντος τὰς βροτῶν ἁμαρτίας Ἐξαρκήσειεν οὐδ' ἐκεῖνος ἂν σκοπῶν Πέμπειν ἑκάστῳ ζημίαν. Ἀλλ' ἡ δίκη Ἐνταῦθά που (*f.* 'στίν) ἐστιν ἐγγὺς εἰ βούλεισθ' ὁρᾶν. *Scelera putatis alite in cœlum fuga Librata ceris quamlibet capacibus Jovis inarari, queis Deum inspectis sator Merita rependat? Omne nec cœlum* (*reor*) *sat innotandis patuerit nefariis. Nec ipse lustrans arbiter suffecerit Pœnis nocentem Juppiter. Sed indidem juxta in propinquo est pœna, sultis, cernere.* Propius de Fatis testimonium nunc quidem non est ad manum. *Livin.* Martianus Capella lib. I. pag. 2. 'Quidquid Jupiter ex prompta sententia Parcarum pugillo asseverante dictaverit, delinitus suadæ conjugis amplexibus jussuque removet:' et p. 12. 'Sententias Jovis orthographæ studio veritatis excipiunt, utpote librariæ superum, archivique custodes.' Forte hæc est causa, quare literas invenisse dicantur. V. Hygin. Fab. 277. *Scheff.* Pluribus Barthius ad Statium Theb. I. 213. *Arntz.*

Re sancias] Male fecit Guelf. cum unam vocem ex duabus faciat, *resarcias:* quod quidem nihili est. Solummodo ex eo patet, bene opponi 'res'

et 'verba,' ut apud Justin. IX. 4. 10. unde clarus est lapsus editoris apud Phædr. II. Prol. vs. 7. 'Re commendatur, non auctoris nomine.' *Arntz.*

CAP. XIX. § 1 *Vota hominum fatigare*] Eleganter, in respectu nempe aulicæ calliditatis, ubi usitatum artificium, negare nihil, sed differre, et spem mora enecare. Scilicet negare turpe, quasi non possis, aut non velis. Dare autem omnibus promiscue anceps et fortasse periculosum, certe gravitati adversum. Igitur media initur via. Spe fatigantur, quibus palam negare nihil volunt. *Scheffer.*

Artem difficultatis] Sic Mamertin. Gratiar. Act. cap. XVIII. 'Suspendisses benevolentiam tuam, et tuæ isti in me liberalitati contra mores tuos artificii aliquid addidisses.' *Putean.* Pulcerrime. Revera enim inter artes est, et quidem eas, qua gratiam beneficiis suis quærunt. Plinius cap. XCI. 'Beneficiis suis commendationem ex difficultate captant, gratioresque accipientibus honores arbitrantur, si prius illos desperatio, et tædium, et similis repulsæ mora, in notam quandam pudoremque vertisset.' Sed et ambitioni suæ ita consulunt, 'ne minor sit rogantium turba,' sicut ait Seneca de Benef. I. 5. Verum tali arte bonus princeps non utitur. Novit enim nihil magis convenire sibi, quam ut promissa servet: nec utilius esse, quam ne dilatione ingrata faciat beneficia, atque ita 'manum afferat suis beneficiis, ostendatque, quod est pessimum in liberalitate, illibenter se fecisse.' Vide Senecam d. l. Æmil. Prob. Vita Cimonis. Cassiodor. Epist. III. 40. Imo etiam ne forte timorem suum prodat. Nam negare nulli, quid est aliud, quam cunctis obsequi? qua re nihil magnitudini principali magis derogare potest. *Scheff.* Cod. Ms. pro vocabulo *artem,* habet *partem.* Non inepte quidem dicerentur principes et aulici *partem difficultatis* adhibere, sive adjicere muneribus suis, qui crebrius volunt rogari et beneficiis suis commendationem ex difficultate captant; sed tamen nescio, quomodo vulgata lectio ingeniosius illam *artem difficultatis* nominet. *Schwarz.* Male Guelf. *partem.* Ea ratione 'artem crudelitatis' dixit Quinctil. Declam. XVIII. 11. et quæ de hac re ad Plinium Paneg. XCI. sunt disputata. 'Difficilis' porro is dicitur, qui non facilis aliquid concedit, sed duras aures precibus præbet. Horat. Od. III. 7. 32. 'difficilis mane.' Est enim compositum a 'facilis,' quod notat hominem, qui facile potest permoveri, ut aliquid largiatur et faciat. Liv. VIII. 34. V. D. ad Virgil. Ecl. III. 9. *Arntz.*

Reddat ingratis] Cassiodor. Epist. IX. 24. 'Habet hoc humana conditio, ut celerius adepta fastidio sint, dum omne pretiosum vilescit oblatum; et contra dulcius accipitur, quod sub aliqua dilatione præstatur.' *Scheff.*

Proinde lætitia] Sic aliquoties expressit Livineius pro eo, quod vulgo scribimus *perinde:* neque tamen ullibi prompsit, quod sciam, rationem. Id semel monendum putavi. *Gruter.* *Proinde* Livineii editio, quam Parisiensis sequi amat. Meus, *perinde lætitia, aut dolor:* quam lectionem reliquis præfero. *Scheff.* Codex noster pro particula *proinde* hoc loco elegantius scriptum refert *perinde.* Schwarzius.

§ 2 *Pietatis notissimæ mater*] Vide Livium XXII. 8. Valer. IX. 12. qui tamen id post cladem ad Thrasimenum auditam contigisse scribunt. Pacatus autem secutus est Plinium VII. 53. *Putean.* Valer. Maximum lege IX. 12. Plin. VII. 53. Agellium III. 15. De eadem, ut puto, hæc incerti apud Senecam Patrem Controv. VIII. 1. 'Fertur quædam viso contra spem filio expirasse.' *Livin.* Adde Livium XXII. 7. et Sil. Ital. *Scheffer.* V. ad Plin. Pan. cap. II. § 2. *Arntzenius.*

Quem flebat] *Quæ flebat:* bene Bongarsius, *quem flebat*, et sic visitur in cod. monasterii Bertiniensis. *Gruter.* Edit. anni 1476. Rhen. *quæ flebat*, et Livin. nisi quod in margine adposuerat *quem.* Pro *flebat*, Barth. ad Claudian. Bell. Gild. vs. 7. scribit *deflebat;* sine necessitate, cum 'flere' idem sit quod 'deflere.' Virgil. Ecl. v. 21. Ovid. Amor. I. 12. 2. Confer quoque de hoc loco Barth. ad Claud. l. l. et Clariss. Haverk. ad Oros. III. 10. *Arntz.*

In mortem] Ea præpositione causa mortis exprimitur. Cicer. ad Attic. xv. 15. Huic opponitur 'ultra mortem.' Flor. II. 7. 10. *Idem.*

Orbitati] Proprie hanc vocem adhibet, cum dicatur de parentibus, qui liberis spoliati sunt. Ovid. Epist. VI. 156. 'Da totidem natis orba sit, atque viro.' Ibide vs. 268. Barth. ad Stat. Theb. VIII. 277. *Idem.*

Conscius igitur cælestis] Vult, opinor, principem suum homine relicto Deum quendam in terris agere, compotem cœlestium et quæ propria Deorum supra naturam evasisse, καὶ τῶν φυσικῶν ἄνω γενέσθαι novo invento genere liberalitatis, quo tempus retraheret, quod natura subduxerat. Pudet tam projectæ adulationis in Christiano principe, qualis et superior illa, *majestatis tuæ participi Deo.* Livin. Alii aliter hunc locum intelligunt. Ego puto his verbis respexisse ad superiora illa, *de summo purissimæ mentis candore:* perque *conscium cœlestis arcani* intelligere eum, qui novit et intelligit conditionem numinis, benignitatem, puritatem, fidem: atque ad exemplum illius se mentemque suam componit, pariterque, ut illud, nil promittit, quod præstare non velit. Per *conscium* vero *naturalium depositorum* eum, qui humani animi infirmitatem scit, ideoque nihil facit, quod adversum illi esse queat. Quod profecto utrumque in bono principe laudandum. Nec merebatur, ut opinor, orator reprehensionem, quam a Livineio hic audire cogitur. *Scheff.*

Naturalium depositorum] Id est, arcanorum, et causarum abditarum. Sic 'repositum' infr. c. XXI. 'Repositum Palatinæ ædis inclusos tanquam aliquod vestale secretum,' &c. *Putean.* Leg. *arcani et naturalium repositorum.* 'Reposita,' id est, secreta, arcana. Sic inferius: 'Nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos tanquam aliquod vestale secretum veneratio occulta consuluisset.' *Acidal.* Argute 'deposita' vocat caussas abditas, eaque quæ omnibus obvia sunt, et paucorum quasi fidei concredita, ut pluribus explico in Suspicionibus. Haud tamen contemnenda hariolatio Danielis censentis forte etiam legendum *sepositorum.* Nam 'sepositum' et 'reconditum' sæpe conjungi Tullio; sed nec idem abhorret ab *repositorum*, quomodo locutus infra mox: 'nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod vestale secretum.' *Gruter.*

§ 3 *Securum*] Pricæus ad Apul. Met. v. p. 266. vult scripsisse *secuturum*, ex his verbis Apul. 'futuri temporis gloria.' Horat. Sat. I. 5. 101. 'didici securum agere ævum.' Lucan. VIII. 242. 'dominis securius ævum.' Burm. ad Ovid. Trist. II. 257. Patet clarius apud Justin. XXXIX. 4. 3. 'securam ac tutam vitam egit.' *Arntz.*

Promittendo præstanda] Recte *præstanda:* nam et alii principes promittebant. Sed quia sæpe non præstabant, quod promisissent, verum spe exspectationes eludebant, accidit, ut ne ii quidem, quibus præstabant, ante gauderent, quam promissa essent adepti. Tantum potest fides principum dubia vel certa, ut, quæ ipsi pro beneficiis habent, sæpe exspectantes pœnam puteut, quæque ipsi

non habent pro beneficiis, sæpe exspectantes summo gaudio adficiant. *Scheff.*

Cap. xx. § 1 *Bonorum loca*] Leg. *honorum loca.* Sic Mamert. Grat. Act. Jul. pro Consul. c. xxii. Semel atque iterum *honorum* in *bonorum* depravatum fuisse reperias. *Rittersh.* Legendum est *honorum:* ita enim Rittershusius quondam conjectavit et diserte meus præfert. *Scheff.* *Honorum* quoque Guelf. 'Honor' enim de omnibus dignitatibus, et magistratibus accipitur. Barth. ad Claudian. Consul. Manlii Theod. vs. 58. et ad Stat. Silv. i. 2. 232. V. D. ad Vell. ii. 18. 2. ii. 116. 5. et 124. 3. Mox Guelf. *diffusam*, ut ad mentem referatur, et pro *tuam*, profert *etiam*. Arntz.

Dignatione es solatus] Per *dignationem* titulos intelligit, et insignia seu ornamenta, quæ nonnunquam data iis, qui non statim ad honores ipsos promoveri possent. Rem Julius instituit. Nam cum haberet multos, qui per bella civilia res ipsius varia opera promovissent, neque omnes consules vel prætores facere aut posset aut vellet, dedit eis ornamenta consulum. Sueton. in Vita ejus c. 76. 'Decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit.' Sic apud Tacitum Annal. xii. 21. legimus 'Neronem procuratori suo consularia insignia, Aquilæ prætoria decrevisse.' Idem alibi factum videas ut xiii. 10. xvi. 17. *Scheff.* Titulis, ornamentis. *Cellar.* Forner. ad Cassiod. Var. Epist. xii. 9. p. m. 559. Savar. ad Sidon. Epist. i. 9. Juret. ad Symmach. Misc. Epist. ix. 63. et not. ad Plin. Pan. xlvii. § 1. Inverso ordine *solatione dignatus es* Guelf. Intelligit autem ornamenta consularia. Sueton. Cæs. c. 26. ubi V. D. Guther. de Offic. Dom. Aug. ii. 5. Tacit. Hist. iv. 4. *Arntz.*

§ 2 *Mensa*] Hic quoque præcipuus censebatur honor, adhiberi principis mensis, et ad convivium invitari, quasi illæ essent, ut dicebantur, sacræ cœnæ. Barth. ad Stat. Silv. iv. 2. 5. et Forner. ad Cassiod. Epist. vi. p. m. 559. Hac autem familiaritate commendare se studebant civiliores principes, qua de re plura Barth. ad Claud. de Laud. Stilic. ii. 167. Lips. Elect. ii. 6. *Idem.*

Osculo consecratus] *Consecratus* dicit, quoniam ille honor summus habebatur, a principe accipi osculo, qua parte ipsi præiverat optimus principum apud Plin. Pan. xxiii. § 1. ubi plura. *Idem.*

Te Principe sibi] Meus habet *Principem.* Sed præfero vulgatam. Intelligit autem viros bonos, quos ait Theodosio principe sibi jure confidere. Nempe tales sub bono principe fidere sibi possunt, id est, petere honores dignitatesque aut accipere: et jure possunt, quia boni sunt, ac proinde principi bono grati ac accepti. Cæteri non possunt, metu ne deprehensis eorum sceleribus aut vitiis vel repulsam ferant, vel pœna etiam afficiantur. Plinius de Trajano: 'Amas constantiam civium, rectosque ac vividos animos. His honores, his sacerdotia, his provincias offers, hi amicitia tua, hi judicio florent,' &c. *Scheff.*

Clara] Guelf. *clarus in.* Captavit potius elegantiam ex oppositione 'clari' et 'rari.' Similia vide ap. Savar. ad Sidon. Apoll. Epist. vii. 2. et V. D. ad Ovid. ex Pont. ii. 3. 45. *Arntz.*

§ 3 *Felicium pedissequa*] Similia plurima loca reperias apud auctores. Exemplum est non incongruum in Clearcho, de quo Justinus xvi. 5. 'Ex successu continuæ felicitatis obliviscebatur se hominem.' *Scheff.*

Pertæsum est] Suspecta mihi et insuavis tam vicinæ ejusdem vocis *semper* repetitio. Itaque hic delebam,

ac fidentius adeo e curta, quam exhibemus, scriptura. Quam equidem non sum nescius τοῖς ταχυγράφοις valere, *semper* sed iteratam vitio putavi ab extrema ante littera, et primore post syllaba (nam profecto *p* ad longum *per* est, ut alibi monemus) conjectura, ut tum videbatur, minime pœnitenda. Nunc testificor in B. exerte hic abesse. Statim *ipsum illum Tarquinium* placet utrumque prænomen, ut infra: 'Ipse ille rex ejus dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem.' Iterum, 'Ut decertaturus cum ipso illo Hannibale viderenis.' Rursus, 'Ipsum illum vexillarum sacrilegæ factionis avidis gurgitibus absorbuit.' *Livin.*

Servitute contemtum] Ita fere solent magni animi, nec quidquam ferunt difficilius, quam contemptum. Apud Senecam legimus Consol. ad Helv. c. 13. esse, 'quibus contemptu nihil gravius, mors ipsa potior videtur.' *Scheff.* Propria autem addit epitheta 'Tullo Bellatori' et 'Numæ sacrifico,' ut Lucan. IX. 478. 'Sacrifico cecidere Numæ.' 'Romulum' quoque ita 'conditorem urbis' dicit, ut pergat cuilibet regi addere aliquid, quo potissimum censeretur, ut Flor. I. 1. 1. 'Urbis et imperii conditor Romulus fuit.' Quod pergit *regnum odisse usque ad nomen* pertinet, quod Romæ post semel ejectos reges id nomen admodum fuerit invisum. V. D. ad Rutil. I. 555. et Freinsh. ad Flor. III. 16. 4. *Arntz.*

§ 4 *Vocaverunt Superbum*] Aliter hoc agnomen, quam hic noster, premit Cicer. Philipp. 3. Verba hæc sunt: 'Atque ille, quem majores nostri non tulerant, non crudelis, non impius, sed superbus est habitus et dictus. Quod nos vitium in privatis sæpe tulimus, id majores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt.' *Livineius.* Malim *ut* et *vocaverint.* Acidalius. Vide not. ad Vict. III. c. 8. *Arntz.*

§ 5 *Per rerum naturam*] Similis locus apud Claudianum: 'nunc Brutus amaret Vivere sub regno tali: succumberet aulæ Fabricius: cuperent ipsi servire Catones.' *Putean.*

Adsertor] Merito eo decoris titulo ornavit Brutum, qui reges ejicere et Romanam libertatem adserere primus fuit ausus. 'Adserere' de omnibus, qui in libertatem reducuntur, unde 'adsertores' sunt vindices alienæ libertatis. Donat. ad Terent. Adelph. II. 1. 40. Sueton. Claud. c. 10. Sciopp. Infam. Fam. p. 178. et Barth. ad Stat. Theb. XI. 218. Ex voce autem *convicium* defendi debet scriptura apud Propert. III. 9. 48. 'Nomine quem simili vita superba notat:' non 'vocat.' *Arntz.*

Parsimoniæ, humanitatis] F. *verecundiæ.* Hic ordine hæc opponantur illis, quæ supra de Tarquinio retulit: 'Hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate.' *Virtus*, alii *virtutis.* Acidal.

Petitorum comitate] Forte legendum *prætorum comitate.* Plin. ad Trajan. 'Vos mihi in tribunatu quietis, in prætura modestiæ.' *Putean.* *Petitorum* recte legitur, et temere Balduinus edidit *prætorum.* Graphice de candidatis Mamertinus in Julianum: 'Tributim homines atque etiam singuli salutandi, prensandæ obviorum manus, omnibus arridendum, non solum cum infimis sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda.' Plura, ut in re nota et perspicua, non addo. *Livin.*

Mutaret] Quia iniquissimam facile intelligeret. Pertinet huc suo modo Livii judicium de re eadem, quod est II. 1. 'Pessimo publico id facturus fuit Brutus, si libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset.' Nam quemadmodum id antea non nisi malo publico facturus fuit, ita postea quoque, cum boni principes imperarent, qui urbem bonis legibus institutisque conservabant. Nimirum nemini vir bonus sublatum vult imperium, nisi ei,

qui imperio per scelera quæsito ad perniciem suorum civium utitur, vel, ut uno verbo dicam, qui sic vivit, ut Tarquinius vixit: libertatemque, quam amat, æque magnam esse novit bonis sub bono principe, quam sub contentiosis consulibus: denique, ut noster ait, Tarquinios submovendos censet, non regnum. *Scheff.*

§ 6 *Probaret, meliore*] Tolle distinctionem post *probaret*. *Probaret in meliore statu esse*, id est, inveniret, experiretur. Sic f. Satyra Sulpitiæ: 'An frustra uxori mendaxque Diespiter olim Inperium sine fine dedi dixisse probatur.' *Acidal.*

Consule se] Certe: nec ipso modo, sed et cæteris. Nam a Bruti temporibus inde quis status Romæ fuit sub consulibus? Primum plebs suspicionum plena nomen, domos, imperia consulum exagitabat, patres plebem bellicis laboribus exhauriebant sumptibusque. Plebs oppressa ære alieno patrumque vinculis adstricta moliebatur seditiones, faciebat secessiones, donec obtineret suos tribunos. Hi lege Agraria et de connubiis opes patrum et auctoritatem subvertebant. Patres contra faciebant decemviros. Plebs consules plebeios ac tribunos militares: durabantque hæc dissidia, usque dum exorirentur Gracchi et Sullæ et Marii et Pompeii Juliique, qui imperium inquietissime se habens sub consulibus corrigebant, et potestate regia in tranquillitatem pristinam reducerent. Et nisi subinde gravia intervenissent bella metusque ab exteris, qui male cohærentes istas inter se reip. partes nonnunquam ad concordiam impellerent, nunquam tanto tempore potestas illa consularis duravisset. Tam misera fuit libertas illa, qua Romani tantopere gloriantur, ut domi non haberi posset, nisi per injurias exterorum: manetque verum nullam certiorem melioremque, quam sub bono principe, esse libertatem. *Scheff.*

CAP. XXI. § 1 *Sed quod facere*] Adstruit hunc morem testimonio Addonis Treverensis ad Sidonii Epist. I. 5. Savaro, ubi pariter illius mentionem fieri videmus. *Scheff.* Ejus consuetudinis exemplum exhibet Cebes in Tabula init. et dona dicata illi Deo, quod frequentis erat usus. Achill. Tatius Erot. p. 5. Heliodor. Æthiop. lib. VII. p. 314. Lucian. Tox. p. 35. et 37. ed. Græv. V. D. ad Silium III. 32. et seqq. V. D. ad Virg. Æn. I. 456. *Arntz.*

Dicata] Propria sunt verba 'dicare' et 'dedicare' de talibus rebus, quæ in honorem Deorum constituebantur. V. ad Plinium Epist. IV. 1. 5. et ad Plin. Paneg. XVI. § 1. et iis templis oscula dare, et quasi sacra quadam veneratione solebant excipere. Savar. ad Sidon. Apoll. Epist. I. 5. *Arntz.*

Ambulacra] Post hanc vocem vetustissime editi interserunt *et claustra*, ut editt. anni 1476. Rhen. et sequiores. Scilicet eam vocem necessariam requiri monachus scriba censuerat, ut sic ordini suo dignitatem, et meritum honorem adsereret, ne inter præcipua urbis et pietatis decora negligerentur monasteria, quæ eo nomine passim in script. medii ævi designantur, unde invenies, 'Claustra canonicorum, clericorum, monachorum.' Nec necesse habemus talia testimonia adponere, cum abunde satisfaciet Du Cange ea voce. Sed bonum factum! de hisce ineptiis ne cogitavit quidem Pacatus, cujus ingenuitatem defendunt scripti codd. Erant quidem olim collegia monachorum, sed illi ab omni usu hominum remoti loca solitaria captabant, nec tanto ibi cum splendore et luxu sese oblectabant. Vide Sitzm. ad Rutil. I. 439. Savar. ad Sidon. Epist. II. 2. Unde vix dubium, quin petita sit nostra lingua *klooster*. Illa *ambulacra extenta* dicit *porticibus variis*. Fuerunt porticus fere adjunctæ talibus ambulacris. Barth. ad Stat. Achill. II. 71. V. D. ad Petr. c. 29. *Idem.*

Facientia] Nost. cod. pro participio *facientia* belle refert *patientia:* continuat enim Panegyristes metaphoram ab ædificiis ad publicos usus patentibus petitam, qua proxime usus erat. Neque nisi per ταυτολογίαν dicturus fuisset, *ad publicos usus facientia in commune conducere.* Deinde noster cod. non *partim*, sed *parti* scriptum exhibet, idque satis opportune. Pacatus enim non ita laudat Theodosii virtutes resque gestas, quasi partim sive ex aliqua parte prosint, partim noceant; verum eas nunc commemorat, quæ non *parti*, sive quibusdam tantum hominibus, sed omnibus in commune conducant. *Schwarz.* Nemo facile hanc scripturam damnaret, non tamen de nihilo cod. Guelf. *patentia.* Sed nulla ratio videtur cur *facientia* rejiciamus, cum 'facere' dicatur de omnibus rebus, quæ prosunt, et aliquam utilitatem adferunt. Ovid. Epist. Her. II. 39. ubi plura Heins. et Drakenb. ad Liv. XXVII. 10. Quinctil. Inst. VI. 1. 'in commune profutura.' Tacit. Annal. XV. 14. Hist. I. 85. Ad hæc *parti*, pro *partim*, est in Guelf. quod recte; quamvis *partim* etiam simpliciter ponatur, licet non insequatur aliud membrum. Cato de Re Rust. c. 5. ubi consule Interpr. Cicer. pro Cluent. c. 32. et sic nihil mutandum apud Quinctil. Declam. X. 17. V. quæ dixi ad Vict. Ill. c. 31. et ad Plin. XXXIV. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Velut primum, id est*] Distingue, *velut primum, id est,* (*ne statim summa capiamus*) *quod. Populi* pro multitudine sæpe in his scriptoribus: et 'fateri se alicui' dictum sic ut alias 'negare.' *Acidal. Primum illud est*] Ita meus, et quem secuta est Parisiensis: veteres, *velut primum id est ne statim.* Cæterum hic novum caput laudis inchoat orator, ab humanitate et facilitate principis. *Scheff.* Pejus Guelf. *capiamus.* 'Captare' enim est summo studio aliquid cupere, conari. Virgil. Ecl. II. 8. Ovid. Heroid. Epist. XVII. 262. Justin. XXV. 3. 8. Ideo huc pertinet, quod sequitur, *fatetur*, quod accipiendum de actionibus, nullo testimonio accedente. V. Schult. ad Senec. Contr. II. 11. p. 153. Senec. Herc. Fur. vs. 811. Juven. Sat. II. 17. 'vultu morbum incessuque fatetur:' ubi Grang. *Arntz.*

Exspectantibus populis] Sic supr. 'Neque enim quia se divina mortalibus dedignantur fateri.' *Putean.* Xenophon de Agesilao: Τῷ ἀεὶ ἐμφανὴς εἶναι ἠγάλλετο, νομίζων, αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τὸ δὲ εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν. *Delectabatur eo, quod semper hominum in conspectu versaretur. Existimabat enim decere vitam facinorosam ac turpem, ut in obscuro lateret; honestæ vero lucem ipsam majus ornamentum conciliare.* Scheff.

Facilis] De tali, qui non cum fastu admittit, adeoque 'duro' opponitur. Ovid. Her. XII. 84. V. D. ad Virg. Ecl. III. 9. Nep. Attic. XV. § 1. 'gravitas sine facilitate.' Quare non facerem cum Pichena ad Tacit. Annal. VI. 15. pro *facilitate* substituente *felicitate:* cui accessit quoque ad eum locum Freinsh. et Gronov. ad Senec. de Benef. II. 1. Quamvis tales mutationes sint obviæ. V. ad Plin. Pan. LXVI. § 3. Drakenb. ad Liv. XXIII. 11. Eo modo 'facilem aurem præbere' dicitur, qui admittit talia, quæ petuntur. Grang. ad Juven. Sat. III. 122. *Arntz.*

E proximo] Non per interpretes aut internuncios, exemplo Augusti, de quo Sueton. cap. 53. 'Promiscuis salutationibus admittebat et plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.' Est hæc una ex iis artibus, quibus summum sibi princeps apud suos cives comparat amorem. Nam cum

nihil homines ferant gravius, quam si fraudentur eo, quod jure sibi censent deberi, non possunt non vehementer lætari, si cuique jus suum tribuatur. Itaque hæc cura, in commune gratum cunctis facit principem. At longe gratiorem, si ipse curam illam subeat, quoniam se quisque gaudet tanti fieri a principe. Quamquam non amorem modo princeps isthac arte sibi, verum etiam auctoritatem maximam conciliet, dum et pravis ministrorum cupiditatibus it obviam, et se ipsum gerendis negotiis parem demonstrat. *Scheff.*

Ut sui numinis] Legendum, *tamen visi numinis:* ut jam pridem docui ad Symmach. Epist. II. 8. *Juret.* Locus hic diu multumque frustra me fatigavit, sed præivit ad verum scripta lectio: unde eruebam (ut mihi videor) belle, *visi Numinis.* Ait consultorem, qui repulsam meruerit, hoc solum solatii referre, aspectum numinis. Mox *aliud secretum* non ausim damnare et *aliud* pro *alterum* dixerit, quod Græci δεύτερον· ut *aliud cælum* Statio est templum Flavium Abascantii in Priscillam Pietate, Silv. V. 1. 241. 'inque alio posuit sua sidera cælo.' Nam 'sua sidera' suos appellat, jam consecratos, et Divos Vespasianum patrem, Titum fratrem, Juliam sororem, filium ex Domitia. Proxime 'solitudo provisa,' id est, quæsita et captata, quod Domitiano studium. Sueton. cap. 18. Plinius Panegyrico. *Livin.* *Sui numinis*] Leg. *visi numinis.* Acid. Sic proxime Mss. duo, nempe; *ut si numinis,* quod omnino nihili est, a quo tamen longius abiere vulgati, in quibus, *ut sui numinis.* Hoc quod expressimus, ipsamet flagitat sententia. *Gruter.* Meus et optimi quique Livineii ac Gruteri habent *ut si,* ex quo illi fecerunt id, quod in textu retinuimus. *Scheff.* Olim edit. 1476. Rhen. Bald. et alii habent *ut sui.* Sed melius *visi* defendit Juret. ad Symmach. Epist. II. 8. p. 79. ed. minor. et Epist. X. 21. Ita scilicet solebant illis temporibus, cum adulationibus principum non statueretur modus, ipsis honorem numinis tribuere, id quod jam ab Augusto cœptum. Flor. IV. 12. 66. Spanhem. de Us. Numism. Dissert. III. n. 3. p. 141. *Arntz.*

§ 3 *Quam alter*] Ita omnes quotquot vidimus. Sed perperam. Non alter ille mos fuit, sed diversus. Expresse meus et rectissime, *at quanto aliter illorum p. m. f.* *Aliter* fuit mos iste, hoc est, alius diversus fuit. *Scheff.* Sic expresse cod. Scheff. Vulgatum inepte *alter.* Cell. Guelf. *quanto aliter:* et pro *quos loquar, quod loquor.* Puto, elegantius locutus est Plinius in Paneg. cap. XX. § 4. 'quam dissimilis alterius principis transitus.' In minuta dignitate secutus est sententiam Sardanapali, qui neminem ad se videndum admisit: de quo plura huc facientia legi possunt apud eos, quos adtulerunt V. D. ad Justin. I. 3. *Arntz.*

Inminui] Ex sententia Persarum barbarorumque, apud quos 'persona regis sub specie majestatis occulitur.' Justin. I. 9. Sed magis est ut fastum arrogantiamque censeamus, qua sibi princeps invidiam potius contrahit, quam autoritatem. Vidit Alexander Severus: 'Itaque cum ei objicerent nimiam civilitatem et Mammæa mater, et uxor Memmia, et sæpe dicerent, molliorem tibi potestatem, et contemptiorem imperii fecisti, ille respondit, sed securiorem, atque diuturniorem.' Lampridius in Vita ejus. *Scheff.*

Vestale secretum] Non ignem intelligit, sed alia quædam sacra recondita, neminique nisi virginibus et æditnis nota, de quibus præter Dionysium Halicarnassensem, etiam Plutarchus testatur in Camillo. *Scheff.* Spectat quod omnibus maribus interdictus esset ad eam Deam aditus. Lips. de Vest. cap. 8. et Juret. ad Symmach.

Epist. IX. 99. *Arntz.*

Intra domesticam] Quod sine dubio est scelerati principis, maleque sibi conscii, ac ideo timentis. Plinius de Domit. cap. 48. 'Non adire quisquam, non adloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem.' *Scheff.*

§ 4 *Tensisque*] Ad invidiam et exprobrationem superbiæ. Est enim 'thensa' proprie Asconio Pediano teste (III. contra Verrem) 'sacrum vehiculum, quo utebantur in pompa hostiisque deducendis.' Hujusmodi 'thensa' Cæsar Julius primum instituit, ut simulacrum suum duceretur in pompa Circensi, teste Sueton. c. 76. Postea major majorque imperantium arrogantia invenit, ut ipsi istiusmodi vehiculis uterentur. *Idem.*

Circum supraque] Ut intelligas non ad magnificentiam, sed tutelam et securitatem factum. O vanum præsidium! 'Frustra enim se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit,' ait Plinius cap. XLIX. 'Hæc est vitæ sine metu degendæ præsidium firmissimum.' Cicero de Finib. lib. I. Adde Senec. in Octav. vs. 458. et alterum Senecam de Clement. I. 12. et alibi. *Idem.*

Otiosa] At quomodo *otiosa*, si plebem verbere removeret, quod præcipuum munus lictorum, ut viam facerent venienti magistratui? Lips. Elect. I. 23. Veram scripturam servavit Guelf. *odiosa*, quod facit ad acerbandos animos. Hoc idem Ovid. Trist. V. 6. 32. 'Virgaque cum verbis imperiosa facit:' unde Plinius Paneg. XXIII. § 3. 'Silentes quietosque lictores;' ubi eodem modo 'otiosa' citat Lips. 'Submovere' vero proprium verbum lictorum, qui obviam turbam repellerent et monerent, ut venienti magistratui darent viam. Grang. ad Juven. Sat. III. 124. Horat. Od. II. 16. 9. 'Neque consularis Submovet lictor miseros tumultus:' ubi plura Torr. Senec. Epist. XCV. et Drakenb. ad Liv. XLV. 29. Plinius Paneg. LXXVI. § 8. ubi alia. Fest. in voce 'Matrona:' 'Matronæ a magistratibus non submovebantur.' Sueton. Claud. cap. 10. Ita in usu venit 'submovere' pro repellere. Heins. ad Ovid. Trist. III. 4. 41. et Savar. ad Sidon. Epist. I. 2. *Arntz.*

§ 5 *Spectandus affertur*] Leg. *offertur.* Fab. Suspicantur Daniel et Livineius *offertur*, et melius est, etsi tamen non dissimulo locum egregie se habiturum quoque, si vox illa tota deleretur. *Gruter.* *Affertur*] Ita omnes. Suspicati sunt Daniel et Livineius *offertur:* quam suspicionem quia meus palam confirmat, puto omnino retinendum esse. *Scheffer.* *Affertur* vitiose antique editi anni 1476. Rhen. et ceteri. 'Offerre' dicuntur illi, qui non data occasione et ultro adveniunt. Virgil. Ecl. III. 66. 'At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas.' Æn. I. 450. Ovid. Metam. I. 644. Senec. Octav. vs. 116. Drakenb. ad Liv. XL. 54. *Arntz.*

Diem atque solem] Jungit quasi supervacua *solem* et *diem;* cum tamen 'soles' ponantur pro ipsis diebus, quibus causam præbent. Serv. ad Virg. Ecl. III. 52. et Æn. I. 749. V. D. ad Nemes. Ecl. II. 25. Barth. ad Stat. Theb. V. 460. cum Torrent. ad Horat. Od. IV. 5. 8. *Idem.*

Cum vicinum] Juvenal. Sat. XI. 'voluptates commendat rarior usus.' *Livin.*

Numquam iste] Nunquam ipse, nunquam boni principes. Non tam vilis magna virtus est, ut possit unquam obsolescere. Imo contra, quo frequentius cernitur, quo propius inspicitur, hoc magis intelligitur æstimaturque: quia, quam Agesilai sententiam fuisse diximus, lux ipsa illi majus ornamentum conciliat. Itaque quod vulgo præcipiunt de vitanda frequenti cum aliis conversatione, ad eos magis pertinet, qui metuunt intimius cognosci, verenturque, ne fami-

liaritas male tectum animum aperiat et prodat. Nam 'veritas visu et mora falsa incertis valescunt.' Tacit. Annal. II. 39. *Scheff.*

Novum dictu] Legit Guelf. *mirum*. Scilicet id sapit Gloss. manus, cum *novum* exponere voluisset per *mirum* et quod antea non fuisset auditum. Ita Virgil. Ecl. III. 86. 'Pollio et ipse facit nova carmina:' ubi cf. V. D. et Stat. ad Tibull. I. 2. 1. Jungit ideo has voces 'novum' et 'mirum' Gell. XVI. 19. Barth. ad Stat. Theb. VIII. 101. et ad Claudian. in Consul. Honor. IV. vs. 515. Pric. ad Apul. Met. XI. p. 701. Gronov. Diatrib. ad Stat. p. 39. Cannegieter ad Avian. Fab. XL. 7. adeoque recte exponi posset, quod antea non fuit, ut facit Serv. ad Virg. Georg. I. 89. et Æn. II. 228. Sic idem Virg. Æn. III. 365. 'Sola novum dictuque nefas:' quod Æn. II. 680. dixerat, 'dictu mirabile monstrum.' Et quod noster hic, *novum dictu*. Arntz.

CAP. XXII. § 1 *Desideratur: miremur*] L. *ratur*. *Miremur in u. t. et a t. p. t. v. q. f. n. i. s. s. n. e. n. vidit?* Acidal.

Perculsi et velut adflati] Ita omnes. Meus habet *percussi:* quod opinor esse rectius. Refertur enim ad præcedens *fulmen*. Plinius II. 57. de vitulo marino: 'Tutissima putant tabernacula pellibus ejus, quoniam hoc solum animal ex marinis fulmen non percutiat.' Sed et sequens *afflati* ostendit veram esse nostri lectionem: nam et illud de fulminibus usurpatur. Sueton. Tiber. cap. 69. 'Coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.' *Scheff.* Guelf. *percussi* et *adflicti*. 'Percelli' enim dicuntur, qui aliquo animi adfectu aguntur, admiratione, metu, &c. Flor. I. 10. 2. Nost. infr. cap. XXXII. 'Multiplicato terrore percelleres.' Lucret. I. 13. 'perculsæ corda tua vi:' ubi eadem varietas observatur: ut et v. 1222. 'perculsi membra timore:' sed et alterum æque bonum. Senec. Thyest. vs. 828. 'Trepidant pectora magno Percussa metu.' Quamvis inter has voces distinguere conentur viri docti. Cf. Drakenb. ad Sil. II. 213. et ad Liv. I. 27. Burm. ad Petron. cap. 111. Ego parum interesse puto, quid eligas. Ita judicavit jam Barth. ad Stat. Theb. IV. 832. V. 586. et X. 116. Plin. Pan. XC. § 5. Tamen *adflati* cum Guelf. non mutandum in *adflicti*. Est enim ille loquendi modus, qui a fulminibus desumitur. Virgil. Æn. II. 649. ubi Interpr. *Arntz.*

§ 2 *Hæ tantum gentes*] Ita enim solent heroës. Divina quadam vi et ineffabili potentia etiam illos in obsequium sui pertrahunt, contra quos potentiam et vim non exerunt. De Augusto legimus: 'Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexisse ad amicitiam suam populique R. ultro per legatos petendam,' Sueton. c. 20. et Tacitus Annal. II. 1. 'Phrahates quanquam depulisset exercitus ducesque Romanos cuncta venerantium officia ad Augustum verterat.' Porro pro *hæ* in meo legitur *heæ*, puto itaque *eæ* scribendum esse. *Scheffer.*

Adjunctas] Legendum *abjunctas*. Prudent. contr. Symmach. 'Sed tantum distant Romana et barbara, quantum Quadrupes abjuncta est bipedi, vel muta loquenti.' *Acid.*

Est; et quo] Meus conjunctionem omittit. *Scheff.*

Romanum accedit] Disting. *nomen ante Romanum, accedit.* Acidal. Unde illud, cum rogarent barbari, 'qui vos, aut unde Romani?' apud Florum IV. 12. 14. *Arntz.*

§ 3 *Ad servitium Gothos*] Similis locus apud Pollionem in Claudio: 'Impletæ barbaris servis senibusque cultoribus Rom. provinciæ, factus miles barbarus, et colonus ex Gotho.' Pacatus autem intelligit *Gothos*, qui Athanarico rege suo defuncto Roma-

no imperio se dediderunt. Marcellin. in Chronic. Oros. VII. 24. *Putean.* Non suspecto, et quod in B. est *receptum servitum Gothos,* id equidem non video, qui excusem. Saltem legitur *receptos servitum.* Livin. Qui Athanarico rege suo defuncto sponte se imperio Romano subjecerunt; teste Marcellino Comite in Chronicis et Oros. VII. 34. Igitur non servitus illa fuit, sed deditio ultranea ad militiam et operas. Tantum enim abest a Martia hac gente, ut se dederet in servitutem, ut mortem prius acerbissimam oppetiisset. Ceterum pro *ad servitium,* quod est in omnibus, meus habet *servitum,* omissa præpositione, quod omnino rectum est. *Scheff.* Oros. VII. 34. 'Universæ Gothorum gentes, rege (Athanarico) defuncto, adspicientes virtutem benignitatemque Theodosii, Romano sese imperio dediderunt.' *Cellarius.* Non male sic loquuntur evulgata exemplaria, at nec nihili est lectio cod. nostri: *Dicamne ego receptos servitum Gothos.* Optionem aliis relinquimus. *Schwarz. Servitum* quoque Guelf. ut et Virgil. Æn. II. 786. 'Graiis servitum matribus ibo.' Illud enim supinum ibi causam notat. V. ad Vict. O. G. c. 20. et Cort. ad Sall. Jug. c. 102. *Arntz.*

Pœnas polluti] Non muto. An tamen *soluti,* id est, rapti? Sic certe id verbi corruptum et emendatum nobis Mamertini Panegyrico Julian. Imp. *Acidal.* De hac re nil memini me legere apud alios scriptores. *Scheff.* Non dubium mihi quin *polluti* sit vera manus Pacati, quod verbum pertinet ad leges fœderis violatas. Lucan. VIII. 399. 'Polluit innumeris leges.' Ovid. Met. X. 353. 'Naturæ pollue fœdus.' *Arntz.*

Interdictum Scythis Tanaim] Vide Orosium VII. 34. Zonar. III. tom. Annal. *Putean.*

Fugientis Albani] *Albani* populi sunt Orientis inter Iberiam et mare Caspium, de quibus Strabo lib. II. ἀκοντισταὶ ὡσὶ καὶ τοξόται, κ. τ. λ. *Putean.* Scripta lectio præfert *arcus etiam fug.* Quæ varietas, opinor, orta e compendiis. Valde enim inter se vicina *ee* et *et,* quorum illud notariis *esse,* hoc *etiam* valet. Sed quis idoneus testis Albani in fuga arcus metuendos, quod obvium de Partho? Itaque e vestigiis certæ scripturæ haud timide emendem, *arcu te fug. Albani.* Livin. Ita meus cum aliis. Ante legebatur *esse* pro *etiam,* forte fuit *etsi,* h. e. licet fugientis. Respicit enim morem gentium illarum, quæ plus in fuga nocere telis consueverunt, quam in acie, dum confertim ea velut nimbum in sequentes hostes effundunt. Vide Strabonem lib. II. ubi de Albanis hisce ad Caspium habitantibus. *Scheffer.* Respicit quod Parthi fugientes, et in fuga se retrovertentes tela mitterent: unde huc facit Nemes. Cyneg. vs. 74. 'Inbellemque fugam referam, clausasque pharetras Parthorum:' ubi Burm. 'Inbellis' vero est, qui nihil ad bellum facit. Cf. Barth. ad Stat. Theb. II. 389. et IV. 754. cum Bronkh. ad Propert. IV. 6. 36. Lucan. X. 54. De Albanis confer Cellar. Geogr. II. 10. *Arntz.*

§ 4 *Robore, ferocia*] Observa barbarorum vires, et in quibus eæ consistant. Aut multitudine valent, quemadmodum de Persis prodere scriptores consueverunt: aut ferocia, quemadmodum de Scythis Thracibusque; aut robore magnitudineque corporis et artuum, quemadmodum de Gallis Germanisque tradunt. Virtutem, hoc est, artem et prudentiam fere ignorant. *Scheff.*

Si serviat] Ista in respectu ad Gothos maxime dicuntur. Fuit autem vetus Romanorum ars, decipere sub amicitiæ titulos eos, quos virtute superare non poterant. Et extat non plane dissimile quid apud Tacitum de Agricola, voluptatibusque iis quas

Britannis concessit: 'Apud imperitos,' inquit, 'humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.' *Idem.*

Romanorum ducum] Orosius VII. 34. 'Persæ, qui Juliano interfecto, aliisque Imperatoribus sæpe victis, nunc etiam, Valente in fugam acto, victoriæ satietatem ructabant, ultro ad Theodosium misere legatos.' *Idem.*

§ 5 *Ipse ille rex*] Similis locus est in Panegyrico Mamertin. Maxim. c. x. 'Hoc eodem modo, rex ille Persarum nunquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo supplicat, totumque se, si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit.' Claudian. de Consul. Honor. VI. 'missique rogatum Fœdera, Persarum proceres cum patre sedentem Hac quondam videre domo, positaque tiara Submisere genu.' *Puteanus.* Gemina hæc Mamertini in Maximianum A. 'Rex ille Persarum, nunquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo supplicat,' &c. *Livin.* L. *minorem.* Paneg. Maxim. Aug. 'Hoc eodem modo rex ille,' &c. *Acidal.* Videtur ad cultum respicere, quo honorabantur. Certe Cleo Siculus apud Curtium Persas ait reges suos inter Deos colere. Consule Brissonium de Regn. Persic. lib. I. p. m. 8. *Scheff.* Mox, pro *adhoc*, Guelf. *adhæc*, et *essedra* pro *esseda.* V. Savar. ad Sidon. Epist. II. 10. Bronkh. ad Propert. II. 1. vs. 86. Cicero Fam. VII. 7. cum Dons. ad Ovid. Amor. II. 17. 49. Barth. Adv. x. 17. et Rader. ad Martial. I. 84. Præterea pro *non est*, Guelf. *nomine.* Arntz.

Nomine est fœderatus] *Non est.* Postea fuisse ex Aurelio Victore liquet, qui scribit Theodosium cum Persis pacem pepigisse, quod et Orosius tradit. F. et P. cod. sic legunt, *et si adhuc nomine fœderatus.* Puteanus. Ita omnes: sed falsissime. Fuit enim iis temporibus fœderatus, uti accurate docet Orosius prædicto loco, qui in *iisdem diebus*, quibus Gothi a Theodosio suscepti fuerunt, etiam cum Persis fœdus ictum testatur. At cum Gothis longe ante pugnam cum Maximo, et triumphum Romæ, hoc est, ea tempora, quibus habita est hæc oratio, Theodosius pacem fecit. Itaque, ut dixi, falsa est hæc sententia. Contra verissime meus cod. *etsi adhuc nomine fœderatus. Nomine,* pro *non est*, eleganter. Sensus: Præfert Persa nomen fœderati, quemadmodum et tu eum appellas: sed nomen tantum habet. Nam si rem bene æstimamus, et illas legationes, et gemmas, et belluas, tributarius tibi est. Porro illud *non est*, quod hucusque libri habuerunt, etiam antecedens, *excusat obsequio*, facile infirmare potest. *Scheff.* Immo erat ab eodem tempore, quo Gothi recepti fuerant. Orosius ibidem subdit: 'In iisdem etiam diebus Persæ . . . . . ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemque supplices poposcerunt, ictumque tunc fœdus est.' *Cellar.* Latet inprimis vitium in ultimis verbis: *etsi adhuc non est fœderatus.* Hoc enim primum repugnat historiæ: cum inveniamus, regem Persiæ, utique ante debellatum Maximum, adeoque jam illis temporibus quibus Pacatus orationem suam habuit, Romanis fœderatum fuisse. Refert enim Orosius, eodem tempore, quo Gothi a Theodosio recepti fuerant, etiam cum Persis fœdus ictum fuisse. Libro enim VII. c. 34. 'Universæ,' inquit, 'Gothorum gentes, rege (Athanarico) defuncto, adspicientes virtutem benignitatemque Theodosii Romano sese imperio dediderunt. In iisdem etiam diebus Persæ, qui, Juliano interfecto, aliisque Imperatoribus sæpe victis, nunc etiam Valente in fugam acto, victoriæ satietatem ructabant, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos pacemque supplices poposcerunt, ictumque tunc fœdus est.' Deinde, si ita scripsisset

Pacatus, absurde statuisset, fœderatos demum fœderatis ordinarie tributa solvere debere. Sententiam igitur planam veritatique congruentem reddit codex noster, qui loco vulgatæ particulæ *non*, vocem *nomine* exhibet. Sed en! ipsa codicis verba: *Deinde ipse ille rex ejus dedignatus se antea confiteri hominem, jam fatetur timorem; et in iis te colit templis, in quibus colitur. Tum legatione mittenda, gemmis sericoque præbendo ad hoc triumphalibus belluis in tua exedra* (*esseda*) *suggerendis; et si adhuc nomine fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est.* Apte subjicit codex participio *dedignatus* pronomen *se*. Ita enim loquitur etiam Mamertinus in Panegyrico Maximiano dicto c. x. 'Rex ille Persarum, nunquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo supplicat.' Sed *exedra* in codice corrupte scribitur, cum scribi debuisset *esseda*; nisi quis opinetur Gallicum illud vocabulum, quod de vehiculis dicebatur, forte a nomine Græco, et in Latinam linguam recepto, *exedra*, originem traxisse, et veluti *essedra* scribi debuisse. Præclare autem loco particulæ *non*, quæ forte ex compendio scribendi irrepsit, noster codex *nomine* habet, sicque veram sententiam Pacato restituit: utpote qui his verbis significare voluit, regem Persarum nomine quidem fœderatum, et quasi parem Theodosio dici: re ipsa tamen Theodosii cultibus tributarium esse, cum ad hunc devenerandum, pacemque retinendam, tot res pretiosas submittat. Sed subjiciam integrum Mamertini locum, quem modo excitavi, ut, qui Pacati nostri loco valde consimilis est: 'Hoc eodem modo rex ille Persarum, nunquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo supplicat, totumque, si ingredi ille dignaretur, regnum suum pandit. Offert interim varia miracula, eximiæ pulchritudinis feras mittit, amicitiæ nomen impetrare contentus, promeretur obsequio.' *Schwarz.*

CAP. XXIII. § 1 *Ne tamen, &c.*] Corruptio quam forsan feliciter tolle: *Triumphis tu his ac illis studeas;* vel, *tu iis aut illis*, ut supra: 'Omnium ætatum ordinumque homines iis aut illis beneficiis apprehendebas.' Nisi et ibi 'his' legendum. *Acidal.* Ita omnes, quotquot extant. Sensus autem verborum nullus, nec cum historia conveniens: quem se Acidalius feliciter restituere putabat, hoc pacto, *Triumphis tuis his ac illis studeas;* vel, *tu iis aut illis*. Sed infelix isthæc emendatio. Cui enim hic non istud, *iis aut illis*, frigidum videatur? Scribe igitur locum integrum ex meo codice hoc modo: *Nec tamen, Imperator, existimes cuncta me ad aurium gratiam locuturum. Triumphis tuis Galli,* (*stupeas licet*) *irascimur. Galli*, ait, *irascimur*, hoc est, ego aliique, qui in Gallia nati sumus vivimusque: quod profecto stupendum fuit, conjunctos nempe, et amicos Gallos victoriis ipsius irasci. Sed quare irascebantur? quoniam res tantas in remotis terris, in Oriente et non potius in conspectu Gallorum Theodosius gesserat. Habes sensum loci antea corruptissimi elegantissimum. *Scheff.* Mira arte Panegyristes excusat rebellionem Gallorum a Maximo excitatam, ejusque culpam, non quidem sine laudis significatione, in victorias Theodosii alibi partas, et sigillatim de Oriente relatas, confert, atque ideo ait, Gallos his ipsis victoriis ac triumphis, propter tristem rerum in Gallia eventum, quasi irasci. Revera ergo in his verbis non de *triumphis Gallicis*, sed de triumphis ob devictum Orientem promeritis loquitur Pacatus. Male itaque et præter rationem, in omnibus hujus Panegyrici evulgatis libris adhuc legimus, *triumphis tuis Gallicis irascimur*. Suboluit corruptela verborum Pacati Valentino Acidalio, qui vero, Musis parum propitiis, scribendum existimavit, *trium-*

phis tu his ac illis studeas, licebit, irascimur. Tamen Vincentius Patarol, in secunda Panegyricorum Veterum editione, quam anno 1719. prodidit, et cui pro exemplari humanissime transmisso nunc publice gratias agimus, rem acu tetigit, cum ad eum ipsum Pacati locum hæc commentatus sit: 'Miror vocem hanc (Gallicis) non multum negotii criticis facessisse; cur enim triumphos Gallicos memoret Pacatus, dum conqueritur de Theodosii gestis in Oriente? Legerem libenter *alibi,* aut una demta syllaba, *Galli:* nec me conjectura fallit, ut puto, ut sit sensus: Nos Galli irascimur triumphis tuis: nam dum in Oriente triumphas, invenit tyrannus apud nos ad scelera secretum.' Gratulamur viro eruditissimo de hac ingeniosa emendatione, cui tot alii codices manu exarati, quos in Italia consuluit, nullas suppetias tulerunt. Noster autem codex omnino suffragatur: utpote in quo diserte hæc verba scripta legimus: *Triumphis tuis Galli, stupeas licebit, irascimur. Dum in remota terrarum vincendo procedis, dum ultra terminos rerum, metasque naturæ regna Orientis extendis, dum ad illos indigenas et ipsum, si quod solis est cubile, festinas; invenit tyrannus ad scelera secretum:* i. e. occasionem secretam ad res novas et seditiosas moliendas. *Schwarz.* Optime de hoc loco meritus Schwarzius, in cujus sententiam pedibus ire non dubitamus, præsertim accedentibus excerptis Cortianis, quæ adhæc pro *procedis* scribunt *procedas.* Male id quidem, quia præcessit *dum.* Pejus vero habent *metusque.* Aliud jubet Virgil. Æn. I. 278. 'His ego nec metas rerum nec tempora pono:' ubi not. et Pric. ad Apul. Met. IV. p. 212. *Arntz.*

Invenit tyrannus] Maximus scilicet. 'Clementem Maximum' vocat Severus II. Histor. *Putean.* Pulcre. Secretum enim amant. Porro et hic locus docet, quam periculosum sit, in amplo præsertim imperio, si princeps ipse procul a sede imperii rem gerat, quamque optata ea sit occasio res novas et seditiones molientibus, Sallustius de Catilina: 'Opprimendæ reip. consilium cepit, quia in Italia nullus exercitus. Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: senatus nihil intentus; tutæ tranquillæque res omnes.' Callide igitur Tiberius, cui 'immotum adversus omnes sermones fixumque fuit, non omittere caput rerum, neque se neque rempub. in casum dare.' Tacitus Annal. I. 46. Adde, quæ leguntur apud Plutarchum Vita Alex. de Gymnosophista, quæque vulgo ad prædictum locum Taciti notari solent. *Scheff.*

§ 2 *Quam parvis veniunt*] Liv. XXVII. 2. 'Ex parvis sæpe magnarum momenta rerum pendent.' Porro in hoc et superiore capite notandum, quanto artificio orator viam sibi aperiat, ad res a Theodosio in militia gestas, præcipue vero tyrannidis sublationem, et occasione illius varias virtutes memorandas laudandasque. *Idem.*

Italici generis excidium] Bellum Spartacum anno U. C. 680. *Putean.*

Effracto Cn. Lentuli] Sequor *effracto,* et indubie frustra est vetus lectio. Apud Auctorem quoque incertum Panegyrici in Pisonem, quem Lucano asserit Hadrianus Junius (meo animo) haud nimium certo ubi vulgatur, 'ut situs et fracta prorumpat in agmina mandra:' itidem 'effracta' fidens legerim. *Mirmillonum agmen* gladiatores vocat, a specie genus, quos cum Crixi et Œnomao Spartacus armavit. Appianus Bell. Civil. I. Florus, Themistius Sermone IX. alii. *Livin.* Belli hujus dux et auctor fuit Spartacus, de quo Florus III. 20. Adde quos adducit ibi Joannes Freinshemius. *Scheff.* Hoc Spartacum bellum est, de quo

Florus III. 20. Eutrop. VI. 6. *Cellar.* Iisdem verbis Florus III. 20. 3. ' Ludus' enim, ut notum, erat ea schola in qua parabantur ad pugnandum tirones. Periz. ad Sanct. Min. IV. 16. et Broukh. ad Tibull. I. 4. 45. *Arntz.*

Emicuit] Dicitur talis exercitus, qui subito et de improviso adest, cum nemo tale quid exspectasset. V. D. ad Flor. IV. 2. 40. Justin. II. 9. 15. ' Adolescentis gloria emicuit.' V. ad Plin. Paneg. IV. § 5. *Idem.*

Bella consulibus] Bella piratica, quæ cum plura fuerint, nullum tamen a consule gestum est. *Putean.* Bella piratica, quæ cum plura fuerint, nullum tamen a consule gestum est: itaque forsitan heic legendum *proconsulibus.* Sic Daniel acute. Sed novum non est consules poni pro proconsulibus, præteritum pro præsenti. *Gruter.* De hoc bello rursum consule Florum III. 6. *Scheff.* Talia tentare non debuerat erud. vir, cum certum sit consules poni pro proconsulibus, ut Flor. II. 6. 43. et 7. 12. Duker. ad eumd. II. 14. 5. et notæ ad Vict. Ill. XLVI. § 2. et LXXIX. § 3. *Arntz.*

Tenentibus arma] Servilia bella, anno U. C. 618. et 653. *Putean.* Bellum servile notatur, de quo Florus III. 19. *Cellar.* In nostro cod. scriptum est, *sic ferentibus arma fugitivis.* Schwarz. Cur non liceret præferre scripturam cod. Guelf. *ferentibus,* cum ' ferre arma' idem sit quod inferre? Ovid. Epist. Her. VI. 34. et Epist. VIII. 18. et Fast. III. 9. Tibull. I. 7. 30. Drakenb. ad Liv. IX. 23. Mox *Romana pila* dicit, quia illud armorum genus proprium esset Romanorum, nec apud alios populos ita in usu. Barth. ad Stat. Theb. X. 147. et Lips. de Milit. Rom. lib. III. Dial. 4. *Arntz.*

§ 3 *Hominem risit*] Maximus tyrannus intelligitur, qui in Britannia a legionibus Imperator creatus est, teste Orosio VII. 34. Sed mens *hominem* non agnoscit. *Scheff.* Maximum tyrannum. *Cellar.* Vocabulum *hominem* cod. noster omittit, expungendumque suadet. *Schwarz.* Non invito intelligo Scheff. cod. et Livin. in marg. notare hanc vocem abesse a suis libris, quod fortasse ortum est, quia mox sequitur ' homines,' qualis repetitio unius vocis otiosa videtur. Accedit Guelf. et Schwarz. quare tantis subnixus auctoritatibus deleri volui. Si tamen quis vetustati aliarum editionum adhæreat, eam vocem hic recte exponet per contemtum, quomodo passim adhiberi solet. Petitus Miscell. III. 15. Burm. ad Phædr. II. 15. 19. *Arntz.*

Insulani] Intelligit Britannos, quos paulo post vocat ' exules orbis,' ut Virgilius: ' Et penitus toto divisos orbe Britannos.' *Putean.* Britanni, in quorum insula Maximus purpuram sumpsit. Epit. Victoris et Orosius VIII. 34. *Cellar.*

Exsulem suum] Nam genere Hispanus erat, et Theodosii Principis in Britannia commilito. Auctor Zosimus. Infra: ' se orbis extorrem, patriæque fugitivum.' *Livin.* ' Nam genere Hispanus fuit,' inquit Livineius. Sed sic exul Britannorum esse non potuit. Ipsorum enim exulem intelligo, non qui apud ipsos exulat, sed qui ex ipsis. Certe Cedrenus Maximum Britannum fuisse testatur, quod et Nicephorus facit XII. 19. *Scheff.* Maximum et ipsum Britannum genere. Cedren. p. 259. *Cellar.* V. D. ad Justin. XXXII. 2. *Arntzen.*

§ 4 *Motus, quantum*] *Fortuna tum.* Ita quidem editus a Livineio, sed errore, ut puto, chalcographorum: scribendum enim erat cum editis, *Fortuna motus? quantum reip. malum, &c.* Gruter.

Pestis] Inepte Guelf. *petit.* Cicer. ad Famil. V. 8. Gronov. Obs. III. 15. Manut. et Cort. ad Cicer. l. l. *Ex-*

sules autem *orbis*, quia Britannia a toto orbe seu imperio Romano divisa erat. Virgil. Ecl. I. 67. ubi not. *Arntz.*

Perfidia ducum] Merobaudis scilicet. Prosper in Chronico. *Putean.*

Foret versum] *Foret armatum*. Hiucula hæc, et verbis aliquot defecta, quæ in B. C. offendi. Sic igitur est in iis: *contra remp. foret versum, quidquid pro rep. fuerat arm.* Egregie. *Livin.* Mutet quis, *ad arma itum:* veto ego. *Armatur* hic impersonaliter positum. *At quantos parturiebat Fortuna tum Reip. malum, pestis augenda, quantam tibi gloriam restinguenda servabat*] Corruptus omnino locus, de quo nemo quicquam monuit, nec ipse frater Livin. ad margin. notavit, *quantos motus* alicubi legi. Tentavi ego quidem varie, sed nihil dum inveni, quod satisfaciat. Supervacaneam sane vocem unam atque alteram, si τὸ *motus* retineas, video, vel deesse potius plures. Tu, lector, vide et amplius considera. Ego abstineo. *Acidal.* Reponendum amplius, *def. legionum contra remp. fuerat versum quicquid pro rep. fuerat armatum.* Sic enim plane editio princeps, sic Ms. unus; quod dum ignorat Daniel probabiliter, locum fractum redintegrabat rescribendo *armata.* Gruter. Ita cum optimis Livineii et Gruteri etiam meus habet. Ante prius membrum omissum erat. *Scheff.*

CAP. XXIV. § 1 *Miserorum*] Pulcre extenuat exercitus seditiosi facinus, et in fatum culpam transfert. Quasi fatale fuerit sic concuti rem Romanam, ut virtus Theodosii eo magis inclaresceret. Similiter Cicero Orat. pro M. Marcello: 'Ad illa arma fato sumus nescio quo reip. misero funestoque compulsi.' Et profecto solet Deus in pœnam publicorum scelerum hoc pacto regna et imperia affligere, quod ne Darium quidem latuit. Hinc apud Curtium IV. 14. 'Deorum fata ordinarunt, ut Persarum imperium, quod secundo cursu per 230. annos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in prosperis rebus oblivio est.' *Scheff.* Conferas Cujacium Observ. XVI. 9. Elegantiam captat, cum ita jungat 'facta' et 'fata,' ut quoque Rutilius I. 92. 'Excedis factis grandia fata tuis.' *Arntz.*

Et adfinitate] De hac nil memini me apud alios scriptores observasse. Itaque ex nostro solo adnotanda fuerit. *Scheffer.* *Carnifici purpurato*] Maximo tyranno. De *adfinitate* autem Theodosii, quam jactabat, nihil aliunde notum est. *Cellar.*

Adfectu] Apud omnes lectionem hanc invenio. Meus habet *affectum nocentium.* Videtur sensus esse: Quicquid deliquerunt, exiguum est, quia gravissimum omnium delictum est, quod affectum nocentium induerunt. Et sic opinabar posse legi. Occurrebat illud Ciceronis in Orat. pro Marcello, ubi non prorsus dissimili ratione ita inquit: 'Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus.' Sed monuit me sæpe nominatus dominus Freinshemius retinendam esse lectionem vulgatam. Cujus unius judicio quemadmodum lubenter meritoque semper acquiesco, ita libentius hic facio, quoniam et Florilegii Autorem a Grutero editum hunc locum sic legisse animadverto. *Scheff.*

§ 2 *Lustrale justitium*] *Lustrale*, quia Maximus tyrannus cum filio Victore quinque annos Occidenti imperavit, unde Ausonius de Clar. Urb. in carm. VI. de Aquileia: 'Mœnibus et portu celeberrima: sed magis illud Eminet extremo, quod te sub tempore legit, Solveret exacto cui justa piacula lustro Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ.' *Putean.* Memorari tempus, quo Maximus imperium per lustrum usurpavit: quod *justitium* dixit, quia omnia

per vim tyranni agunt, non legibus. *Cellar.* Per *justitium* intellige luctum publicum, quando omnis populus a laboribus cogeretur cessare. Savaro ad Sidonium Epist. II. 8. quod tempus publice indicebatur. Lucan. II. 17. 'Ferale per urbem Justitium.' Proprie autem illud indicebatur, quia tempore non ordinario institueretur. Pricæus ad Apul. p. 241. Brisson. de Formul. lib. II. p. 259. Salmas. Plin. Exerc. p. 13. cum Jureto ad Symmach. Epist. VII. 103. et Drakenb. ad Liv. IV. 26. Pro *id*, Guelf. *illud.* Arntz.

Decursa] Malorum præteritorum recordari quoddam habebatur solatii genus. Virgil. Æn. I. 204. 'Hæc olim meminisse juvabit.' Withof. Præmet. Crit. p. 108. *Idem.*

Ingratum virtuti] Noster codex, pro vocabulo *virtuti*, exhibet *veritati*: recte sane. Neque enim tam commode hoc loco 'virtus,' quam 'veritas,' a 'pietate' distinguitur, et utraque sibi quasi opponitur. Ait enim Pacatus, si velit silentio premere calamitates publicas, et Gallorum rebellionem, se adversaturum ingratamque operam præstiturum esse *veritati*: sin velit debeatque eloqui ac publice profiteri seditionem in Gallia, patria sua, excitatam; se id a sua in patriam pietate et amore vix impetraturum esse. *Schwarz.* Vix adsensum præbere possum. 'Virtus' est vincere, 'pietas' summa clementia in victos uti. Huc pertinet Cicero pro Marcell. c. 5. quem inspice cum Animadv. V. D. Nepos Timol. II. § 2. 'Præclaram ducebat victoriam, in qua plus clementiæ quam crudelitatis:' et Cicero pro Marcell. c. 4. hoc dicit 'victoriam vincere,' ubi plura quæ nostri scripturam confirmant. Nazar. Paneg. c. VII. 'Incruenta victoria fuit, ut credas non bello ancipiti dimicatum, sed solas inpiorum pœnas expetitas.' *Arntz.*

§ 3 *Recordatio*] Vide Ciceron. Epist. V. 31. *Putean.* Guelf. *recordatione.* Senec. Herc. Fur. vs. 656. Virgil. Æn. I. 203. 'Hæc olim meminisse juvabit.' *Arntz.*

§ 4 *Sensus est levior*] Cicero Famil. VI. 4. 'Equidem nos quod Romæ sumus, miserrimum esse duco, non solum quod in omnibus malis acerbius est videre, quam audire.' *Putean.*

Interitum Gratiani] Apud Lugdunum. Socrat. V. 11. *Putean.* Ecce aperte intra Gallias et victus Gratianus et cæsus. Prosper Chronico hoc amplius ait, superatum in Parisiis. Lugduni interfectum idem Prosper, Cassiodorus, Marcellinus Comes prodiderunt. Ut vehementer Zosimum mirer, qui equitatu Maurusio primum, deinde ceteris paulatim desciscentibus ad hostem, rebus suis diffisum, cum trecentis equitibus per Alpes, quæ tum incustoditæ, in superiorem Mysiam fuga evasisse, ibique Sigiduni in transitu pontis ab Andragathio Comite, qui cum expeditis inseqni jussus, comprehensum et occisum refert. Nolim id scriptori cetera non indiligenti excidisse. Quamquam et alibi in historia lapsus. *Livin.* Qui in Galliis ad Lugdunum interfectus est. Vide Prosper. Cassiod. Marcellinum Livineio et Socratem Puteano citatos. Adde Orosium, qui id ipsum contra Zosimum affirmat. Cedrenus non in prælio, sed ab Andragatio per insidias interfectum scribit, deceptumque fama et opinione adventantis ad se conjugis. Cum quo consentit Nicephorus XII. 20. Cæsus autem Gratianus VIII. Kal. Septembr. A. D. 383. ut annotat Jacobus Gothofredus Dissertat. ad Philostorgium p. m. 418. *Scheff.*

§ 5 *Suum uterque solatium*] Vet. et Vat. *summo.* Var. Lect. Putean. Cave mutes. Ovid. Epist. Her. XVII. 252. ubi Heins. Tamen ita quoque ed. 1476. Rhen. *Arntz.*

Ille non vidit] Ille Italus; nam apud Aquileiam, quam Plinius in X.

Italiæ regione collocat, Maximus occisus est. *Putean.* Manifeste præter usum, et pædagogorum præcepta, *ille* ad propius, *hic* ad remotius junxit, quod fere classicis neglectum. Ovidius: 'Rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque cæsos, Utque sit hic somno proditus, ille dolo.' Alii passim, quos non adduco. Auctor iterum: 'Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atque adeo maximo lux amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest, aut ille vitari.' Temere ergo Franc. Balduinus contra omnes libros et auctoris ipsius exemplum immutavit. *Livin.* Ille Hispanus; atque ita *ille* ad propinquius, *hic* ad remotius refertur. Vide quæ ad Plinium Epist. I. 20. 21. notavimus. *Cellar.*

Hic tyrannicidium] Hic Italus: quia apud Aquileiam Maximus captus et supplicio adfectus est. *Idem.*

§ 6 *Belluæ*] Grave convicium de homine inmaniter sæviente. Plin. Paneg. cap. XLVIII. Plaut. Trinum. IV. 2. 11. *Arntz.*

Satiavimus] Eleganter persistit in metaph. cum proprie tribuendum feris animalibus sanguine satiari. Eodem modo Justin. I. 8. 13. Lucan. V. 243. Claudian. de Rapt. Proserp. II. 19. Cicer. Orat. Philipp. V. 7. 'Nulla res ei finem cædendi nisi defatigatio et satietas adtulisset.' Ovid. Met. IX. 178. 'Corque ferum satia.' Quo referri possent illa Horatii Od. I. 2. 37. 'Nimis longo satiate ludo.' *Arntz.*

Semel exercuit crudelitas] Lege, *Semet exercuit.* Balduinus reposuit, *sese exeruit;* non tam recte. *Juret.* Delent *apud,* et mutant *simul* aut repetunt *nos: satiavimus apud nos; nos simul exercuit.* Nihil horum satis convenit. Tu corrige levissime *semet;* quod innumeris horum scriptorum locis nihil valet amplius quam *se.* Infra: 'Ut fateatur uni semet victoriam, alteri debere vindictam.' Supra: 'An quis ferret moleste ad Principis semet modum coërceri?' Infra: 'Hactenus memet Imp. Aug. præteritas res tuas attrectasse fas fuerit.' *Acid.* Adeoque major ac vehementior. Monstravit fabulator Phrygius in vulpecula sua hyrudinum plena, et rustico abigere eas volente. *Scheff.* Scilicet in vetustis editt. habebatur *semel.* Ita sane edit. 1476. Rhen. *Arntz.*

CAP. XXV. § 1 *Fugitivis nobilibus*] Recensentur ordine injuriæ tyrannorum. Adde Lips. Pol. VI. 5. ubi similia videbis. *Scheff.*

Diminuta] Vide juris auctores et Festum lib. IV. *Putean.* *Deminuta* edidit Cellarius, sed meliora sapiunt vetustiores editi *diminuta,* quomodo et cod. Guelf. et clare ostendit Festus in voce 'deminutus,' cum Cujacio Obs. VI. 25. et toties apud illos. Ex hoc ipso quoque loco Pacati ostendit Baptist. Pius Syll. III. Annotat. Poster. cap. 44. p. 456. Faber Semestr. I. 8. Turneb. Advers. XI. 20. cum Rittersh. ad Salvian. de Gubern. Dei lib. III. p. m. 154. *Arntz.*

§ 2 *Redactas in numerum*] I. e. contemptas et viles et despectas, redactas vel coactas in ordinem, ut loquitur Sueton. in vita Claud. c. 38. et in Vespas. c. 16. Plin. ad Famil. lib. I. Arnob. lib. IV. Priscian. lib. XVIII. 'Extra numerum' alicubi legere memini: et 'eximere numero' apud Quinctil. Vide Bud. in Pandect. *Putean.*

Infantium] Guelf. *in tantum,* quod corruptum ex *infantum,* vel, ut edidimus, *infantium,* cum eæ voces in se duplicem forment genitivum pluralem in *um* et *ium.* Cort. ad Sall. Jug. cap. 89. V. ad Victor. Epit. XLVIII. § 17. Neque hi infantes liberi erant a tyrannorum sævitia, cum nec ipsis parceretur. Barth. ad Claudian. in Rufin. I. 245. et Schulting. ad Senec. Suasor. VII. p. 46. *Arntz.*

Utebamur] Recte emendant *vetabamur.* Nisi tamen paullo rectius *vetabantur.* Nam vim alias nullam

habet, quod sequitur, *omnes*. Acidal. H. e. Vetabamur flere. Ut solet fieri sub malis principibus. Nero apud Senecam Tragœdum in Octavia vs. 592. de temporibus Triumvirorum: 'Exposita rostris capita cæsorum putres Videre mœsti: flere nec licuit suos.' De Tiberii temporibus Suetonius cap. 61. 'Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent.' Porro lectionem hanc cum optimis quibusque etiam meus firmat. Ante legebatur *utebamur*. Scheff. *Utebamur* edit. 1476. 1520. et aliæ. Ovid. Met. x. 362. 'Flere vetat, siccatque genas.' Trist. v. 1. 52. 'Acceptoque gravi vulnere flere vetas.' Lucan. VII. 707. 'Flere veta populos.' Cf. not. ad Plin. Pan. XLVI. § 6. *Arntz*.

Agere] Respicit ad lugendi rationem veterum, cum mortuum debito luctus honore prosequerentur, quod mali principes prohibuerunt, ut ita facilius ipsorum scelera ex animis hominum delerentur. V. D. ad Sueton. Tiber. cap. 61. Adeatur Trotzius Mem. Propag. cap. 6. qui in omnibus satisfecit. Expositio igitur hæc est, quod Guelf. *plangere*: id enim dolentium indicium. V. D. ad Ovid. Met. VIII. 527. Curt. v. 12. 14. Erat enim id ultimum officium, quod mortuis exhiberetur. Barth. ad Stat. Theb. XII. 454. *Idem*.

Domi atque secreto] Quippe ubi mala publica lamentari cives solent sub malis principibus. Itaque Plinius de Trajani temporibus c. II. 'Non eadem secreto loquimur, quæ prius:' et cap. XLVIII. 'Si eadem cura bonis et malis esset, quod gaudium deprehenderes, quos omnium cum conjugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones.' *Scheffer*.

Fortunæ] De tali vultu, qui infelicibus temporibus adesse deberet, cum potius præferre calamitatibus deceret. Eo facit Ovid. Ib. vs. 122. 'ærumnæ facies invidiosa suæ:' ubi Comment. Iterum Epist. IX. 125. 'Nec venit incultis captarum more capillis. Fortunam vultus fassa tegendo suos:' quo loco iterum non silent Interpr. *Arntz*.

§ 3 *Gratulatur*] Guelf. præfert *gratulantur*. Ideo *gratulari* erit idem quod gaudere. V. D. ad Phædr. IV. 25. 27. Pric. ad Apul. Met. III. pag. 155. cum Cortio ad Sall. Jug. VIII. § 2. Mox vero pro *reliquorum*, Barth. ad Claud. in Rufin. II. 87. scribit *reliquiorum*, ut intelligat ceteros, qui de tanta clade superfuerant. V. ad Victor. Illustr. cap. 23. *Idem*.

§ 4 *Sardorum*] Respicit quod tradidere antiqui, in Sardorum insula nasci quamdam herbam, unde qui edunt statim in risum solvuntur, ut in mortem usque rideant. Erasm. Adag. p. m. 621. et Barth. ad Claudian. in Eutrop. II. 87. atque hinc optime dixerat *induebamus*, quoniam sub tyrannis tristiores vultus præferre piaculum haberetur, atque præstaret saltem lætiores induere vultus. Gataker. Adv. Miscell. II. 18. *Idem*.

§ 5 *Est aliquod*] Seneca Epist. XCIX. 'Excidunt etiam retinentibus lacrymæ, et animum profusæ levant.' Ambrosius de obitu Valentis: 'Pascunt frequenter et lacrymæ et mentem allevant, fletus refrigerant pectus, et mœstum solantur affectum.' Apud Gnomologum legimus hunc versum: Βαιὸν ἄκος παθέεσσιν ἐρευγομένη φρενὸς ὠδίς. *Eructare suos quædam est medicina dolores*. Scheff. Pro *laxasse*, male Guelf. *lassasse*, quod minus huic loco conveniens. Drakenb. ad Liv. II. 25. Adde Coler. Parerg. Jur. cap. 30. Suet. Aug. cap. 83. 'animi laxandi caussa.' *Arntz*.

Nulla major est] Justinus VIII. 6. 'Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.' Philo-Judæus de Josepho: 'Affectus qui premuntur, ne per verba expirent, graviores reddantur.' Huc P. Syrus in Senten-

tiis: 'Heu dolor quam miser est, qui in tormentis vocem non habet!' *Scheffer.*

§ 6 *Habendi fames*] Guelf. *prædandi.* Spectat ad inexplebilem divitiarum cupiditatem. 'Habere' enim referendum ad nimium divitiarum studium. Grang. ad Juven. Sat. III. 122. Cortius ad Sall. Jug. II. 3. Elsn. ad Luc. XVIII. 24. Adeoque huc recte pertinet *fames*, quæ est, ut Ovid. dicit Met. lib. I. 131. 'amor sceleratus habendi.' Barth. ad Claudian. in Rufin. I. 188. *Arntz.*

§ 7 *Ignis arentibus*] Ms. *ut ægrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus lignis non obruitur, sed augetur, &c.* Schwarz. *Lignis* quoque interserit Guelf. Ovid. Fast. IV. 510. 'arsuris arida ligna focis.' Horat. Od. III. 17. 13. 'Dum potis, aridum Compone lignum.' Pro *aviditatem*, Guelf. *aviditate:* male. *Arntz.*

Cap. XXVI. § 1 *Lances*] Erant illa instrumenta, quibus pondera solebant iniri. Festus ea voce. Sordidam talem pecuniæ aviditatem notarunt in plurimis Imperatoribus, qui prædonum more omnia rapere et ad se trahere non dubitaverunt. Plura Barth. ad Claud. in Ruf. I. 187. *Momenta* dicuntur, quæ accedunt, ut res in alteram partem inclinetur. Duker. ad Florum II. 15. 2. Juretus ad Symmach. Epist. III. 4. Heins. ad Ovid. Met. XI. 285. *Arntz.*

Nutusque trutinarum] Vide Turnebum Advers. XXVII. 2. *Putean.*

§ 2 *Matronarum manibus*] Alii jam emendarunt (credo Lipsius) *in auribus;* vel potius *crinibus.* Acidal. Sic meus omnesque alii. Itaque miror, quare Lipsius voluerit *in auribus*, cum præsertim non hic magis, quam ille in usu fuerit apud feminas ornatus. Vide quæ notantur viro accurato diligentissimoque, Thomæ Bartholino, amico meo veteri, in dissertatiuncula de Armillis § 5. *Scheff.*

Pupillorum] Vide Festum lib. II. Ascon. Pæd. in Verr. III. Macrob. Saturn. I. 6. *Putean.* Quas ex auro gestare in collo consueverunt, sicut amplius monstrabimus in libello de Antiquorum Torquibus c. 4. *Scheff.* Tales enim *bullæ* nobilitatis erant ornamentum. Barth. ad Stat. Silv. V. 3. 120. Pro *fisci*, Guelf. *fiscus.* Cf. Coler. Parerg. Jur. c. 27. not. ad Pauli Recept. Sentent. lib. V. Tit. XII. Demst. ad Rosin. VII. 31. et not. ad Plin. Paneg. c. XXXVI. Quæ vero fisco non poterant solvere, vendebantur. Scholiast. Juven. Sat. III. 33. *Arntz.*

Pecuniæ fisci] Disting. *numerari ubique pecuniæ, fisci repleri.* Acidal.

§ 3 *Aliis sibi*] Non video, quid in his verbis desiderem, et tamen *abl. aliis ut sibi redd.* est in V. B. Quod ingenue non expedio, fidei nihilominus causa, et quia merito summa apud me est utriusque codicis auctoritas, proponendum putavi, si quid erui fortasse quiret, non enim omnia omnes possumus. *Livin.* Dubitabam cum Livineio de hoc loco: maxime cum et in meo deprehenderem, *aliis ut sibi.* Sed exemit mihi dubitationem omnem dominus Freinshemius, cum quo retinendam omnibus vulgatam censeo. *Scheff.*

§ 4 *Quidquid convenerat*] Potest ea lectio defendi. Balduinus tamen reposuit *concurrerat.* Juret. Leg. *converrerat.* Statius, emendante Modio, 'Quid si Tyriæ Phrygiæque sub unum Converrentur opes.' *Acidalius.* Suspicio fuit olim *converrerat*, quod cum et jam placuit Livineio, jam non suspicio est, sed aliquid certius, *Gruter.* Acidalius, Livineius, Gruterus conjectarunt *converrerat.* Hanc eorum conjecturam meus firmat, apud quem expresse ita scriptum reperitur. *Scheff.* Sic Acidalius et Gruterus conjecere, quos firmat cod. Schefferi. *Cellar.* Balduinus, Acidalius, et alii ex conjectura scribendum censuerunt *converrerat*, cum vulgo et adhuc

in recentissima editione Veneta legeretur *convenerat*. Cod. Ms. *Noster ille pirata, quidquid undecunque convexerat: id nobis, &c.* Schwarz. Posset etiam legi *convexerat:* verum videtur alterum magis exprimere rei indignitatem. Taubm. ad Plaut. Rud. III. 6. init. Adeoque non amplectimur scripturam Barthii ad Claudian. in Ruf. I. 220. legentis *convenerat*, quod aperte falsum. Firmat receptam scripturam Horat. Od. I. 1. 10. 'Quidquid de Lybicis verritur areis.' Vetustiores quoque editi, *convenerat*. Ita edit. 1476. Rhen. aliæque. *Arntz.*

Charybdim loquor] Videtur imitatus illud Ciceronis in Marc. Anton. Philipp. II. 'Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim dico, quæ si fuit, fuit animal unum.' Servius in Æneid. III. 'Charybdis sorbet universa, et ea secundum Sallustium circa Taurominitanum egerit litus.' Strabo lib. VI. p. 185. ed. Cas. *Putean.* *Charybdin*, non *Charybdim*, præfert Guelf. In pristina scriptura consentit Barth. ad Claudian. in Rufin. I. 220. *Arntzen.*

Rejectare] Vid. Strabonem lib. VI. Servium ad Æn. III. notante Puteano. Isidorus XIII. 18. 'Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat. Accipit aquas, ut vomat: vomit, ut rursus accipiat.' *Scheffer.* Per *contortas rates* intelligit naves ad fundum raptas, quare 'ejectam naufragorum manum' dicit Cicero Orat. II. Catil. cap. 11. Terent. Andr. I. 3. 18. V. Marckl. Epist. Critic. pag. 54. Burm. ad Petron. Sat. cap. 115. et ad Val. Flacc. VI. 411. unde 'ejectus' notat naufragum. Terent. Andr. V. 4. 20. Ovid. Epist. Heroid. VII. 172. Met. XIII. 527. *Arntz.*

Taurominitanis litoribus] Sic olim creditum. Vide Strab. lib. VI. et Senec. Epist. LXXIX. *Cellar.* Et Lips. ad Senec. Epist. l. l. V. D. ad Juven. Sat. V. 93. *Arntz.*

§ 5 *Perpetua via*] A Cicerone est in L. Pisonem. Verba exscripsi supra. Auctor rursum: 'Hic perpetuum victis abitum, ille victoribus crebrum optabat adventum.' *Livin.* *Ad ærarium*, quod per calumnias et pravas artes implere tyranni solent. Unde et a Plinio 'spoliarium civium' vocatur in Paneg. c. XXXVI. 'Juvat,' inquit, 'cernere ærarium silens et quietum, et quale ante delatores erat. Nunc templum illud, nunc vere Deus, non spoliarium civium cruentarumque prædarum sævum receptaculum.' *Scheff.*

Revomebat] Persistit ulterius in metaph. cum de mari jactatis quoque adhibeatur. Virgil. Æn. V. 182. 'Et salsos rident revomentem pectore fluctus.' Lambin. ad Lucret. II. 199. Val. Flacc. I. 822. Ovid. Met. XV. 513. 'et patulo partem maris evomit ore.' Met. XIII. 731. de Scylla: 'vomit raptas revomitque carinas.' Seneca Agam. vs. 500. 'Hauritque et alto redditam revomit mare:' ubi non video cur sequerer criticum legentem 'mari.' Certe receptum confirmant duo apud me codd. *Arntz.*

CAP. XXVII. § 1 *Donandi gratia*] Cicer. Offic. I. 'Sunt multi cupidi splendoris et gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur. Hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacunque ratione. Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium.' Porro pro *donandi gratia*, in meo est *donanda:* rectissime. *Scheff.* Ms. *Est improborum Principum extrema defensio auferre donando.* Schwarz. Pro *donandi gratia*, Guelf. refert *donando*, quod facit ad defensionem scripturæ cod. Scheff. Nec novum est *gratia*, *caussa*, *&c.* omitti, quare non necesse esset illum casum mutari. Drakenb. ad Liv. IX. 39. quibus junge quæ diximus ad Vict. Ill. II. § 6. Quod idem est, pro *postrema*, scripsit Guelf. *extrema;* pro *nullus*, idem præfert *nullis*. Re-

spicere videtur ad τὸ *omnibus*. Arntz.

Deprecari; quæ] Disting. *deprecari. Quæ* (*malum*) r. Acidal. Solenne artificium malorum principum. Sciunt enim gratam cunctis esse principis liberalitatem; omnesque illos amari, a quibus beneficia tribuuntur. Vide Tacitum Annal. XIII. 18. Igitur de Trajano Plinius c. XXVIII. 'Tantam pecuniam profudisti, non ut flagitii tibi conscius ab insectatione ejus averteres famam, nec ut tristes hominum mœstosque sermones lætiore materia declinares. Non tibi benefaciendi fuit caussa, ut quæ male feceras, impune fecisses; amor impendio isto, non venia quæsita est.' *Scheff.*

Nullus habiturus] Perspicue rectum est *habiturus*. 'Aditu' pro 'habitu' rescriptum Mamert. Grat. Act. Julian. cap. 26. In Epistola quoque Sabiniana Paridis ad Œnonem, quæ Ovidianæ respondet, ubi vulgatum est, 'Jam dolet et Mavors, terras ultroque reliquit: Prætulit Anchisen hinc abitura suum;' olim bene mihi correctum, 'huic habitura.' Sermo est de Venere. *Livin.*

§ 2 *Quantum ubique*] Plinius cap. XXVII. 'Principis est, quicquid est omnium. Tantum ipse, quantum omnes, habet.' Seneca de Beneficiis l. VII. 'Jure civili omnia regis sunt.' *Scheff.*

§ 3 *Existimare*] Malim cum editis *æstimare*, quod et servat editio primaria, nisi quod in ea *extimare*. Gruter. Male aliæ editiones scribunt *extimare*. Sed meliora dedit Guelf. *æstimare*. Idem enim notat quod 'existimare.' Scheff. ad Phædr. III. 4. 6. Cort. ad Sallust. Cat. VIII. 2. et ad Plin. Epist. III. 9. 31. Plura congessit diligentia Drakenborchii ad Livium XXXIV. § 2. *Arntz.*

Principum] *Principum* sequor, non *civium*; neque profecto *civium*, proinde ac *Principum*, vel levissima defensio est auferre donanda, quin legibus dent pœnas. Contra *Principum*, pro *civium*, emendamus Panegyr. Plin. c. LXVII. *Livin.*

Novum fatum] Juret. ad Symm. Epist. I. 7. Vide Turneb. Advers. XXVII. 2. *Putean.* Principes posse regere Deorum fata et ea in melius mutare crediderunt principibus adulantes: inde illud Ammian. Marcell. XVII. 13. 'Fatum vinci principis potestate:' ubi cf. Vales. unde dicuntur 'convertere fata.' Barth. ad Claudian. IV. Cons. Honor. vs. 119. p. 584. adeoque hæc sunt referenda ad minora, quæ superari possunt provido consilio, et solertia humana. Burman. ad Ovid. Epist. Her. I. 28. cum ceteroquin 'fata inmutabilia' judicarint Servius et alii ad Virgil. Æn. I. 257. Curt. IV. 6. 17. et Bernecc. ad Justin. XII. 13. 5. Huc trahi posset illud Ovidii Met. XI. 759. 'nisi sensisset prima nova fata juventa.' Huc et facit Senec. Agam. vs. 707. 'Fatorum novas Experta leges.' Juven. Sat. VI. 190. V. D. ad eund. Sat. VII. 189. Barth. ad Stat. Theb. X. 194. Turneb. Adv. XXVII. 2. *Arntz.*

§ 4 *Quam quod dedit*] Seneca iterum de Beneficiis VI. 3. ubi opes aliaque fortunæ bona mutuo nos accepisse docet, postea subjungit: 'quæris, quomodo illa tua facias? dono dando.' *Scheff.*

§ 5 *Ambit*] Ita recte de Oceano, qui omnes terras suis aquis cingit. Tib. II. 5. 62. 'Solis anhelantes abluit amnis equos:' ubi per 'amnem' ipse Oceanus intelligi debet. Confer Statium ad Tibull. III. 3. p. m. 353. Hoc transtulerunt ab ipso Homer. Iliad. Φ. 195. *Arntz.*

Redundat] Lege *redundet*; pendet enim a superiore *quum*. *Nam quum intra ipsum volvantur omnia, et ut ille, &c.* Nec finita dum sententia cujus altera pars sequitur. *Acidal.* Lege *redundet* cum Acidalio, etsi veterem scripturam meus quoque præferat. *Scheff.* *Redundat* tamen retinet Barth. ad Claudian. IV. Cons. Honor. vs. 118.

ubi alia ad hunc locum facientia reperiuntur. Nec prisci editi dissentiunt. *Arntz.*

Et rei et famæ] Gravis sententia. Nam cum duo fere sint, quæ viros principales movent, gloria et pecunia, utrumque monstrat eos consequi beneficiis. Similiter supra c. IX. 'Rem et famam pariter augebas,' &c. *Scheff.*

CAP. XXVIII. § 1 *Sed illi*] Veræ scilicet ac honestæ. Nam quin alias fictarum laudum avidi sint tyranni dubium est nullum. At veram illam, quæ, ut docet Cicero, ex sola est virtute, non appetunt: quia nec virtutem ambiunt, sine qua haberi illa nequit. *Idem.* Guelf. *illa.* Sed alterum fortius videtur: et pro *exempli odium*, editt. 1476. 1520. et aliæ *exemplum*, omisso *odium*. Guelf. *ejus boni exemplum.* Arntz.

Pessimo cuique] Falsa et nihili sententia, quam animabam, et ante inspectos codd. legebam, *pess. cuique odium boni exempli.* Et ecce diserte est in C. *pessimo cuique b. exempli odium.* In quo acquiescamus sane. Nam quod V. exhibet *cujus* pro *cuique* æque ad sensum nauci est. Tentabam tamen et mutatione parva scribebam, *præter invisum pess. cujus boni exemplum. Boni*, i. e. virtutis. Tu dispice, mi lector. *Livin.* Leg. f. *boni exempli odium.* Acid. *Boni exempli odium*] Sic ausus sum rescribere, persuasus ab editione Viennensi, cum aliæ vulgatæ nihil haberent sani, sed tantum, *pessimo cuique bono exemplum.* Gruter. Veteres omnes præter unum Livineii, ex quo illa lectio desumpta est, quam textus præfert, *insitum pessimo cuique boni exemplum.* Credo scripsisse *invisum*, pro *insitum*, quod et Livineio in mentem venisse video. Porro meus pro *cuique* habet *cujus:* scribendum forte *cuivis.* Scheff.

Cuiquam reliqui] Exemplo Neronis, de quo Sueton. c. 32. 'Nulli delegavit officium, ut non adjiceret, scis quid mihi opus sit, et, hoc agamus, ne quis quidquam habeat.' *Idem.*

Qui regibus] Vel quia regum peculiari quodam jure sunt, quæ natura sic producit, vel quia sumptus regios opera ejusmodi requirunt; vel quia si privatis tantæ opes concederentur, divitiæ illorum in immensum crescerent, reique publicæ evaderent perniciosæ. *Idem.* V. Clar. Vitring. Obs. I. 6. Cum arbitria eorum pro legibus essent, ut scribit Justin. I. 1. init. et Meurs. ad Callim. in Jov. vs. 3. *Arntz.*

Exercendis] Acidalius conjectavit *egerendis*, et paulo post *accerseret.* Juvatur conjectura ejus a scriptura mei codicis, quæ plane est hujusmodi. *Scheff.* Acidalius sic et cod. Schefferi. Vulgo *exercendis.* Cellar. Pro *egerendis*, cod. Guelf. *exerendis;* quod non meretur audiri. Tacit. Annal. XV. 45. Justin. IV. 1. 6. Lucan. III. 166. 'Gaza triumphis Egeritur.' *Arntz.*

Arcesseret] Leg. *accerseret;* et supra *egerendis.* Sic paulo post, 'nec e terrenis specubus egestum.' *Acid.* Guelf. *accresceret*, quod ferri posset et commode explicari. Conferendus est Palmer. Specil. p. 843. tom. IV. Fasc. Crit. *Arntz.*

§ 2 *Pretiosum putabat*] Plin. XXXIII. 4. scribit aurum tribus modis inveniri, fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, et Gange Indiæ, vel puteorum scrobibus effoditur, aut in ruina montium. *Putean.*

Fluminum glareis] *Fluminum glareæ* in vet. Glossar. 'Glareas' lapillos fluminum appellamus, quos aqua defluens trahit. *Idem.* Interponit Guelf. *de fluminum:* ideoque videtur illud *de* accipiendum esse pro *e* ut apud Horat. Od. II. 4. 17. Justin. III. 9. 2. et alibi. 'Glareæ' vero sunt lapilli minores, qui reperiuntur in margine fluviorum. Tibull. I. 8. 59. V. D. ad Auson. Epist. X. 15.

'glarea trita viarum.' Gronov. ad Liv. XXI. 30. Lucan. IV. 302. 'Aut inpulsa levi turbatur glarea vena:' et 'nuda glarea' apud Columellam de Re Rustic. IV. 22. 8. et 'glareosa arva' et 'sabulosa' jungit Idem II. 10. 23. Barth. Adv. III. 4. Vulg. Versio Jobi XXI. 33. Quod sequitur *eruisset* melius est quam alii editi *exuisset*. Ita editio 1476. Rhen. et aliæ. 'Eruere' de interioribus terræ visceribus, pro in lucem producere. Ovid. Amor. III. 8. 52. 'Eruimus terra solidum pro frugibus aurum.' Lucan. IV. 222. 'Non chalybem gentes penitus fugiente metallo Eruerent.' *Arntz.*

Bessus] Bessi sunt populi Thraciæ apud Plin. IV. 11. Veget. II. 11. 'Usque eo,' inquit, 'ut etiam cunicularios haberent, qui ad morem Bessorum ducto sub terris cuniculo murisque intra fundamenta perfossis improvisi emergerent.' Claudian. de Consul. Manlii: 'quidquid fluviis evolvitur auri, Quidquid luce procul venas rimata seqnaces, Abdita pallentis fodit solertia Bessi.' *Putean.* Ille populus præcipue celebratur, quod sagax esset ad inveniendas metallorum venas. Barthius ad Claudian. Cons. Mall. vs. 41. Guelf. *Gallicus:* corrupte. De eo populo confer Cellar. Geogr. II. 1. Not. ad Just. XLIV. 3. et Drakenb. ad Liv. Epit. LVI. *Arntz.*

Scrutator Callaicus] Callaici, qui et *Gallaici*, et *Gallæci*, sunt Hispaniæ populi, quorum regio Gallæcia dicitur auri fœcunda, teste Plinio XXXIII. 4. Martialis quoque 'aurum Gallaicum' dicit et 'Gallaicum metallum.' *Putean.* In meo est *Gallaitus*. Rectius *Gallaicus*, vel *Gallæcus*, quoniam ex Gallæcia Hispaniæ regione, auri fœcunda, de qua Plinius XXXIII. 4. *Scheff.* Hispanus Occidentalis. Ad Oceanum enim Callaici, sive Callæci, fuerunt. *Cellar.*

Purius] Peccat Guelf. *spurius* reponens, quod etiam æstimavisse videtur alia manus, cum puncto infra *s* posito illud monuerit. Martial. IV. 39. 'Argentum tamen inter omne miror Quare non habeas, Charine, purum.' Juven. Sat. IX. 141. 'argenti vascula puri:' ubi tamen Grang. exposuit, 'non cælati:' cui non adcedo. Adde Dous. Præcid. ad Catull. c. 7. *Arntz.*

Quod dedissent dolentes] Isthæc meus non agnoscit. Et profecto, si rem bene æstimamus, locum hic non habent. Quomodo enim cum præcedente illo *splendidius* convenit *dolentes?* Non enim, quia dolebant, splendidius reddebatur, sed quia, quod mox sequitur, lacrymis abluebant. Itaque ego quidem verba ista pro glossemate habeo, quæ primum adscripta in margine, postea in textum ipsum ab imperito quodam recepta sunt. *Scheff.*

Animum æque] Leg. *amnium aquæ*. Acidalius. Franc. Modius Novant. Lect. Epist. LXXIX. notat: 'Ænigma hoc planissime. Sed bene quod Sphyngem et quidem Hordensiana illa meliorem domi habemus. Scribendum haud dubie, *quod hominum lacrumæ, non amnium aquæ abluissent*. Elegantissima et maxime perspicua oratione.' Eodem modo Ranchinus Var. Lect. I. 14. Respicit orator ad morem antiquum, cum crederent malefacta ablui posse, si corpus viva aqua ablueretur. Virgil. Æn. II. 718. 'Me bello ex tanto digressum et cæde recenti Adtrectare nefas, donec me flumine vivo Abluero.' Ubi cf. V. D. 'Abluere peccata' in Vulg. Vers. Actor. c. XXII. 16. Ovid. Fast. V. 681. 'Ablue præteriti perjuria temporis, inquit, Ablue præterita perfida verba die.' Propius ad Nostrum Plinius Epist. III. 7. 3. 'maculam abluerat.' Cicer. Tusc. IV. 28. 'Omnis perturbatio animi abluitur.' Delr. ad Senec. Hipp. vs. 714. Torrent. ad Horat. Sat. I. 5. 24. Barth.

Adv. III. 3. et ad Stat. Theb. I. 332. Victor. Var. Lection. XIII. 24. *Arntzen.*

§ 3 *Stilus*] Sic 'stilus proscriptionis', in l. 4. Cod. de bonis damnat. et Cod. Theodos. Vide Juret. ad Symmach. Epist. IV. 72. *Puteanus.* Hoc est, proscriptiones. 'Supra: 'Quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates, impletas fugitivis nobilibus solitudines,' &c. *Livin.* Suspectum *stilus.* Nec scio satis an *fiscus.* Acidal. 'Hoc est, proscriptiones,' inquit Livineius. Et firmat Puteanus l. 4. Cod. de bonis damnat. Cod. Theod. et Jureti notis ad Symmach. Epist. IV. 72. Acidalio suspectum est, malletque *fiscus.* Scheffer. Proscriptio. Sic Seneca de Clementia I. 14. 'decretorium stilum' dixit, quo filius exheredatur. *Cellar.* *Stilus* de omni acerbiore scriptura est exponendus. Hinc 'atrox stilus' apud Petron. c. 5. ubi Burm. et 'audacia stili' apud Statium Præf. Silv. III. Consule porro Turnebum Adv. XIV. 24. *Arntz.*

In vota paupertas] Dio lib. LIX. ubi de Caligula gladiatores summo pretio vendente: Καὶ οἵγε πλείους ὅσοι ἐν δόξῃ περιουσίας ἦσαν, ἀναλῶσαι τι τῶν ὑπαρχόντων ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ, ὅπως πενέστεροι γενόμενοι περισωθῶσι, θέλοντες, μεγάλων αὐτοῖς χρημάτων ἠγόρασαν. *Plerique qui divites censebantur, ea occasione insumere partem suarum facultatum volentes, ut pauperiores salvi facti essent, magna eos pecunia comparabant.* Scheff.

Subire sectorem] Ludit in vocabuli 'sectoris' ambiguitate. Nam et 'sector' is, qui secat; at hic is, qui emit bona publicata. Similis est lusus Ciceronis in Orat. pro Roscio: 'Scimus per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum.' *Idem.* Vide Asconium in Verr. de Prætur. Urb. p. 84. *Cellar.* Opportuno loco memorat illud hominum genus, qui plura simul in auctionibus emebant, ut deinceps ea iterum per partes venderent. Cicer. Orat. II. Philipp. c. 31. Illud genus infelicibus temporibus Romæ admodum erat invisum. Burman. de Vectigal. cap. VIII. Barth. Adv. l. IV. c. 4. 'Sector' itaque solus is est, qui emit publicata bona. Barth. Adv. l. l. Flor. II. 4. 48. Talem ambiguitatem in Cicerone notavit Græv. ad Cicer. pro Sext. Rosc. cap. 29. et Abram. ad eumd. Orat. Philipp. II. 26. Manut. ad eumd. Epist. XV. 19. Victor Epit. XVI. § 9. *Arntz.*

§ 4 *Si cui ille*] Sic puto legendum: *quod si cui ille præ cæteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur, vestrum is, vestrum Balio triumphalis et trabeate Merobaudes recordetur interitum, &c.* Merobaudem autem illum puto esse Valentiniani Junioris propinquum, qui bis consul fuit in Occidente, atque eo iterum consule Gratianum occisum Marcell. in Chrón. tradit. Merobaudis magistri militum proditione, Gratianum a Maximo ad Parisios superatum esse Prosper scribit, quem puto alium esse abs superiori. *Balio* autem pro *Vallio* reponendum ex Ambrosii Epist. 27. ubi scribit, Balionem bellatorem egregium cum a Maximo occidi jussus esset, sibi ipsum vim intulisse. *Putean.* Transponunt *si cui ille*, quod non opus. Expungunt etiam nescio quid. Tu leviter muta et necte cum sequentibus: *Quod si ille cui pro ceteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur, vestrum is, vestrum Vallio triumphalis, et trabeate Merobaudis recordetur interitum.* Acidal. Ita totum hunc locum scriptum meus codex habet. Acidalius et Puteanus conjecturis adducti ita emendaverant, cum ante legeretur, *quod si ille cui p. c. s. s. m. crudele f. v.* Scheff.

Vallio triumphalis, et trabeati Merobaudis] Sic fere Mss. codd. et Viennense exemplar. Nam ultima editio, *vestrum si vestrum Vallio triumphalis*

et trabeati memorandis recordetur int. Media vero, *vestrum si vestrum Vallio triumphalis, et trabeate Merobaudis recordetur int.* Puteanus emendabat, *quod si cui ille præ cæteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur; vestrum is, vestrum Ballio triumphalis, et trabeate Merobaudes, recordetur interitum.* Merobaudem autem illum putat esse Valentiniani Junioris propinquum, qui bis consul fuit in Occidente, atque eo iterum consule Gratianum occisum tradit in Chronico Marcellinus. Merobaudis magistri militum proditione, Gratianum a Maximo ad Parisios superatum esse Prosper scribit, quem putat idem Puteanus diversum esse a superiore. Ceterum *Balio* pro *Vallio* reponendum putat Balduinus ex Ambrosii Epistola 27. ubi scribit, 'Balionem bellatorem egregium, cum a Maximo occidi jussus esset, sibi ipsi vim intulisse.' *Gruter.* Ambrosio est *Balio.* Itaque sic nomen ejus hic scribendum censet Puteanus. Puto perinde esse sive *Balio* scripseris, seu *Valio.* Solent enim istæ literæ creberrime inter se permutari, uti ex Inscriptionibus antiquis notissimum cuique est. *Scheffer.* Triumphi honore dignus. Ambrosius Epist. LVI. sive relatione ad Valentinianum II. de legatione sua ad Maximum, *Balionem* vocat (non *Vallionem*) eumdemque bellatorem strenuum, militem (Gratiano) fidelem, comitem utilem. Quem Maximus fingebat metu sibi vim intulisse, ne Cabillone vivus exureretur. Lege Ambrosium. *Cellar.* Cod. Ms. *Quod si ille cui vestrum pro sceleribus ceteris suis minus crudelis fuisse videtur; is Valii triumphalis et trabeati Merobaudis recordetur: quorum alter post amplissimos magistratus .... vita se abdicare compulus est, &c.* Satius hæc legi videntur sine apostrophe ad Valium, sive Balionem, et Merobauden, propter nexum sequentium verborum. *Schwarz.* Quæ notat Scheff. de illis literis inter se commutatis, res certa est. Burm. Syllog. Epist. tom. V. p. 366. Gronov. ad Gell. Noct. II. 4. Salmas. Plin. Exercit. p. 199. *Arntz.*

Trabeate Merobaudes] Quem Marcellinus Comes in Chron. dicit iterum consulem fuisse, quo anno Gratianus interfectus est a Maximo. *Cellar.* Respicit ad id, quod Romanorum Impp. et Coss. olim insigne fuerit 'trabea.' Serv. ad Virgil. Æn. XI. 334. Manut. Quæst. per Epist. III. 3. cum Savar. ad Sidon. Carm. II. 2. Mamertin. Paneg. c. III. 'Trabeæ vestræ triumphales et fasces consulares.' Fuit hic Merobaudes consul sub Valentiniano, quod constare potest ex iis quæ notat Vales. ad Ammian. XXX. 10. *Arntz.*

Amplissimos magistratus] Consulem bis invenio, primum cum Flavio Gratiano A. IV. A. U. C. MCXXVIII. iterum sexennio post, cum Flavio Saturnino, qui hic Vallio est. Quo anno exante diem VIII. Kal. Septembres Gratianus occisus est, ut Marcellinus Comes tradit. Cassiodorus et Prosper in proximos. Coss. Ricimerem et Clearchum rejiciunt. *Livin.* Merobaudes scilicet, quem cum Gratiano consulem fuisse docet Ammianus lib. XXXI. Ceterum de hac morte nihil adhuc apud alios observavi. *Scheff.*

Gula domi fracta] Mors fœminea. *Putean.* Ut hæc melius intelligantur, adscribenda verba sunt Ambrosii ex Epistola 28. quem locum commode hic indicarunt Balduinus et Puteanus. 'Quos, inquit,' (Maximum loquentem introducit) 'occidi? Respondi ei, Balionem. At quem virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit justa causa exitii, quod Imperatori suo fidem servavit? Non ego, inquit, eum jussi occidi. Respondi, hoc audivimus, quod occidi jussus sit. Sed, inquit, se ipse sibi vim non intulisset, jusseram eum deduci Cabil-

lonem et ibi vivum exuri.' Patet ex his verbis prætulisse Maximum, quasi sponte Valio se laqueo suspenderit, metu gravioris supplicii. Hine noster 'inussisse ei femineæ mortis infamiam' dicit. *Scheff.*

Et inusta] Mutant *et usta.* Quorsum? Tu lege *et inusta femininæ mortis infamia;* muliebris enim mors laqueo, virilis gladio perire. Quamquam magis probem simpliciter *fœdæ.* Acidal. Pro *inusta*, reponunt quidem *et usta:* non recte. Ego in hac re nihil muto. *Ranchinus,* Variis Lectionibus I. 14. *Et injusta* habet cod. Guelf. Defendit vulgatam scripturam Val. Max. VI. 8. ex. 7. 'Literarum nota per summam oris contumeliam inustus.' Addatur Gronov. ad Liv. IX. 3. Justin. XLIV. 4. 9. 'Notæ corporis, quæ inustæ parvulo fuerant.' Confer Dougt. Anal. Sacr. part. II. exc. 84. Facit ad hanc rem Petron. c. 103. 'Frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puncti:' ubi V. D. Plin. Epist. IX. 13. 16. 'Nota Certo quasi censoria inuratur.' Tuetur quoque hunc locum Lips. de Cruce III. 7. et Modius Novant. Lection. Epist. 79. *Arntz.*

Femineæ mortis] Hoc enim genere supplicii afficiebantur. Sueton. in Tiber. c. 61. 'Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ.' Tacit. Annal. VI. 25. ubi de obitu Agrippinæ: 'Addidit Cæsar, jactavitque, quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias projecta foret.' *Scheff.* Olim crudelissimum merito habitum in feminas sævire, unde illud Virgil. Æn. II. 583. 'Nullum memorabile nomen Femineâ in pœna est.' *Arntz.*

§ 5 *De his*] Ms. *Quid de iis dicemus.* Schwarz. Confirmat Bentl. ad Horat. Od. IV. 3. 49. *Arntz.*

Inter suos clari] In tantum princeps malus virtutem omnem odit, ut etiam in iis, quos suspectos habere posse non videtur, ferre nequeat. Quare? Credo, ne quid uspiam honestum occurrat. An potius tantus metus est in ejus animo, ut timeat id etiam, quod timeri vix potest? secundum illud, quod est apud Gnomologum: 'Αεὶ δ' ἀνάκτων ἐστὶ δεῖμ' ἐξαίσιον. *Semper regum timor ingens est.* Exemplum præbet Domitianus, de quo Suetonius c. 15. postquam alios terrores ejus longa serie recensuit: 'Flavium Clementem patruelem suum contemptissimæ inertiæ repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso ejus consulatu interemit.' Nempe verum, quod ait Tacit. Histor. II. 76. 'Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur.' *Scheff.*

CAP. XXIX. § 1 *Sanguinem feminarum*] Euchrociam quoque Delphidii Rhetoris conjugem Priscillianismi ream a Maximo capitis damnatam Sulpitius Severus Histor. Sacr. lib. II. et Prosper in Chronic. scribunt. *Putean.*

Cui bella parcunt] Grypus apud Justinum XXXIX. 3. 'A nullo unquam,' ait, 'majorum suorum inter tot domestica, inter tot externa bella, post victoriam in feminas sævitum, quas sexus ipse et periculis bellorum, et sævitiæ victorum eximat.' Consule Grotium de J. B. et P. III. 2. *Scheff.* Idem voluit Senec. Troad. vs. 357. 'mens ensis quoque Scit parcere captis.' Horat. Od. III. 8. 26. Lucan. VII. 731. Flor. II. 6. 17. *Arntzenius.*

In pace] *Non parce.* Abest V. B. negatio. Itaque Franc. Modius *pace sævitum* divinabat, quod non improbo. *Livin.* Leg. *in pace sævitum.* Vel ipso etiam *in* pro *non* deleto. *Acidal.* *Non parce.* Ita editi. Meus aliique scripti codices negationem non agnoscunt. Hinc inducti Modius et Livineius, ut pro *parce* scriberent *pace.* Quam ipsorum conjecturam ego quoque probo. *Scheff.* Vulgo

non parce sævitum. Sed *non* abest a scriptis, ideoque Modius, Livineius, Schefferus, *in pace*. Cellar. Elegantia quæri posset inter *parcunt* et *parce*, quamvis alterum non dissimili sono sit, ut bella paci opponit Tac. Agric. c. 20. Nepos Epam. v. 4. Val. Max. IV. 2. init. 'bellum pace mutatum.' Terent. Eunuch. I. 1. 16. 'Bellum, pax rursum.' Victor Epit. c. 11. Vell. II. 2. *Arntz.*

§ 2 *Unco*] Quo trahebantur in Gemonias. Juvenal. Sat. X. 'Impacto Sejanus ducitur unco.' Sidon. I. 7. 'Uncum et Gemonias et laqueum per horas turbulenti carnificis horrescens.' *Scheff.* Ex Romanorum more, qui damnatos vel supplicio adfectos unco trahebant per carnifices, et in Tiberim projiciebant. Lips. ad Senec. de Ira I. 3. Florus III. 21. 15. Faber Semestr. II. 9. *Arntz.*

Clari vatis] Inepte B. *clarinatis*, C. *claritatis*, R. *clarivatis* præferunt. Nam Delphidium rhetorem significat, de quo Ausonius Professor. Cui Euchrotia uxor, Procula filia, utraque Priscilliano Gnostico familiaris. Adi Sulpicium Severum Sacræ Historiæ lib. II. *Livin.* Sic omnino legendum est, ut primum observavit Livineius. Meus cum aliis habet *clarinatis*. Alii *clarivatis*, quod et Stephanus reperit in suo codice. Intelligit hic autem rhetorem Delphidium, de quo Ausonius in Profess. v. 5. 'Tu pæne ab ipsis orsus incunabulis Dei poëta nobilis, Sertum coronæ præferens Olympiæ, Puer celebrasti Jovem: Mox inde cursim more torrentis freti, Epos ligasti metricum, Ut nullus æqua lege liber carminum Orationem texeret.' Hujus rhetoris et poëtæ nobilis uxor Euchrotia apud Maximum hæreseos accusata, et supplicio affecta est, ut idem innuit Ausonius, et aperte docet Sulpitius Severus. *Scheffer.*

Mulieri viduæ] Jam enim decesserat maritus. Ausonius de Delphidio v. fin. 'Minus malorum munere expertus Dei, Medio quod ævi raptus es. Errore quod non deviantis filiæ, Pœnaque læsus conjugis.' Proxime 'nimiam religionem' Priscillianismum, et impiam Gnosticorum hæresin vocat. Infra iterum, 'impio religionis injuria.' Lege omnino Sulpicium Severum. *Livin.* 'Priscillianismum,' ait Livineius, 'et impiam Gnosticorum hæresin vocat.' Recte. Sed quare 'nimiam religionem' appellat? Quia Priscillianistæ jejunabant die dominico et tempore Nativitatis Domini, quod Catholici non faciebant. Deinde quia illo tempore etiam alios viros sanctos, quibus, ut ait Sulpitius, 'aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios in crimen arcessebant.' Itaque quod illis accedit, tanquam et Euchrotiæ accidisset, noster arguit. *Scheffer.* Euchrotiæ, Delphidii rhetoris et poëtæ (de quo Ausonius in Professor. c. V.) viduæ, supplicio adfectæ, propter Priscillianismum. Sulpit. Sever. Hist. Sacr. II. 48. 51. (al. 63. 65.) *Cellar.*

§ 3 *Accusator*] Retineo majus, scilicet ad laudem matronæ. Piget toties et tam acerbe inculcati Priscillianismi in egregio oratore. Mox *antistites* Idacium et Ithacium intellige, qui post hujus ipsius accusationis invidiam ab episcopis communione sunt multati. *Livin.* Ithacium intelligit, ut ex Sulpitio videmus. *Scheff.* Paulo superius pro *exprobrabatur*, Guelf. *probabatur*. Cave consentias. Probro enim ducebatur feminæ coluisse Deos. *Arntz.*

Fuit enim, fuit] Non sine admiratione conjuncta cum execratione quadam hæc dicuntur. Nec immerito. Debebat enim hoc genus hominum subducere se talibus negotiis, nec per pravas istiusmodi artes in amorem dominorum se insinuare. Quod Martinum legimus fecisse, 'qui Maximum monebat, ut sanguine infelici-

um abstineret; satis superque sufficere, ut episcopali sententia hæretici judicati ecclesiis pellerentur.' Sed nimirum quo securius sub pietatis specie sua exercebant odia, hoc audacius adulabantur. Dederuntque exemplum bonis principibus non audiendi, quemadmodum fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et pietatis fallaces. Tacit. Annal. XVI. 32. *Scheff.*

Nominibus antistites] Intelligit Christianos episcopos, qui plures ex diversis partibus ad Maximum convenerant: horum consiliis depravatus Maximus Priscillianum hæreticum ejusque socios capitis damnavit, accusantibus episcopis, ac in primis Ithacio et Idacio, qui ob id ecclesiæ communione privati sunt. Severus in Vit. Mart. et Hist. Sacr. lib. II. Prosper in Chronic. Ambros. Epist. 27. in fine. *Putean.*

Calumniabantur] Hoc est, ultra communem delatorum morem sæviebant, ut qui avaritiæ suæ consulere, et bonis tantum aliorum inhiare consueverunt, contenti, si locupletes se fecissent. Martialis Spectac. Epigr. IV. 'Turba gravis paci, placidæque inimica quieti, Quæ semper miseras sollicitabat opes.' *Scheff.* Tale genus delatorum sub principibus fuit admodum timendum, cum ipsi principes sævioris ingenii et rapinis inhiantes, quibusvis eos præmiis adficerent. Brisson. Select. Antiq. III. 17. *Arntz.*

Damnatorum frena] Non expedio quæ hæc *frena;* et audacter *funera* repono, id est, cadavera. Infra: 'Tegit totos strages una campos, continuisque funeribus cuncta late operiuntur.' *Damnatorum* dixit ex vero, non oratorie, et ad invidiam. In iis Priscillianus, Latronianus, Euchrotia, alii non pauci. Ex eodem Severo. *Livin.* Veniebat aliquando sub ictum stili *funera,* cum recordarer loci Senecæ Epist. 70. 'Scribonia gravis femina amita Drusii Libonis fuit, adolescentis tam stolidi quam nobilis, majora sperantis, quam aut illo sæculo quisquam sperare poterat, aut ipse ullo. Cum æger a senatu in lectica relatus esset, non sane frequentibus exsequiis: omnes enim necessarii deseruerant impie, jam non reum sed funus,' &c. Nunc cum ita quoque conjecerit Livineius, est quod magis amem illam suspiciunculam. *Gruter.* Miror pertinacem omnium librorum in hoc nomine consensum. Nam et meus ita habet. Sed quia nullus hic *frenorum* locus, probo, quod cum Livineio reponit Gruterus, *funera.* Scheff. Jo. Livineius non expedire se ait, quæ sint hæc *frena,* et audacter *funera* reponere, ut intelligas cadavera. Gruterus quoque sibi venisse sub ictum stili *funera,* quum recordaretur in Senecæ Epist. 70. positum, ubi Drusus Libo vocatur 'non reus, sed funus:' quando autem etiam ita conjecerit Livineius, esse, cur magis amaret hanc suspiciunculam. Ego vero et hunc amare, quod non amandum, et illum audere, quod minime audendum esset, existimo. Didici enim antiquissimum fuisse morem, ut noxii damnati, ducique jussi inter cætera ludibria capistrati frenatique traherentur. Herodotus lib. III. Παρελθουσέων δὲ τῶν ὑδροφόρων δεύτερα οἱ τὸν παῖδα ἐξέπεμπε μετ' ἄλλων Αἰγυπτίων δισχιλίων τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἐχόντων. Τοὺς δὲ αὐχένας κάλῳ δεδεμένους ἦγον, καὶ τὰ στόματα ἐγκεχαλινωμένους. Ἄγοντο δὲ ποινὴν τίσοντες Μιτυληναίων τοῖσι ἐν Μέμφι ἀπολομένοισι σὺν τῇ νηΐ. Hinc, quod eodem libro longe inferius: Ὁ δὲ Ἰνταφέρνης δοκέων σφέας ψεύδεα λέγειν ποιέει τάδε· σπασάμενος τὸν ἀκινάκεα ἀποτάμνει αὐτῶν τάτε ὦτα, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ ἀνείρας τὸν χαλινὸν τοῦ ἵππου περὶ τὰς αὐχένας σφέων ἔδησε καὶ ἀπῆκε. Si hæc vetusta nimis, non deest auctor seriorum temporum, nec a Drepanio nostro ni-

mium remotus Chrysostomus Homilia IV. in illud Esaiæ: Εἶδον τὸν Κύριον καθήμενον. Καθάπερ τοὺς καταδίκους, ἐπειδὰν σπαρτίον λάβωσιν, ἐξάγουσιν αὐτοὺς τὸ σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντας· οὕτω καὶ οὗτος ἀντὶ σπαρτίου ἐπὶ τοῦ μετώπου εἶχε τὴν λέπραν ἀπαγόμενος. Homilia sequenti: Καὶ ἐξῄει λοιπὸν, καθάπερ οἱ τὴν ἐπὶ θάνατον ἀπαγόμενοι, σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντες, τῆς καταδικαζούσης σύμβολον ψήφου· οὕτω καὶ αὐτός. Homilia I. in Maccabæos: Εἰ γὰρ ἡμεῖς ἄνδρες ὄντες κατάδικον πολλάκις ὁρῶντες διὰ τῆς ἀγορᾶς ἀγόμενον, τὸ σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντα, ἐπὶ τὸ βάραθρον ἑλκόμενον, οὐδὲν δικαίωμα φιλίας πρὸς αὐτὸν ἔχοντες, ἀπὸ τῆς θέας μόνης κατακλώμεθα. Plura ex eodem egregius Schottus ad Vaticanam appendicem proverbiorum Græcorum. Vides quam commode et invidiose accusatores nimii, nec nisi sanguine reorum, idque ob superstitionem placandi *lictorum arma, et damnatorum frena tractasse* Pacato dicantur. Neque enim hoc gravius, quam principem multos damnantem 'carnificem' vocari; quod apud Augustum Mæcenas ausus. *Gronov.* Observ. II. 22. Suspecta vox *frena* Livineio et Grutero: tuetur Gronovius Observ. II. 22. quod capistrati rei ad supplicium tracti fuerint. *Cellar.* Aperte vera scriptura damnari non deberet, cum recepta omni vitio careat. Tale 'capistrum' eleganter effingitur apud Schottum Prov. e Vaticano pag. 272. quæque alia habentur apud V. D. ad Juven. Sat. VI. 43. Turneb. Adv. VIII. 6. V. D. ad Virgil. Georg. III. 399. Voss. Etymol. hac voce. 'Tractassent' vero est frequentativum a 'trahere,' quæ verba propria damnatis, qui ad pœnam abducuntur. Pric. ad Act. VIII. 3. Duker. ad Flor. I. 24. V. D. ad Livium XXIV. 5. 13. *Arntzenius.*

§ 4 *Ille Phalaris*] Sic Seneca de Tranquillitate cap. 14. *Putean.* Maximum intelligere palam est, quem ob crudelitatem, celebrem in Phalaride, sic vocat. V. Val. Max. IX. 2. Observandum autem, quos ex omni delatorum genere tyrannus maxime amet æstimetque. Istud nempe, quod quam minime suspectum esse potest. Primum, quia plus quam cætera tyranno prodest, dum facilius speciosiusque fallit; deinde, quia minus ei nocet invidia. Nemo enim tyrannum odio prosequitur, quando cernit tales ei esse familiares, quos vulgo pro bonis honestisque habemus. *Scheff.*

In osculis erant] Suggillat vitam Ithacii voluptuariam. Nam, ut testatur Sulpitius, 'fuit audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri et gulæ plurimum impertiens.' *Scheffer.* *In oculis esse* illi dicuntur, qui in conspectum veniunt. V. D. ad Livin. XXXVII. 27. Ovid. Epist. XXI. 82. 'Inque meis oculis candida Delos erat.' Tacit. Hist. II. 35. 'in oculis utriusque exercitus.' 'Ante oculos' dixerat Histor. I. 17. Adde Lips. ad Senec. Consol. ad Polyb. cap. 34. *Arntz.*

CAP. XXX. § 1 *Mala nostra*] Τὸ *nostra* meus non agnoscit. *Scheff.*

Sacerrimo capiti [*Sacrario capiti*] 'Sacrarium caput,' vide Festum in 'Sacer' et Macrob. Saturn. III. 7. *Putean.* *Sacrario*] Quid verbi fuit? *scelerato?* an *sacro?* aut quid aliud. *Acidal.*

Fœdus abrumpere] Nam post cædem Gratiani fœdus inierat cum Theodosio adversus omnes nominis Romani hostes, ut ex Zosimo testatur Livineius. Id deinde violavit, cum fugaret Valentinianum, et expeditionem in Theodosium susciperet. *Scheff.* De fœdere, quod tempori serviens Theodosius cum Maximo fecerat, lege Zosimum IV. 37. *Cellar.*

Jus fetiale] Maximum refert Zosimus traducto ad se imperio cæde Gratiani Constantinopolim misisse, qui fœdus cum Theodosio, bellique

contra hostes omnino nominis Romani societatem coirent, ac, ni acquiesset, inimicitias et arma edicerent. Illum in præsens furioso et Augusti appellationem et imaginum jus dedisse, ac præferocem palam officiis et omni assentatione captasse, cum interea bellum clam appararet. Hoc est, opinor, *jus fetiale*, quod hic commemorat. Id a Maximo est violatum, cum Valentiniano fugato expeditionem in Theodosium suscepit, quod 'civilis latrocinii tertium vexillum' auctor nominat. *Livin.*

§ 2 *Nomine pacis ludere*] Et providere rebus suis, et firmare opes, sicut vulgo callidi harum rerum tali tempore consueverunt. *Scheff.*

Pœnas lucrari] Occupati per cædem imperii, ut jam dixi. Quo perpetrato Maximus arma in Valentinianum convertit, deceptoque domino per Alpes, quæ tum simulatione pacis incustoditæ, Aquileiam movit, et imparatum principem regno exuit. Lege accurate apud eundem Zosimum. Atque hoc illud est 'secundum latrocinium,' ut mox sequitur. *Livin.* Elegans loquendi ratio, pro peccata inulta ferre, sine pœna abire. 'Pœnarum lucra' dixit Statius, ad quem cf. Barth. Theb. IV. 532. Manilius V. 314. 'Defueritve bonis sector, pœnamve lucretur:' et plura in fraternis notis ad Caton. Dist. II. 8. Canneg. Dissert. de Caton. cap. 7. fin. Pricæus ad Apul. Met. VIII. pag. 430. et ad Act. Apost. XXVII. 21. Hegesipp. de Excid. Hieros. I. 44. 'Non expeto, ut eos ad tormenta vocem, lucrentur illi pœnam calumniæ.' *Arntz.*

Vexillum] Signum erat militare, quod in prælio præcipue sequebantur milites. Juvenal. Sat. II. 101. Flor. III. 11. 8. Sall. Jug. LXXXV. 29. Pric. ad Apul. pag. 734. Inde petita metaphora 'submittere vexilla.' Fecit id, quoniam vexilla haberentur signum summæ potestatis et imperii. Barth. ad Claud. Cons. Honor. IV. vs. 85. et ad Statium Silv. IV. 2. 42. Heins. ad Silium XV. 262. *Idem.*

Alpibus Cottiis] Hoc est, fauces et angustias. Ammian. Marcell. lib. XXXI. 'Quo per fraudem Magnentiacis militibus capto claustra patefacta sunt Alpium Juliarum.' De Alpibus Cotiis plerique auctores, in his Marcell. lib. XV. scripserunt. Vide Mamert. Genet. Maxim. c. IX. 'Juliæ' autem 'Alpes' vel 'claustra Julia' cur ita vocentur, id explicari potest ex eo, quod Strabo lib. IV. scribit, Cæsarem Augustum per quorumdam Alpinorum populorum montes iter patefecisse et munivisse, custodesque posuisse: ita ut transitus, qui propter asperitatem invius fere erat, et latrociniis infestus, et facilis factus sit et tutus. Sic enim et Alpium pars ea, qua Hercules transierat, 'Graja,' et qua Hannibal, 'Pænina' dicta est. 'Julias' autem esse eas, quas 'Venetas' antiqui appellabant, idem Ammian. testatur in extr. lib. XXXI. Quod autem hic scribit Pacatus ex Orosio explicandum, &c. VII. c. 35. qui refert Maximum, cum primum omnes Alpium et fluminum aditus communisset, postea sponte eadem, quæ obstruxerat, claustra deseruisse: ita Theodosium nemine repugnante vacuatas transivisse Alpes, atque Aquileiam, ubi Maximus erat, improvisum advenisse. V. Mamertin. Genet. Maxim. c. IX. 'Claustra laxare' Virg. Æn. II. 'Inclusos utero Danaos et pinea furtim Laxat claustra Sinon.' *Putean.* De his Alpibus conferri possunt, quæ monui ad Victor. Epit. V. § 4. Savar. ad Sidon. Carm. VII. 520. Hæc 'Julia claustra' et 'Cottias Alpes' jungit, utpote inter se vicina, V. D. ad Liv. V. 34. *Arntzenius.*

Servatæ] F. *Servanti.* Mox *resp.* leg. non *rep.* Acidal. Forte, inquit Daniel, *finem*, ut locutus sit quomo-

do Tacitus 'ponere sibi finem vitæ' libro v. i. e. se ipsum occidere. Et vero *finem* etiam servat cod. Bertiniensis. *Gruter.* Ita omnes codd. Meus habet *servanti,* quam lectionem ego vulgatæ præfero. *Scheff.* Cod. Ms. *Tibique, Imperator, imponeret servanti adhuc veniæ fidem, vincendi necessitatem.* Quam lectionem utique probandam censemus. *Schwarz. Servanti* quoque Guelf. et id huic loco convenientissimum putavi. *Arntz.*

Vincendi necessitatem] Pulcra laus. Noluit vincere Theodosius, etiam cum posset, verum clementia servare Maximum, data venia, initoque fœdere. Tum demum eum aggressus est, cum et ipse petitus armis hostilibus, aut per summam injuriam amittere sua, aut vincere Maximum cogeretur. Iterum dico, pulcra laus, et qua pauci commendari possunt. De unico Augusto inter duodecim a Suetonio descriptos Cæsares legimus, quod 'nulli genti sine justis et necessariis caussis bellum intulerit.' Cæteri 'de alienis certare regiam laudem' putaverunt. V. Lips. Pol. v. c. 5. *Scheff.*

§ 3 *Præcipitem*] Ita veteres de Providentiæ divinæ dispositione mira loquebantur, qua in illa ipsa pericula sontes, in quibus ob nefanda scelera perituri sunt, præcipites aguntur, ita ut sponte in exitium ruere videantur. Adde Claudian. in Ruf. lib. II. *Scheff.* In sua damna et exitium inpellebat, qui verus est usus hujus locutionis. Gronov. ad Liv. XXX. 14. Drakenb. ad eumd. XLIV. 25. Burman. ad Phædr. v. 6. 39. Senec. Phœn. vs. 299. 'Illos ira præcipites agat.' Sallust. Catil. IV. 25. 'Luxuria et inopia præceps abierat.' Factum hoc ex imitatione Græcorum, ut recte observat Alberti ad Act. Apost. XIX. 36. *Arntz.*

§ 4 *Ruere in ferrum*] Rhenanus in ora editionis suæ admonet legendum, *ut ruere in inferum,* cujus conjecturam sequitur etiam Balduinus, qui reposuit *ruere in infernum.* At neuter illorum veram lectionem expressit. Reponendum enim est, *ut ruere in ferrum,* quæ phrasis elegans est, et veteribus scriptoribus usitata. Sic Mamertinus Grat. Action. Julian. c. XIII. 'Propter totam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt.' Lactantius I. 20. 'Cupiditatem in venenum et ferrum ruente.' Ammian. Marcell. lib. XIV. 'Formidabatur enim flagrans vesania manus, et superior numero, et ruitura sine respectu salutis in ferrum.' D. Ambrosius de Helia c. 12. 'Fœtor ebrietatis horrori sit: barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas.' Justinus lib. XI. 'In ferrum cum contemptu toties a se victi hostis ruebant.' Silius Italic. lib. X. in princ. dixit eodem exemplo, 'Assilit in ferrum:' et Seneca Epist. I. 7. 'Quare tam timide incurrit in ferrum.' Tacitus lib. IV. 'Ruendo in tela captivitatem haud multa morte effugit.' *Juret. Inferum*] Facilis emendatio *in ferrum.* Mamertinus in Julianum: 'Qui propter cæcam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt.' Itaque miseret me Franc. Balduini, cui *ruere infernum* infeliciter rescriptum. Adeo non ubique perspicaces et oculati sumus. *Livin.* De temerariis militibus, qui ultro se periculo obferunt, neque interire recusant. Ovid. Art. II. 379. 'In ferrum flammasque ruit.' Horat. Epod. VII. 1. 'Quo quo, scelesti, ruitis? aut cur dexteris Aptantur enses conditi?' 'Ruere' enim, si diligentius inspiciamus, vim aliquam, præsertim bellicam continet in se. Pricæus ad Apul. Met. VI. p. 305. Adeoque bene Serv. ad Virg. Æn. XII. 120. 'ruit' exponit 'cum inpetu venit,' ut more tonitruum et fulminum incurrat. Pric. ad Matth. VII. 23. Heins. Adv. II. 5. V. D. ad Phædr. IV. 17. 24. Scheff. ad Obseq. c. 116. Ut autem dicit 'obviam morti venire,' ita Se-

nec. Herc. Fur. vs. 1032. 'obvium morti ingeris.' Tacit. Annal. XVI. 25. 'Adspiceret populus virum morti obvium.' *Arntz.*

Timens mortis] In ea constructione præivit Lucretius VI. 1237. 'Vitai nimium cupidi, mortisque timentes.' Pro hac scriptura posset adferri Cod. apud Ovid. Metam. XIV. 215. 'Ad strepitum mortisque timens:' ubi alii habent 'mortemque.' Hoc pari modo expressit Horatius Od. III. 19. 2. 'Pro patria non timidus mori.' *Idem.*

Occidere] Nescio an non illud *ut* ex præcedentis syllabæ similitudine irrepserit in textum. Quanquam non rejiciam, quoniam in scriptis quoque deprehenditur *victus occidere.* Quod indicium est animi penitus meticulosi ex sententia Paganorum. Hinc illa chori apud Senecam in Agamemnone vs. 608. 'O quam miserum est nescire mori!' Et Antistii monitum ad Plautum generum, cui Nero mortem afferri a centurione jussit: 'Effugeret segnem mortem, et magni nominis miserationem.' Tacit. Annal. XIV. 58. *Scheff.* Male sanæ fortitudinis apud veteres habebatur, si aliquis calamitatibus pressus se ipse interficeret, unde Catonis 'nobile letum' prædicare non dubitavit Horat. Od. I. 12. 35. Ideo sapienti dignam mortem accepisse scribit Florus IV. 2. 70. ubi V. D. Cf. V. D. ad Livium XXXV. 33. Cort. ad Sall. Catil. XLI. § 1. Notæ ad Plin. Paneg. c. LXII. § 2. *Arntz.*

Si olim domini] Apud Scythas. Justin. II. 5. Claudian. in Eutrop. I. 'Quo Mauri, Gildoque ruit. Quid Martis signa Sollicitas? non est jaculis hastisve petendus. Conscia succumbent audito verbere terga: Ut Scytha post multos rediens exercitus annos, Cum sibi servilis pro finibus obvia pubes Iret, et arceret dominos tellure reversos, Armatam ostensis aciem fudere flagellis.' *Putean.* Herodotum historiæ hujus auctorem Themistius laudat Sermon. IX. Τέως δὲ ἠπίστουν ἐγὼ Ἡροδότῳ τῷ συγγραφεῖ, τοὺς ἀποστάντας οἰκέτας Σκυθῶν ὑποκύψαι μετὰ τῶν ὅπλων δίχα σιδήρου τοῖς δεσπόταις ἐπιφανεῖσιν. *At enimvero adhuc Herodoto scriptori fidem non habebam, Scytharum servos, qui desciverant, armatos heris inermibus visis succidisse.* Tu Herodotum adi initio Melpomenes et Justinum libro Historiar. e Trogo lib. II. Claudianus extremo in Eutropium lib. I. 'Ut Scytha post multos rediens exercitus annos, Cum sibi servilis pro finibus obvia pubes Staret, et arceret dominos tellure reversos, Armatam ostensis aciem fudere flagellis. Notus ab inceptis ignobile reppulit horror Vulgus, et obductus sub verbere torpuit ensis.' *Livin.* Exemplum Justinus habet II. 5. *Cellar.* Juvenal. Sat. X. 109. 'Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites:' ubi forte non pejus legeretur 'dominos:' ut petierit a Virgilio Æn. I. 282. 'Romanos rerum dominos, gentemque togatam.' Vid. ad Vict. Epit. cap. 5. Contra vulgarem usum *mortibus* dixit, ut monuit Weitz. ad Sever. Sanct. de Mort. Boum init. Tamen ita quoque Juvenal. Sat. I. 144. Stat. Theb. VI. 790. Justin. XII. 1. 5. et plures alii. *Arntz.*

CAP. XXXI. § 1 *Oculorum*] Sic 'oculorum conjectum' dixit Cicero de Orator. lib. III. et pro Planco. *Putean.* Solet nempe etiam alias virtus magnam sui apud impares creare venerationem. Quid? si infortunio urgeantur, si stimulentur conscientia flagitiorum? *Scheff.* Scilicet id habebatur summi timoris, cum ignavi milites, si non oculos quidem hostium perferre possent, multo minus dextras. Flor. II. 18. 5. 'Ut ne oculos quidem, aut vocem Numantini viri quisquam sustineret:' et alii. Bentleius ad Horat. Od. I. 3. 18. *Arntz.*

Negligentissimus] Ausonius de Clar. Urb. in Aquil. vs. 7. 'Maximus armi-

geri quondam sub nomine lixæ.' *Putean.* Ita constanter est in nostris: suspicor tamen voluisse dicere *neglectissimus.* Mox *servilium* abest B. plagio, ut apparet. Sed nescio equidem an hoc satis ex fide proditum. Certe parcius aliquanto 'armigerum lixam' Ausonius appellat Claris Urbibus. Sic enim ait de Aquileia: 'Mœnibus et portu celeberrima. Sed magis illud Eminet, extremo quod te sub tempore legit, Solveret exacto cui justa piacula bello, Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ.' Sulpitius quidem Severus Dialog. II. *c.* 7. 'Maximus,' inquit, 'Imperator Remp. gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitime tumultuante milite impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Sed magnum imperium, nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri.' *Livin.* L. *neglectissimus.* Acidal. Ausonius de Clar. Urb. in Aquil. vs. 7. 'Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ.' Ita 'negligentia ministrare' apud Symmach. Epist. II. 4. Sic Petron. Sat. c. 30. dixit 'negligentia nequissimi servi.' Et propius ad hunc locum: cum 'verna' sit servus in domo nostra natus, ut videri potest apud Bronkh. ad Tibull. II. 1. 25. et apud Juvenal. Sat. I. 26. *Totum* male delet Gnelf. cum egregie faciat ad sententiam. Terent. Eunuch. I. 2. 3. 'totus Parmeno Tremo horreoque.' Insuper pro *præterita,* male habet *perterrita.* Arntz.

Triumphalis viri] B. Ambrosius in Orat. Funebri Theodosio dicta: 'Insidiabantur saluti ejus (Theodosii) qui patrem ejus triumphatorem occiderunt.' *Scheff.*

Patris incertum] 'Incertus pater' ab Ulpian. in Institut. Tit. IV. et Justiniano in § Si adversus 12. Instit. de Nupt. *Putean.* Recta ea est scriptura, quam etiam confirmat VT. Balduinus videtur non bene phrasin illorum temporum observasse, qui reposuit *patris incerti.* Neutrum enim genitivo jungere illi scriptores amant, et eo jam pridem admonui ad Symmach. Epist. VI. 71. *Juret.* Nec opus erit ita se expedire, cum *certus* et *incertus* cum casu secundo recte ponantur. Ovid. Epist. Her. XXI. 31. Stat. Theb. VII. 699. 'Certus et ipse necis.' Ovid. Trist. III. 3. 4. Voluit autem his verbis indicare Maximum spurium fuisse. Quare Doct. Balduinus minime debuerat expuncta prisca scriptura substituere *se patris incerti,* qua in re peccant quoque edit. antiquiores. Conferri potest Cannegieter in Britenburg. cap. 12. p. 122. *Arntz.*

Extorrem] Nam in Britannis per tumultum imperium capesserat. Itaque 'Rutupinum latronem' idem eruditionis poëta nominat: 'Felix quæ tanti spectatrix læta triumphi Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.' Geminum vero huic, quod supra ait: 'cum regali habitu exulem suum illi exules orbis induerent.' Virgilius: 'Et penitus toto divisos orbe Britannos.' *Livin.* Pulsum ex patria. Horat. Od. II. 16. 19. 'Patriæ quis exul Se quoque fugit?' Namque 'fugit' si componatur cum 'exsule' idem notabit, cum 'fuga' pro exsilio ponatur. Ovid. Trist. IV. 10. 61. Not. ad Plin. Pan. XXXIV. § 5. *Arntz.*

§ 2 *Legionibus nesciis*] Plerisque puto, maxime prætorianis. Nam a Britannicis, invitus, uti voluit videri, factus Imperator. Oros. VII. 34. Sulpit. Sever. Dial. II. 7. et ab infensis Gratiani cum lætitia exceptus est. Victor in Gratiano. *Scheff.* At Orosius VII. 34. 'Maximus in Britannia invitus propemodum ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transiit.' Et Sulpitius Dial. II. 6. [al. 7.] 'tumultuante milite' Imperatorem dicit factum. Sed hæ non universæ legiones, sed solæ Britannicæ. *Cellar.*

Furtum] Idem apud Senecam Thyest. vs. 222. 'Conjugem stupro abstulit, Regnumque furto.' 'Furari regna' dixit Justin. XXXVIII. 2. 6. *Arntz.*

§ 3 *Et omnium scelerum*] Severus tamen de Vita S. Martini lib. III. vocat Maximum virum omni vita merito prædicandum, si ei vel diadema non legitime, tumultuante milite, impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Et eod. libr. 'Maximus Imperator, alias sane bonus, depravatus consiliis sacerdotum,' &c. Orosius VII. 34. 'Maximus vir quidem strenuus et probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset,' &c. *Putean.*

§ 4 *Colligamus*] Est in unum conferamus. Senec. Controv. lib. VII. p. 206. et Drakenb. ad Livium XXVIII. 8. *Idem.*

CAP. XXXII. § 1 *Abuteris*] Manifestum est, verum esse quod al. *abutereris.* Acidal.

Rationibus] Recte. Nihil enim tuto in hoste despicitur. Apud Livium Marcius XXV. 38. 'Ad id, quod ne timeatur fortuna facit, minime tuti sunt homines: quia quod neglexeris, incautum atque apertum habes.' Nempe ut apud Curtium aiunt Scythæ: 'Nihil tam firmum est, cui non periculum sæpe etiam ab invalido, maxime, si spreveris.' *Scheff.* Cum sola vis consilio expers in bello parum proficiat, et adjuvanda sit consiliis prudentioribus et arte militari, unde optime Tullus ille belli artifex judicavit, acuendam esse virtutem ratione, apud Florum I. 7. 4. Convenit ideo illud Ovidii Rem. Amor. vs. 10. 'Et quod nunc ratio est, inpetus ante fuit.' *Arntz.*

§ 2 *Dextera firmas*] Quam physici fidei dicaverunt, ut scribit Servius in Æn. III. Sic Cicer. pro Dejot. c. 4. Philipp. II. Sic Mamertin. Grat. Act. Jul. pro Cons. c. 28. *Putean.* Probo. In meo tamen non est *firmas*, sed *signas.* Scheff. Ms. *signas.* Schwarz. Et cod. Guelf. Sed eo facile carebimus, si cogitemus illud tritissimum Virgil. Æn. XII. 212. 'firmabat fœdera dictis.' Ovid. Trist. V. 6. 14. 'dextræ firma sit ara meæ.' Drakenb. ad Livium XXIII. 34. Terent. Hecyr. IV. 2. 15. *Arntz.*

Suspectandum] Etiam hoc prudenter. Vide Curtium III. 1. et quæ ibi a Freinshemio notantur. *Scheff.* Guelf. *exspectandum;* quod quamvis aliquo colore defendi posset, tamen proprius hujus vocis usus veram scripturam clarius tuetur. Frontin. Strateg. II. 11. 2. *Arntz.*

§ 3 *Trifariam dividis*] Iterum recte. Tunc enim dividi vires copiæque possunt, cum et nimia illarum multitudo sociata difficulter regitur, et in hoste metus apparet, nec quicquam plus nisi fuga ejus timetur. *Scheff.*

Populis barbarorum] Quibus nimio plus addictum fuisse Theodosium e Zosimo observo. Lege quæ de Gerentii ob cædem barbarorum, qui Tomis prætendebant, periculo narrat et Protingii (f. Grutungis) a Promoto Istri transitu prohibitis. Proxime *voventibus* retineo e libris, non *volentibus*, quod Franc. Balduinus substituit. Tu vide quæ ad Mamertin. Genethliac. Maxim. c. 1. notamus. *Livin.*

Ferre voventibus] *Ferri.* Balduinus reposuit *ferre*, quæ lectio etiam exstat in VT. Sed idem Balduin. substituit *volentibus:* non tam apte. Melius enim est *voventibus;* ad quam scripturam accedit idem VT. qui habet *foventibus.* Facilis est mutatio literarum *f* et *v.* Juret. Leg. *ferre*, nisi *ferrum* accipiendum, quod non arbitror. *Acidal.* Posset deleri vox *ferri* tanquam supervacanea, quamvis etiam commode mutari queat in *ferre*, ut est in scripto uno et altero impresso. *Gruter.*

Limiti manus] Considerare hic rursum licet Theodosii prudentiam. E-

rant in finibus Scythæ, gens bellicosa, rebusque novandis sueta, et propterea suspecta. Illam palam submovere intutum videbatur, cum ne intelligeret se metui, proindeque suspectam esse, tum ne ob id ipsum bellum instituerit. Poterat enim injuriam vocare, si ob metum solum submoveretur. Sed nec relinqui ibi sine maximo periculo poterat. Quid igitur? In militiam ducenda erat, ut dum ibi nomine tenus militat, re vera velut obses tenetur, reliqua pars domi quiesceret. Consulebatur itaque hoc instituto Theodosii rebus, decedebat manus suspecta limiti, accedebat militi ordinario auxilium, et ex hostibus suspectis certe auxilium. Sed et genti militari consulebatur, quæ si non haberet bella, factura erat. Quid quod et Theodosio gloriosum fuit, subactos recens capere in militiam, fiduciamque suam ita ostentare, Scythis vero honestum, a Theodosio in societatem suscipi, denique in universum ad quietem publicam concordiamque conducens, quoniam, ut Livius testatur, ‘habita fides obligare fidem’ consuevit. Similis artificii exemplum præbuit Julius in Galliis, quando Æduos equites, aliosque quorum rebellionem metuebat, secum in Britanniam abducit. Vide eum Bell. Gall. v. 5. et seq. *Idem.* Pro *commilitonum*, Guelf. *commilitum*, et pro *limiti*, idem *limitem.* Arntzen.

Tua benignitate] Sicut Scythæ interpretabantur. Est autem omnium politicarum artium ars summa, si quæ nostra causa facimus adversus alios, sic faciamus, veluti pro ipsis faceremus. Ita enim prompte ac sine invidia fient, et ex facto nostro præter commodum laudem quoque gloriamque reportabimus. *Scheff.*

Examinibus] Proprie de apibus, quæ magna cum multitudine confluunt. Drakenb. ad Livium XXXVIII. 46. Columell. de R. R. IX. 8. 14. Quinctil. Declam. XIII. 8. Senec. Octav. vs. 602. Obseq. de Prodig. cap. 125. Deinde ad alia transfertur, et ad inanimata, Lucret. v. 1363. et ad animata, ut ad populos et magnam hominum multitudinem. Haverk. ad Tertull. Apol. cap. 40. Ita ‘examen juvenum’ dicitur. V. Burman. ad Quinctil. Declam. XIII. 3. Statius Theb. XI. 39. ‘Artatur denso fugientum examine vallum.’ De illa Scytharum incursione præter historicos adi Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 203. *Arntz.*

Remiseras] Sententia vult *permiseras.* Sed ‘remittere’ et ‘permittere,’ ut plerumque contraria, sic aliquando et eadem esse jam Cujacius postremis Observ. et Lipsius ad primum Annal. Taciti docuerunt: quibus credere tamen satis non ausus sum, veritus semper ne in locum τοῦ ‘remittere’ hac significatione reponendum ubique ipsum ‘permittere:’ donec tandem in Claudiano reperi, sic plane positum, ubi aliter versús ratio non patitur: ‘Occulte sævire vetat prodesse remittit.’ *Acidal.*

§ 4 *Inpleverat*] Forte *implebat.* Livin. in marg. Ms. *Gothus illic.* Schwarz. Ita quoque Guelf. Nihil tamen mutarem, cum *ille* indicet contemtum et acerbitatem. V. Pricæum ad Lucæ Euang. XIX. 27. et Grang. ad Juvenal. Sat. I. 3. Notum illud Virgilii Æn. IV. 215. ‘Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.’ *Arntz.*

Alternabat] Atqui tres præcesserant populi, cum proprie ad duos pertinere videatur: verum recte quoque ita adhiberi notavit jam Schulting. ad Senec. Controv. lib. II. p. 173. De eo sensu verbi ‘alternare,’ cf. Savar. ad Sidon. Epist. IV. 3. Quod vero sequitur *infrequens* petitum est ex militia Romana, ut monuit Gronov. Lection. Plautin. p. 357. Ita ‘infrequentia signa,’ si plurimi milites a signis abessent. Notæ ad

Livium VII. 7. et Frontin. Strateg. IV. 1. 46. Gronov. ad Gell. XVI. 4. *Idem.*

Notari infrequens] Vide Gellium XVI. 4. Festum in voc. 'infrequens:' et Frontin. Strateg. IV. 1. in fin. Ausonius in Præf. Centon. 'Procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis, sin aliter ære dirutum facies.' Sidon. 'Ad nomen currente Geta timet ære vocari Dirutus.' *Putean.* Ad signa nempe, quod delictum in milite pro desertione habetur. Vide Gellium XVI. 4. et Festum in 'infrequens:' quos locos commode hic citat Puteanus. *Scheff.*

§ 5 *Nullus tumultus*] Observa barbarorum vitia in bello. Hæc enim tria in illis fere deprehendas, contemptum regiminis ac imperii, neglectum ordinis, prædandi studium. Possemus rem exemplis declarare, si commentarium, non notas scriberemus. *Idem.*

Inopiam] Et hoc contra barbarorum consuetudinem, qui nihil ferunt difficilius, quam inopiam frumenti annonæque. Itaque si aliquando ingruit, aut tumultum fere, aut fugam meditantur. *Idem.*

Comparcendo] Bonum inventum. Sed non magis, quam superiora, ex ingenio barbarorum, quippe qui ignorant copia præsenti parce uti. *Idem.* Livius II. 34. 'Conditionibus laxandi annonam.' Duker. ad eumd. XXVI. 20. *Arntzen.*

Virtutis ambitio] Acumen hoc melius consideretur: nam adhuc non satis capio. Nec audeo reponere, *quanta est, ut tuus, ambitio?* quia proxime præcedit, 'pro omni præmio omnique mercede id unum reposcens, ut tuus diceretur.' *Acidal.* Pulcra sententia, cujus hic est sensus: Virtutem omnes admirantur, omnes vehementer ambiunt. Itaque cum illa ad miraculum sis præditus, etiam Scythæ ambiunt ut tui dicantur. Sed ita beneficium tibi tribuunt, dum tui esse volunt, qui possent esse adversus te, si vellent. Illud ipsum tamen beneficium, quod tibi dant, sic dant, ut imputari sibi patiantur, tanquam non dedissent, sed accepissent, dum tuos illos appellari pateris. Beneficium accepisse Theodosium ideo dicit, quia Scythæ, quos suspecto habuit, secuti eum sunt in bellum adeoque tutum limitem fecerunt, quod profecto beneficium fuit. Sed hoc ipsum beneficium imputare illis poterat Theodosius, quoniam per ambitionem virtutis Theodosianæ, milites Theodosii dici volebant. Hæc est vera oratoris mens, quam se Acidalius assequi posse negat. Scilicet hærebat, ut opinor, in verbo 'imputare,' quod hic non est idem ac 'causam' vel 'autorem dicere,' sed 'supputare,' 'subducere.' Sic Ulpianus: 'Præterea si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo imputare eum posse:' h. e. expensum pupillo ferre, adeoque ex debita ei summa subducere. *Scheff.*

CAP. XXXIII. § 1 *Moribusque*] Causam ullam non video, nisi solam negligentiam librarii in cod. Guelf. qui pro *moribus* nobis dederit *militibus:* frustra. Romani olim sanctissime bella gesserant, ideo aliquis 'contra mores majorum bellum gerere' dicitur dux, si per dolos et artes inlicitas quærat victoriam. Flor. II. 20. 7. Adde Cort. ad Sall. Catil. c. 52. et in specie 'mores' ponuntur de moribus honestis. Gronov. Observ. I. 23. Ovid. Epist. Her. XVII. 172. cum Barthio ad Claudian. in Ruf. I. 48. *Arntz.*

Ægyptus arma] Adi Florum IV. 2. et eos, quos adscribit Dominus Freinshemius. *Scheff.*

Novitatis] De talibus rebus, quæ antea incognitæ fuerant. Barth. ad Claudian. in Ruf. I. 48. Boëthius I. Pros. 1. 'Novum aliquid inusitatumque vidisti.' Sulpit. Sever. I. 14. Pric. ad Apul. lib. IV. p. 207. *Arntz.*

Isset in literas] De annalibus, qui ætatem et memoriam propagant. Stat. Silv. II. 2. 145. ubi Barth. et ad Claudianum Cons. Manlii vs. 114. *Idem.*

Laboratura] De tali historia, cui vix fides videtur adhibenda; quæ 'claudicare fides' dicitur apud Nazar. Paneg. Constant. xv. § 5. et Duker. ad Flor. I. 13. in fin. *Idem.*

§ 2 *Eborata*] De his accurate agimus in libris nostris de Militia Navali, quos propediem prælo subjiciemus. *Scheff.*

Recantata] Ms. *decantata*. Schwarz. Et cod. Guelf. *decantata:* quæ sine dubio ipsa Panegyristæ manus. 'Recantare' verbum est de veneficiis: 'decantare' includit laudes. *Arntz.*

§ 3 *Nec enim*] Guelf. *neque*. Certum enim est, non observare scriptores distinctionem grammaticorum, qui volunt *nec* ponendum esse, si vocalis sequatur: ita *nec eos* dixit Justin. XXXVIII. 4. 2. Cæs. Bell. Gall. I. 5. et inprimis Bentl. ad Horat. Od. III. 11. 41. Sall. Jug. c. 2. 'Neque melius neque amplius.' Conferas Drak. ad Liv. IX. 9. *Arntz.*

Facies altrinsecus] Valet, arbitror, utrimque. Supra: 'Mihi vero ii omnes quibus altrinsecus jactor æstus diu ante meditati longeque prospecti sunt.' Clare in eum sensum Ammianus Marcellinus xxv. 7. 'Quo ignobili decreto firmato, ne quid committeretur per inducias contrarium pactis, obsidatus specie viri celebres altrinsecus dantur Nevita et Victor ex parte nostrorum, ex parte vero diversa Bineses, tresque alii satrapæ non obscuri.' Trebellius Pollio Gallienis: 'Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis et dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes.' Auctor Fragmenti ad Chalcidium Grammaticum de prisco sermone, qui vulgo est Fulgentius: 'Bæbius,' inquit, 'Macer, qui fastos dies scripsit, ait Junoni eas quæ [gemina] geminas parerent oves sacrificari cum duobus agnis altrinsecus alligatis. Quas oves ambegnas vocari, quasi ex utraque parte agnos habentes.' *Livin.* *Facies* quidem proprie ad res animatas pertinet, sed quoque refertur ad alias. Mel. I. 17. lin. 27. Ovid. Trist. I. 3. 26. Tibull. IV. 1. 100. V. D. ad Phædr. IV. 16. 5. Justin. VIII. 5. 8. Neque magis insolens erit 'animorum oculis,' cum et ii animo tribuantur. Ovid. Epist. Her. x. 135. 'Non oculis sed, qua potes, adspice mente.' *Arntz.*

§ 4 *Armorum fasce*] Manifeste expressum e Virgilii Georg. III. 'Patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam cum carpit,' &c. *Livineius.*

Pellexerat] De omnibus rebus adhibetur, sed inprimis de inlegitimo amore, unde 'pellex' talis femina, quæ maritum blanditiis suis seducere novit a propria uxore. V. D. ad Juven. Sat. II. 57. *Participandæ* est partem illarum laudum in se derivantis. Savar. ad Sidon. Epist. I. 3. et Drakenb. ad Livium III. 12. *Arntz.*

Mollis Canopus] Duodecim milliaribus ab Alexandria distans, ubi viri mulieresque in summo luxu vivere consueverunt. Consule Strabonem, Ammian. Marcellinum, alios. *Scheff.* Canopus oppidum Ægypti ad Nili ostium, quod *Canopicum* inde cognominatur. *Mollis*, quia incolæ lascivi et luxuriosi. Strabo lib. ult. et Statius Silv. III. 2. 111. 'Terapnæi lasciviat ora Canopi.' *Cellar.* Hoc epitheton fere additur talibus qui inpuro amore instigati talia patiuntur, quæ viris inhonesta sunt et turpia. Scholiast. Juven. Sat. II. 92. et Grang. ad eumd. Sat. III. 202. Barnes. ad Anacr. XXXII. 20. Val. Max. II. 11. ex. 1. 'effeminato ejus cultu mollire non erubuit.' Inde propria voce pathici dicti sunt 'molles.' V. D. ad Petron. c. 23. Juven. Sat. III. 23. 202.

Phædr. IV. 14. 1. 'Tepentem' quoque 'Pharum' dixit ex natura rei, cum Nilo et adjacentibus terris 'tepor' tribuatur. Senec. Œd. vs. 686. 'Tepente Nilo pensat Arctoas nives.' Martial. XI. 12. 'tepidique toreumata Nili.' Lucan. III. 199. 'Deseritur Strymon, tepido committere Nilo.' Burm. ad Valer. Flacc. III. 361. Achill. Tatius Erat. lib. IV. p. 269. Drakenb. ad Sil. VI. 289. Per 'leves populos' intelligit Ægyptios, qui semper sua levitate fuerunt infames. Casaub. ad Vopisc. Trig. Tyrann. p. m. 248. Val. Max. v. 1. ex. 10. ideo 'Phariam fidem' dixit Lucan. VIII. 624. 'Altor' dicitur Nilus, quoniam inundatione sua quotannis illam regionem fertilem reddat, quæ ceteroquin pluvia fere destituitur. *Arntz.*

Vitando sole] Sic infra cap. XXXIV. 'differenda morte.' Sic Incerti Paneg. Const. cap. XXIV. 'Vix leve pallium et sericos sinus vitando sole tolerantes.' *Putean.* *Sistra*] Ita recte emendatum pro *sinistra*. Fors etiam *vitando soli*. Id enim usitatius. Sed ita iterum Panegyr. Constant. F. dicto: 'Facile est vincere timidos et inbelles, quales amœna Græcia et deliciæ Orientis educunt, vix leve pallium, et sericos sinus vitando sole tolerantes.' Et hic paulo post eadem forma: 'Jam qui ad muros differenda morte properaverant.' In catalectis Veterum Poëtarum carmine de Mævio, qui fratrem ignarus interfecerat: 'Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo Hinc Capitolino sistra minata Jovi.' *Acid.* Scribo *vitando soli*. Modius Novant. Lection. Epist. XXV. Respicit ad vestes tenuiores, quibus radiis solaribus pateret aditus, et vix ullum tegimen præberetur corpori. Incert. Paneg. Constant. cap. XXIV. 'Sericos sinus vitando soli tolerantes.' Broukh. ad Propert. II. 1. 5. Plin. H. N. XXXV. 9. Perizon. ad Ælian. IV. 3. Juven. Sat. II. 77. 'Libertatisque magister Cretice perlucces.' Savar. ad Sidon. Epist. II. 2. Martial. IX. 3. 'Perlucida mœcha lapillis.' Tales vestes dicebant Coas, quia mulier Coa ejus usum invenerat, teste Plinio XI. 22. Prudent. Cathem. Hymn. VII. 156.' 'Rex ipse Coos æstuantem murices.' Propert. I. 2. 2. 'Et tenues Coa veste movere sinus.' Horat. Od. IV. 13. 13. 'Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ.' Adde Salden. Ot. Theol. Exerc. I. 6. pag. 86. *Arntz.*

Sistra] Nam sistris Ægyptii in sacris utebantur, atque etiam in bello tubæ vice. Hinc Virgilius Æn. VIII. de Cleopatra: 'Regina in medio patrio vocat agmina sistro.' *Puteanus.* Sidonius Apollinaris Carm. v. 465. 'Cum patrio Cleopatra ferox circumdata sistro Milite,' &c. Ait autem *ducebant*, quia ut observat Puteanus, atque ante ipsum Calepinus, sistris utebantur tubæ vice Ægyptii, probatque ex Virgilii Æn. VIII. ubi similia leguntur. Quanquam magis censeam cum Servio per ambitionem et ex æmulatione Isidis hoc a Cleopatra factum. Idque nonnihil ex Dione confirmari potest. Sistris tamen etiam Amazones sunt usæ ad convocandum exercitum, si Isidoro credimus, qui id docet et II. 21. ubi et quid 'sistrum' fuerit exponit. *Scheffer.* 'Sistrum' crepitaculum in sacris Isiacis, quæ origine sunt Ægyptia. Vide ad Minucium notata XXI. 5. *Cellar.* Barth. ad Stat. Silv. III. 2. 103. et Burm. ad Petron. c. 104. cum Montfaucon. Diar. Ital. c. 17. Hinc 'sistra Ægyptiaca' dicuntur Ovidio Am. III. 9. 33. *Ducebant* vero aptissimum verbum ambigua notione, cum de duce belli dicatur, et choro saltantium. Tibull. II. 1. 56. Horat. Od. I. 4. 5. *Arntz.*

Ut collatio] *Ut* abest L. et mox *libertas?* Livin. in marg. Notant vacare *ut*. Minime: cohæret hoc cum superioribus et figurate sententia elata per interrogationem, quæ simpli-

citer hæc est, *ut nulla collatio esse posset*. Acidal. Ms. pro *ut* habet *vel*. Schwarz. Ita quoque Guelf. optimo sensu, et offendit alias, cum sequatur *ut*. Arntz.

CAP. XXXIV. § 1 *Fiscia*] *Siscia* ex Ambrosii Epist. 29. qui scribit Maximum a Francis et Saxonum gente in Sicilia, Sisciæ, Petavione, ubique denique terrarum esse victum. *Siscia* autem urbs est Pannoniæ ad quam est Savus fluvius. Plin. III. 25. *Putean*. Ambrosius Epist. 29. 'Maximus igitur statim a Francis, a Saxonum gente, in Sicilia, Sisciæ, Petavione, ubique denique terrarum victus est.' Est autem *Siscia* Pannoniæ urbs ad Savum flumen, ut ex Plinii III. 25. observat Puteanus. Ptolemæus Σισκίαν, Strabo Συσίκαν nominant. Adde Ortelii Thesaur. Geog. *Scheff*. Ad Sisciam Pannoniæ quoque pugnatum adversus Maximum fuisse, comprobat Ambrosius Epist. 17. [al. 29.] ad Theodosium de Synagogæ conflagratione: 'Maximus,' inquit, 'statim [post vindicatam Synagogæ incensionem] a Francis, a Saxonum gente in Sicilia, Sisciæ, Petavione, ubique denique terrarum victus est.' *Cellar*. *Testis* is locus dicitur, in quo vel ad quem aliquid accidit. Justin. XIII. 4. 4. Flor. III. 2. 4. Lambin. ad Horat. Od. IV. 4. 36. Cerd. ad Virg. Ecl. V. 21. Mox *amne* negotium dedit V. D. Verum ea difficultas non difficile posset tolli, si observemus ea loca circa fluvium pro ipso tali poni. Ita Flor. III. 4. 5. 'toto vastavit Hebro.' Not. ad Liv. XXXVII. 6. 2. Gron. ad Plin. H. N. XXI. 13. Nec valde dissimiliter Phædr. IV. 6. 10. 'Prima quæ Ponti sinus Patefecit:' ad quam formam 'sinum Maliacum' pro terris ad eum sinum sitis dici ostendit Gronov. ad Liv. XXVIII. 5. 15. *Arntz*.

Pulcerrimus amne conflictus] Mendum est aperte et variant libri. In V. lego *pulcherrimus ave confl*. in B. *pulcherrimus ave*, neutrum sincere. Palmaria lectio quæ in C. *pulcherrimi Savæ*. Scilicet *Sava* est Auctori, qui aliis *Savus*, et *Savæ conflictum* pugnam accipe, quæ in trajectu amnis Savæ commissa. Cujus testem et consciam ait Sisciam, ad quam haud dubie is conflictus. Sectionem ergo, quæ post *Fiscia*, dele. Nam profecto *testis* ad emphasin geminavit. *Siscia* denique, non *Fiscia*, aut *Sciscia*, aut *Syscia*, scribe e vetere inscriptione, quam Smetius refert p. 90. 13.

C. VALERIVS. C. F.
FLAVIA. SPECTATVS
SISCIA. MIL. COH.
VIII. PR. 7. VOCONI
MIL. ANN. VI. VIX.
ANN. XXIV. H. F. C.

Livin. (*Si conflictus ille dicendus est*.) Tolle inportunam hic parenthesin. *Acidal*. Non dissimiliter in re simili Sidonius Apollinaris Carm. V. 364. 'Ad bellum per bella venit. Nam maximus isse est, Non pugnasse labor. Terimus cur tempora verbis? Pervenit et vincit.' *Scheff*. A Puteano est *amne:* codices *ave:* unus, Cuspiniani puto, *Savæ*, quod probat Livineius, et expressit De la Baune. Schefferus autem *amne*, id est, in amne in trajectu amnis pugna. *Cellar*. Ms. *acie*. Schwarz.

Maximi fluminis] Savi, cui apposita est Siscia, ubi ille Colapem amnem recipit. *Cellar*.

Quoniam, ut erat] Bene mutant *quominus*. Facilius sit, *quin jam, ut erat, &c*. Acidal. Ita solent heroës, freti scilicet fortuna sua singulari, ac fere semper cum successu, quod frustra alii imitantur. *Scheffer*. Elegans loquendi ratio, qua exprimere volunt statum rerum præsentem. Ovid. Met. IX. 119. Silius VIII. 188. Manut. ad Cicer. Fam. X. 21. V. D. ad Frontin. IV. 1. 28. Heins. ad Ovid. Met. X. 4. Colvius ad Apul. Apol. p. 238. *Arntz*.

§ 3 *Differenda morte*] Est ut mox differatur longius. Schulting. ad Senec. Controv. l. I. p. 76. *Arntz*.

Obviis sudibus] *Indui sudibus.* Cæs. Bell. Gall. lib. VII. 'Quo qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant.' Et alibi: 'Posteaquam propius accesserunt, aut ipsi se stimulis inopinantes induebant,' &c. Vid. Veget. III. 8. *Putean.* Valla intelligit acutissima et stimulos, quibus contra ascensus hostiles munitos habebant muros. V. Cæs. de Bell. Gall. lib. VII. *Scheff.*

§ 4 *Spumat*] Ridicule *fumat* Guelf. Sanguis enim ille indicium erat maximæ cladis. Flor. II. 6. 18. 'Cruentus aliquamdiu Aufidus.' Obseq. de Prodig. c. 113. 'sanguinis rivus manavit.' Val. Max. I. 7. ex. 5. 'aquas sanguine mixtas fluxisse.' Drakenb. ad Silium I. 126. Lucan. III. 572. 'Cruor altus in undis Spumat.' Virgil. Æn. IX. 456. 'Pleno spumantes sanguine rivos:' ubi V. D. Itaque hic utitur hyperbole poëtica, ut Claudian. Cons. Honor. III. 99. 'Turbaque cadentum Staret.' Cort. ad Plin. Epist. VIII. 8. Idem Lucan. II. 217. 'redditque cadavera campo Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas.' Turbam igitur interfectorum militum voluit indicare. Barth. ad Claudian. l. l. Virgil. Æn. V. 805. 'Millia multa daret leto, gemerentque repleti Amnes, nec reperire viam, atque evolvere posset In mare se Xanthus.' *Arntz.*

Eluctatis cadaveribus] Sic supr. cap. XXX. 'Vix eluctantibus gurgitibus exeuntem.' *Putean.*

Vexillarium] Non puto Andragatium intelligere: nam is postea demum Maximo interfecto, et sponte se in flumen e navi præcipitem dedit. Orosius et Nicephorus. Destituimur profecto hic subsidio historiæ, quantum ego quidem hactenus videre potui. *Scheff.* Dux quidam Maximi, cujus nomen latet, historia silente. Nec enim Andragathius est, quia is postea, interfecto Maximo, e navi in undas se præcipitavit. Oros. VII. 35. nisi hic in temporis notatione aberravit. *Cellar.*

Morti sepultura] Nota 'mortem' pro ipso mortuo. *Acidal.* Suavius mihi videtur lectio Cuspinianiæ codicis *ne morti sep.* Gruter. Ms. *mortuo.* Quæ lectio calculum nostrum meretur. *Schwarz.* Per 'sepulturam' intelligit eum honorem, quem præstare solebant in ultimis exsequiis sive officio funebri. Broukh. ad Tibull. I. 5. 45. Ovid. Trist. III. 3. 45. Guelf. pro *morti* scripsit *mortis*, ubi sequens *s* forte adhæsit voci priori, ut centies. Mox pro *clementiam*, inepte *dementiam* est in Guelf. V. ad Victor. Ill. XLIII. 4. et ad Plin. XXX. § 4. *Arntz.*

CAP. XXXV. § 1 *Belli civilis Megæra*] Frater Maximi Marcellinus: qui Baunio videtur in pugna ad Petavionem, quam Ambrosius memoravit, occubuisse: quam 'alteram pugnam alteramque victoriam' hoc loco putat significari. *Cellar.* Supra pro *dilectas*, Guelf. *deletas* scribit. Minus congruum et orationi nihil ineptius excogitari posset. V. ad Vict. Ill. XLVIII. § 2. et Burm. ad Ovid. Met. X. 527. *Arntz.*

Excellentiorem] Perspicue verum est *exertiorem*, hoc est, προφανεστέραν. Eandem vocem restituo et Statio Silv. V. Protreptico ad Crispinum: 'quod tempus amicum Fraudibus, exerto quænam bona tempora bello:' i. e. aperto Marti. Inepte editur *extorto*. Apud Agellium quoque X. 24. in C. Matii mimiambis scripserim, 'Nuper die quarto ut recordor, exerte Aquarium urceum,' &c. pro 'recordor et certe,' quod editiones referunt. *Livin.* Placuit istud præ aliorum *excellentiorem*. 'Exerit' enim sese, qui omnes exercet nervos, qui nihil reliquit inexpertum. Vir magnus conjicit ad Symmachi II. 31. *execratiorem operam*, non necessario. Nam respicit auctor eo, quod fratres enixius juvet, fratrem gnarus se ap-

pendicem futurum ejus qualiscumque fortunæ. *Gruter.* Livineii et Gruteri est, ut Statius Silv. v. 2. 39. 'exserto bello,' id est, aperto. *Cellar.* Ms. *execratiorem.* Schwarz. Guelf. *execratiorem.* Omnino vera est lectio recepta, quam defendit Wass. ad Sallust. Catal. cap. 44. et Burm. ad Quinctil. Declam. 265. Ideo aliquid tentare ex corrupta scriptura etiam non debuerat Scheffer. Epistol. ad Heins. 18. tom. v. Syll. Burm. *Arntz.*

§ 2 *Quam timeri*] Sic Nazar. Constant. c. XVIII. 'Nihil magis timuisti.' Similis locus apud Claud. 'res mira relatu Ne timeare, times.' Tacit. Annal. II. 'Nihil æque cavebatur, ne bellum metu eluderent.' *Putean.* Quare? ne hostis timidus, ac propterea vagus sæpius, et cum tædio, nec sine dispendio ex tot itineribus prœliisque vincendus esset. Solent enim, qui diffidunt rebus suis, contra valentiorem hac arte uti. Exemplum extat apud Tacitum in Tiridate Annal. XIII. 37. 'Qui palam infensare Armeniam, et si copiæ contra ducerentur, eludere, huc et illuc volitare, plura fama, quam pugna exterrebat.' Contraria huic ars est, ut victoriæ spem faciamus, exemplo Furii Camilli, de quo idem Auctor Ann. II. 52. 'Nihil æque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent: spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur.' *Scheff.* Ejusdem acuminis est illud Nazar. Paneg. Constant. cap. XVIII. ''Nihil magis timuisti, quam ne timereris.' Adde Barth. ad Claudian. de Laud. Stilicon. I. 340. *Arntz.*

Præcipiti die] Sic Livius lib. IV. Tacit. Annal. XIX. dixit, 'præcipitante in occasum die.' *Putean.* Ex legibus militaribus, quæ vetant noctu prœliari: quia per se formidolosa nox 'omnia ex incerto majora territis facit,' Liv. IX. 24. quia maxime adversa est pudori metuique, quibus alioquin rebus vel præcipue tenentur milites. Cæsar B. C. II. 31. quia valde apta ad fallendum maxime ignaros viæ locorumque. Hinc sæpe diremisse noctem prœlia legimus. *Scheff.* Curtius IV. 16. 18. 'Præceps in noctem diei tempus.' Virgil. Æn. II. 8. 'Nox humida cœlo Præcipitat.' Ovid. Met. IX. 485. Trist. I. 3. 47. Juret. ad Symm. Epist. IV. 54. Senec. Agam. vs. 461. 'In astra jam lux prona, jam præceps dies.' *Arntz.*

Venturæ pervigil] Sic Sueton. in Vitell. c. 10. in fin. 'In Apennini jugis etiam pervigilium egit.' Græci dicunt, παννυχίδα ποιεῖν. *Puteanus.* *Ventura*] L. *venturæ.* Acidalius. Puteanus putabat legendum *pervigilium*, quæ vox sumitur fere pro sacro nocturno, quo vigiliæ indicuntur; ad quam significationem alludere censet Pacatum. *Gruter.*

Annum] Indicat pugnandi desiderium, cum omne etiam tempus cupidis videatur longum esse. Virgil. Ecl. VII. 43. 'Lux toto mihi longior anno.' Terent. Heaut. II. 2. 2. 'Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.' *Arntz.*

§ 3 *Horrebat exercitu*] Veteres editiones istud *et jam* omiserunt. In meo reperitur, sed conjuncte. Contra illud *omnis* abest. *Scheff.* Verbum in bello de vi armata, cum 'horror' proprie pertineat ad cædes et bella. Not. ad Plin. Paneg. LVI. § 5. Drakenb. ad Silium XI. 421. Barth. ad Statium Theb. VI. 457. Heins. ad Ovid. Fast. VI. 140. Senec. Agam. vs. 221. 'Equos et arma, classibusque horrens fretum.' Lucan. V. 343. 'orbis Iberi Horror et Arctoi nostro sub nomine miles.' Guelf. legit corrupte *etiam tempus horrebat, diri.* De dispositione illa aciei cf. Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 231. et Columb. ad Lactant. de Mort. Persecut. c. 31. cum Lipsio de Milit. Rom. Dial. IV. 2. *Arntz.*

In cornua equites] Equites enim in cornibus locabant. Veget. II. 15. III. 16. *Putean.*

Gradu pleno] Vide Veget. I. 9. *Putean.*

§ 4 *Disciplina vincebat*] Ita enim oportet. Frustra virtus est, ubi non est disciplina. Potest quodammodo huc accommodari, quod de Germanis ait Tacit. Anal. II. 21. 'Non minor Germanis animus, sed genere pugnæ et armorum superabantur.' *Scheff.*

Conjectum] Sic Livius: 'ubi ad conjectum teli ventum est.' *Putean.* *Telique*] Lege *teli*, abjecto *que*. Acidal. Pertinet quod olim pugnæ initium sumtum fuerit a jactu telorum. Savar. ad Sidon. Epist. v. 17. Tacit. Annal. XV. 11. Justin. II. 9. § 11. Drakenb. ad Liv. XXVI. 40. *Arntz.*

Utraque] Est *in utramque partem*, exponente Servio ad Virgil. Æn. v. vs. 469. *Arntz.*

Sagittarumque nimbis] Eadem metaphora Virgil. Æn. XII. dixit, 'it toto turbida cœlo Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber.' Idem Æn. III. dixit, 'Ferrea telorum seges.' *Putean.* Frequens metaphora. V. Silium IX. 311. XII. 186. Sex. Rufum c. 27. Prudent. Psych. 129. Livius XXXVIII. 26. 'nubem telorum' dixit. *Cellar.* Male omittit Guelf. *jaculorum*, quod idem fecit edit. 1476. Rhen. et Bald. Lucan. II. 501. 'Crebroque simillima nimbo Trans ripam validis torserunt tela lacertis.' Flor. III. 8. 4. 'ingenti lapidum et saxorum nimbo:' ubi Duker. Silius IX. 580. 'Celsus telorum fundit Libys aggere nimbum.' Barth. ad Claudian. de Laud. Stilic. I. 263. et Cel. Bos. ad Epist. ad Hebr. XII. 1. *Arntz.*

Res venit ad capulos] Id est, *on vint aux mains.* Veget. I. 20. 'Sed cum,' inquit, 'ad pilam, ut appellant, venitur, et manu ad manum gladiis pugnatur.' Idem III. 14. 'Prima autem et secunda acies cum ad spathas et pilam, ut dicitur, ventum fuerit,' &c. *Putean.*

Causam] Cod. Ms. *Imperatorisque.* Schwarz. Idem exprimit Nazarius Paneg. Constant. cap. XXIX. 'Viritim laborarunt, quasi summa res singulorum manu niteretur.' Vales. ad Ammian. XV. 4. *Arntz.*

§ 5 *Laceratam Italiam*] Ideo veniam desperabant. *Cellar.*

In ferro reliquam] Nam propter illam ipsam venditam operam, laceratamque Italiam veniæ spem nullam habebant. Majus videbatur scelus, quam quod transigi ignoscendo posset. Itaque rem strenue gerebant. Habet enim etiam desperatio vires suas, ut docet prælium Catilinæ apud Sallustium, quo huic nihil est similius. *Scheff.*

Gladiatoria desperatione] Gladiatoribus enim ad mortem usque pugnandum fuit. Hinc illa vox eorum apud Suetonium in Claudio cap. 21. 'Ave, Imperator, morituri te salutant.' Terentio est 'animus gladiatorius' in Phorm. v. 7. Quem Donatus exponit 'paratum ad pericula: hoc est, ita perditum ac temerarium, ut non sibi caveat, dummodo vulneret.' *Scheffer.* Infelicissimum illud hominum genus pœnis quasi addicebatur et ad voluptatem populi depugnare cogebatur; primo ad sepulcra interfectorum ducum, inprimis si sine missione pugnarent. Freinshemius ad Flor. III. 20. 13. Erhard. ad Petron. cap. 21. Recte itaque hic dicit 'gladiatoria desperatione,' de qua pluribus Lindenbrog. ad Donat. in Terent. Phorm. v. 7. *In vestigio* retinuimus cum Guelf. et posterioribus editis. Delet tamen illud edit. 1476. Rhen. et aliæ. Retinuit Livineius ex suo cod. in margine Bertiniens. *Arntz.*

In vestigio] Sic Catilinæ socii, de quibus Florus IV. 1. 'Quem quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat.' *Scheffer.* Ea præcipue militum laus, ut ordines non relinquerent, et eum locum, quem occupaverant, strenue defenderent. Val. Flacc. III. 104. 'Manibusque dari quem comminus

optem Quo steteris, moriere loco:' ubi Burm. et Lips. Sat. II. 20. Drak. ad Liv. VI. 34. *Arntz.*

CAP. XXXVI. § 1 *Inpulsa*] *Acies* dicitur exercitus instructus: fronsque adversus hostem spectat. Veget. III. 14. Sic Tacitus lib. XIX. 'Laxati ordines abrumpuntur.' Sic Nazar. Constant. cap. XXVIII. 'Relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum ad pedes migrat.' *Putean.* Emendavi hunc totum locum ad Symmach. Ep. I. 47. hoc modo: *At ubi impulsa acies, fronsque laxata et fiducia in pedes versa est,* (forte inserendum *et fiducia manuum in pedes versa est.* Ita quidem Panegyr. Nazar. Constant. 'Relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit; fiducia manuum ad pedes migrat,') *ire præcipites* (vulgo hic inseritur *aut*') *glomerando* (ita Modius LXXIX. Novant. al. *gloriando*) *fugere, et se invicem festinando tardare: armati inermes, integri saucii, primi posterique misceri: miles urgere cominus gladiis, eminus hastis* (vel forte *eminus hastis, cominus gladiis*) *punctim cæsim ferire, alii poplitibus imminere,* (sic Modius recte: vulgo, *urgere eminus cominus gladiis hastis punctim cæsim ferire, alii populi tibi imminere*) *alii terga configere,* (an *conficere?*) aut quos *cursu non poterant continere* (frustra sit qui *contingere* malit scribere) *jaculis occupare, arma telaque, homines vita peremta, prona supinaque corpora passim vel in acervo jacere.* Elegantissimus locus paullo minus pristino et vero nitori a Modio restitutus. Insunt etiam paucula vitia quædam, quæ nos tollemus. Quid enim est *cursu aliquem continere?* Leg. *continuari* hoc significatu, quo est in Symmacho. Sed porro etiam scribendum, *arma, telaque viva peremta; prona supinaque corpora passim vel in acervo jacere.* Delevi vocem *homines*, quæ e glossa videtur, nisi sit retinenda et addenda etiam altera *homines, equi.* Quod tamen dubie pono. Non enim vestigia in reliquis verbis video equestris pugnæ, neque certe fuit prœlium equestre. An potius scribendum *semiviva* pro *homines, vita?* Acidalius. Qui recedit et fugam meditatur, ut bene Gronov. ad Livium XXVI. 6. 'In pedibus versa.' Guelf. *versata est ne:* admodum intempestive. *Arntz.*

Globo fugere] *Gloriando.* Scribe *glomerando fugere.* Lipsius, Quæst. Ep. I. 27. Recte: veteres habuere *gloriando* pro *globo.* Ex quo Muretus fecit *glomerando.* Sed *globo* etiam in meo reperitur, qui porro pro *et se* habet *aut se.* Et sic omnino scribendum est. *Scheffer.* *Globus* enim est multitudo militum condensata. Silius XI. 231. 'Concitus armis Invadunt globus.' Lucan. IV. 780. Curt. X. 7. 1. Val. Max. VII. 4. ex. 1. *Arntz.*

Festinando tardare] Nam ut ait Curtius IX. 9. 'In tumultu festinatio quoque tarda est.' Caussa, 'quoniam improvida est et cœca.' Liv. XXII. 39. Exemplum simile habes apud eundem IX. 23. 'Ingens,' ait, 'multitudo in unum metu conglobata, ac semet ipsam turba impediens in medio cæsa est.' *Scheffer.*

Miles urgere] Optima hæc loci hujus lectio, quæ plane eadem in meo codice. Veteres varie eum tentarunt. *Idem.*

Punctim, cæsim] *Frapper d'estac et de taille.* Sic loquitur Livius et Vegetius I. 12. *Putean.*

Poplitibus imminere] Sic Horatius Od. III. 2. 'Dulce et decorum est pro patria mori. Mors et fugacem persequitur virum: Nec parcit imbellis juventæ Poplitibus, timidove tergo.' *Idem.* Elegans et coloribus suis insignite descriptus fugiens re perdita fususque exercitus: sed ita contaminatus, ut multum genuinæ ejus venustati scripturæ vitia detrahant. Quæ est enim in fuga gloria, aut quis gloriando fugit? Dein, quale est illud? *alii populi tui imminere,* aut

quem sensum commodum ejicit? Denique, quis est ordo in illis verbis? *miles urgere eminus, cominus gladiis, hastis punctim cæsim, &c.* Equidem, ut in pauca dicta conferam, arbitror ex ductu literarum et sententiæ postulatis ita totum locum legendum: *At u. i. a. f. l. e. et f. i. p. v. e. i. p. glomerando fugere, et s. i. f. t. a. i. i. s. p. p. m. miles urgere, cominus gladiis, eminus hastis, punctim, cæsim ferire, alii poplitibus imminere, alii terga configere, aut quos cursu non poterant continere, jaculis occupare, &c.* Modius Novant. Lect. Epist. 79. Ms. *Frontibus:* bene. *Schwarzius.* Non satis propriam vim et elegantiam hujus loci cepit librarius Guelf. cum reponat *frontibus*, cum utique agatur de fugientibus, id quod clarius adparet ex eo *terga configere.* Tamen illud placere potuit Schwarzio: cum tamen *poplitibus* firmari posset ex eo, quod veteres editt. exhibeant *populi tibi*, ed. 1476. aliæque: et ex quibus clare posset constare, ad hæc verba oratoris non facere *frontibus*, cum id non pertineat ad fugientes. Confirmat Pacati veram manum Ovid. Met. VI. 256. 'Ictus erat, qua crus esse incipit, et qua Mollia nervosus facit internodia poples.' Et præcipue Met. VIII. 363. 'Trepidantem et terga parantem Vertere succiso liquerunt poplite nervi.' Apul. Met. IV. 106. 'Districto gladio poplites ejus totos amputant.' Liv. XXII. 51. 'Vivos succisis poplitibus invenerunt.' Pric. ad Apul. VIII. p. 473. Petron. Sat. c. 1. 'Succisi poplites membra vix sustinent.' Lucan. IX. 771. 'Suræ fluxere: sine ullo Tegmine poples erat.' Sil. Ital. IV. 343. 'Ufentem collapsum poplite cæso Ensis obit:' ubi plura V. D. et præcipue illud Iscanii de Bell. Trojan. VI. 268. 'Timidusque superbit, Poplitibus cæsis, humilem infamare triumphum.' Horat. Sat. II. 7. 97. 'Contento poplite minor.' Dict. Cretens. Bell. Troj. III. 7. 'Hostem complectitur, manu dextra poplitem succidens.' Val. Max. VII. 4. ext. 2. 'Poplites pugnantium ceciderunt.' Val. Flacc. VI. 551. 'Poplite flexo Dejicit.' Virgil. Æn. IX. 763. Notissimus locus Horatii Od. III. 2. 15. 'Nec parcit imbellis juventæ Poplitibus, timidove tergo:' ad quem locum Bentl. pro *continere* h. l. mavult *contingere*, non video cui usui, cum *continere* idem sit quod *retinere.* Cort. ad Sall. Jug. c. XV. in fin. et 'poplites' ad milites spectare patebit, quia cum 'galeis' jungit Juvenal. Sat. VI. 262. 'Galeæ curetur pondere, quanta Poplitibus sedeat.' *Arntz.*

Continere] Non damnem præfracte; sed malim tamen immissa litera *contingere, jaculis occupare.* Gruter.

§ 2 *Telaque*] Otiosa *que* conjunctio et obscura vetus lectio. Sed eruebam sub manu (absit invidia) feliciter, *tela, equi, homines*, quo nihil verius. *Livin.*

Passim] Variis partibus divisa. Cort. ad Sall. Jug. XVIII. 3. post V. D. ad Livium XL. 32. *Arntz.*

In acervo] Vox usitata si de ingenti clade agatur, si cadavera in unum quasi cumulentur. Cicer. Orat. III. Catil. cap. 10. 'Omnis locus acervis corporum et civium sanguine redundavit.' Not. ad Vict. Epit. XLII. § 14. Val. Flacc. III. 274. 'Exsangues confertæ cædis acervos.' Merul. ad Enn. p. 106. *Arntz.*

Inutilibus] *Mutilis* V. B. L. C. recte. Ita olim etiam conjeceram. *Ritters.* Ita Rittershusius in quodam reperit. Veteres habuere *inutilibus.* Credo ex non intellecta scriptione antiquorum. Nam in meo quoque invenio non *inutilibus*, sed *inutilis.* Quod nescio an non rectum sit. *Inutilis* hic enim pro *inutiles* antique, sicuti non infrequenter. Intelliguntur autem inutiles ad arma prœliumque, propter præcisa membra. *Scheffer.* Ms. *Illi inutiles, excisisque membris, reliqua sui parte*

fugiebant; hi dolorem vulnerum sequebantur. Schwarz. Veteres editi *inutilibus*. Sic edit. 1476. Rhen. Bald. et aliæ: et certe in Mss. usitatissimum est *m* et *in* inter se confundi. V. ad Vict. Ill. LXVI. § 2. et ad Plin. Pan. XXXV. § 2. *Inutiles* prætulit Scheffer. Epist. ad Heins. 18. pag. 28. tom. v. Syll. Burm. *Arntz.*

Dolorem vulnerum] Ita Justin. XXIV. 8. 11. 'Cum dolorem vulnerum ferre non posset.' Plura ad Victor. Ill. IV. § 7. *Idem.*

Deferebant] Meus habet *differebant:* quod hic puto esse elegantius. *Scheff.* Ms. *Isti mortes receptas in silvas et flumina differebant, illic postremum spiritum, &c.* Schwarz. Et Guelf. *differebant*, de qua commutatione diximus ad Plin. Paneg. LXXXII. § 5. Parum interest, cum dicat *silvas* et *flumina:* videtur enim velle indicare locorum diversitatem, ut id verbum adhiberi solet de diversis inter se locis. Vell. II. 79. 3. 'Laceravit ac distulit.' Cort. ad Plin. Epist. VIII. 20. *Arntz.*

§ 3 *Manus illa*] Pars exercitus. *Cellar.*

In osculis] Del. f. *in*. Nisi Apuleiano more abundat. Ut f. etiam Paneg. Incert. Constant. Fil. cap. III. 'Quod nos fugit in amore trepidantes.' *Acidal.* Quoniam non sponte, sed coacta secuta esset Maximum, adeoque si quod crimen necessitatis commisisset, cui veniam dari æquum est. Nicol. Syracusanus apud Diodor. Sicul. lib. XIII. 'Sicut par est eos puniri, qui data opera injuriam inferunt, ita æquum est ignosci his, qui præter voluntatem suam peccant.' Valer. Max. v. 1. 'Egregium est hostem dejicere, non minus tamen laudabile infelicis scire misereri.' Adde Grotium de J. B. et P. III. 2. 3. *Scheff.* Guelf. *oculis*, minus concinne: cum talia oscula a devictis, et minores se fatentibus exhiberi moris esset. Dougt. Anal. S. part. I. Exc. 121. et Raphel. ex Polyb. et Arrian. ad Luc. Euang. VII. 38. *Submissis vexillis* dicit, ut ita se victos faterentur, cum obsequii sui testimonium darent, et majorem illum agnoscerent. Ea consuetudo originem sumsit ex prima reip. libertate, cum consules ad captandam populi auram suos fasces pro concione submitterent. V. ad Quinctil. Instit. III. 7. Propius ad h. l. Lucan. VI. 243. 'Adorato submittat Cæsare signa.' Notæ ad Ammian. XXVI. 7. 'Signorum apicibus, aquilisque submissis.' *Arntzenius.*

Calcanda vestigiis] Pertinet ad morem, cum superbiores victores ex insolentia pedes inponerent victis a se hostibus. Ovid. Amor. III. 11. 5. 'Domitum pedibus calcamus Amorem.' Torrent. ad Horat. Od. III. 20. 11. 'Arbiter pugnæ posuisse nudo Sub pede palmam.' Victor. Var. Lect. XV. 4. Symmach. Epist. X. 32. 'ut caduca calcavit.' Stephan. ad Saxon. Grammat. Histor. Danic. lib. I. p. 36. *Idem.*

Projecit] Arma abjicere in bello signum timidi militis, et summum flagitium, cum scutum quasi sacrum haberetur, quod amittere ingens erat dedecus, et morte luendum. Stewech. ad Veget. II. 14. Multo magis, si talia arma traderentur hostibus, quorsum pertinet Frontin. II. 5. 17. 'Scuta nostris tradiderunt.' Per *arma* vero proprie intelligimus scuta. Duker. ad Flor. II. 15. 8. et passim Vell. II. 85. 5. 'Ægre submissis armis cessere victoriam.' Et ipsa arma tradere moris erat, ut ostenderent sibi in animo non esse rebellare. Freinshem. ad Curt. VII. 4. 38. *Idem.*

§ 4 *Socia agmina*] Allusit poëtam, 'Socia agmina jungunt.' *Acidal.*

Diversa reip.] Sic vulgati, quotquot vidimus. Meus habet *divisa*, quod rectissimum esse, vel verbum subsequens *coalescunt*, probe ostendit. Justin. III. 2. 'Græcia omnis, ducibus Lacedæmoniis et Atheniensibus, in

duas divisa partes, ab externis bellis, velut in viscera sua, arma convertit.' *Scheff.*

Uterque victoria] Mire. Sed tantum potest post victoriam clementia. Non multum abit quod est apud Maximum Valer. v. 1. de Syracus. 'Maxima clade tua aliquid admistum gratulationis habuisti: quia si tibi incolumi stare fas non erat, leviter sub tam mansueto victore cecidisti.' *Idem.*

CAP. XXXVII. § 1 *Pia hac mora*] Præferam *Hæmona*, ex quo corruptum, quod in B. est *Hacinona.* Urbs objacens Alpibus, ut mox sequitur, Aquileiam Siscia tendenti in itinere. Quam a Maximino, et ipso in Italiam movente, vacuam desertamque inventam Capitolinus refert Maximinis. Omnino confer locum. Meminit iterum Maximino juniore. Sed *Natona* substitutum Rhenano, meo animo parum circumspecte, qui exercitum properantem, 'ut spatio lucis unius Illyrico continuaret Aquileiam,' (verba sunt Auctoris,) longissimo tractu retroagat in imum pene Illyricum. Adi tabulas, mi lector, et omnem hunc terrarum situm explora. *Livin.* Ita meus codex cum optimis aliis. Veteres *hac mora*, inepte, uti Livineius vidit. *Scheff.* Sic codex scriptus Schefferi; et dudum aliis suboluit, hanc genuinam lectionem esse. In via enim est inter Sisciam et Aquileiam. In lapidibus AEMONA et EMONA scriptum est. Vid. Notit. Orbis Antiqui. *Cellar.*

Provolavit] Guelf. male *prævolavit.* 'Volare' et inde composita maximam in perficiendo negotio notant celeritatem. Liv. l. I. c. 57. Justin. XXVII. 1. 6. Ovid. Fast. VI. 443. 'Provolat in medium.' Eamdem celeritatem indicat per 'effusa.' Eumen. Paneg. Flav. nom. VIII. § 1. 'Tanta se obviam effunderet multitudo.' Livius XXXIV. 21. 8. 'Effusis omnibus ad sequendos.' *Arntz.*

§ 2 *Fingit*] Plinius Paneg. cap. LXXII. 'Multa quidem excogitat metus, sed quæ appareant quæsita ab invitis, aliud sollicitudinis, aliud securitatis ingenium est, alia tristium inventio, alia gaudentium: neutrum simulationes expresserint.' *Scheffer.* Confirmat id Barthius pluribus ad Statium Theb. I. 188. et Pric. ad Apul. lib. X. p. 606. *Arntz.*

Speculo frontium] Vult speculum quoddam animorum esse frontes, et *in speculo frontium* valet in frontibus tanquam speculo. Tibullus: 'Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa, Difficile est tristi fingere mente jocum.' Erratum in veteribus libris, quod indignor, quorum in V. *fortium*, in B. *fontium* est, utrumque inepte. *Livin.* Leg. *extet.* Panegyr. Nazar. 'Extat in vultu cujusque hilaritatis publicæ decus, et in serenis frontibus animorum indicia perleguntur.' Ibid. 'Male clausi signa rumoris per vultus indices exierunt.' *Acidalius.* Ovid. Met. II. 447. 'Difficile est crimen non prodere vultu.' Quod hic tradit de crimine, id de quovis verum est affectu. *Scheff.* Ita loquitur quia fere ex vultu cognosci possunt animi adfectus, quamvis aliquis tegere voluerit. Schulting. ad Senec. Contr. lib. I. p. 73. Barth. ad Statium Theb. I. 188. Weitz. ad Prudent. p. 609. *Arntz.*

Belli limen] Id jure retinet Guelf. *Limen* enim *belli* notat finem belli. Val. Flacc. I. 823. 'Sub limine rerum:' ubi Burm. et Oudend. ad Lucan. lib. II. 106. *Idem.*

Vera lætitia] Non adquiesco in his postremis. An fuit, *ut esse vera lætitia, vel quia nimia videretur.* Ut appareret veram esse lætitiam vel inde, quod nimia erat. Cui tamen sententiæ sententia repugnare illa videatur Pliniana Paneg. 'Ingeniosior est ad excogitandum simulatio.' Tacit. f. multo magis Histor. I. 'Quanto magis falsa sunt, quæ fiunt,

tanto plura facere.' Vel saltem immitte copulam *et*. Paneg. Nazar. Constantino: 'Non enim se capit exundans lætitiæ magnitudo, sed dedignata pectorum latebras, ita multa et candida foris prominet, ut intelligatur non ingentior esse quam verior.' *Acidal.* Sic reponendum duxi, motus suadela codicis scripti, minus bene editi hactenus, *ut inesse vera læt. &c.* Gruter. Sicut fere solet esse nimium, quod est simulatum. Exemplum habes in senatu gratulante Ottoni de victoria cædeque Galbæ, de quo Tacitus Histor. I. 45. 'Ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Ottonis manum; quantoque magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plura facere.' Nimirum, istiusmodi simulatores verentur, ne pravæ conscientiæ in vultu reliquave actione aliqua deprehendatur nota. Itaque quo eum studiosius obtegere conantur, hoc a vero longius recedunt, impellente timore, qui servare mediocritatem nusquam potest. Porro lectionem hujus loci frustra tentarunt Livineius Acidaliusque, feliciter Gruterus, qui in quodam reperit *inesse*, ex quo id, quod palam in meo legitur, *ni esset*, fecit. *Scheff.* In Stephani et Buchneri editionibus hæc verba pro desperatis habentur. Livineius relinquit intacta, nisi quod moneat, in uno aliquo libro pro *inesse* sibi visum *ni esset*, quod interpolatorum est commentum; sed quia tamen præ vulgatis videretur aliquem sensum non incommodum gignere, cupide arripuit in sua ἐκδόσει Cellarius, probavit etiam Schefferus in notis ad hunc Panegyricum, in textum vero non recepit. Et recte; quæ enim hæc argumentandi ratio, *nimia lætitia, ni vera?* quasi illud, quod verum sit, etiam simul nimium esse nequeat. Cum tripudiaret David, vera erat lætitia, non simulata, et tamen videbatur nimia Michali uxori ejus. Verissime reliquit Pacatus, *tanta se et tam simplici exultatione jactabat, ut inesse severis lætitia nimia videretur.* Prima sylla ba in voce *severis* ob præcedentis eandem neglecta fuit labes orta. Sic idem patres 'severos' vocat c. VIII. et alibi sæpius hac voce utitur, de qua præterea consule Jan. Guilielm. Plautin. Quæstion. in Rud. c. V. Gebhard. ad Nepot. Epam. c. 2. *Severi*, ἀγέλαστοι. Et sane, quæ mox in Pacato de tripudiis, crotalis, cantu cæterisque sequuntur, propemodum nimia poterant videri *severis* hominibus, et gravitatem amantibus. *Withof.* Spec. Gunther. p. 88. Huc spectat illud Phædri IV. 16. 9. 'Parce gaudere oportet et sensim queri.' *Arntz.*

§ 3 *Exsequiale*] Guelf. *exitiale*. Alterum præferendum, cum tale sit carmen, quale cani solebat in exsequiis, ut ejusmodi integer exstat ap. Senec. Lud. Claud. p. 856. ubi 'æneatorum tanta turba, tantus concentus' puto legendum pro 'conventus,' quem audire non potuisset Claudius. Vid. ad Plin. Paneg. c. XI. Serv. ad Virgil. Georg. I. 422. exponit per 'symphoniam' et 'commixtum cantum.' Cuper. Obs. I. 2. Dougt. Anal. part. I. Exc. 86. *Arntz.*

Respectus]. Haud cuncter addere adhuc alia distinctione, *respectus a blandam tibi faciebat injuriam contumacia gaudiorum.* Quamvis id tamen in unico invenerit Bertiniano Livineius. *Gruter.* Intuitu, consideratione, ut bene Schulting. ad Senec. Controv. lib. I. p. 87. Burm. ad Phædr. V. 4. 7. Illud *contumacia gaudiorum* non agnoscit Guelf. et pro *cuique*, idem *cuiquam*, quod non damnarem. Eodem enim sensu ponitur. Davisius ad Minuc. Fel. Oct. c. 13. Not. ad Plin. Paneg. LXVIII. § 3. V. D. ad Livium I. 24. et Frater ad Caton. Dist. I. 9. Idem cod. *tuique* pro *tuive*. Arntz.

Contumacia gaudiorum] Hanc lec-

tionem cum unico Livineii, quem Gruterus laudat, meus quoque habet. Innuit autem illam gaudiorum vim, quæ homines ea sæpe cogit admittere, quæ alias per verecundiam pudoremve non auderent, *Scheffer*.

§ 4 *Veste nivea senatores*] Similis locus apud Claudianum de VI. Cons. Honor. 'Una replet turbæ facies: undare videres Ima viris: altas efful-gere matribus ædes. Exsultant juvenes æquævi Principis annis, Temnunt prisca senes, et in hunc sibi prospera fata Gratantur durasse diem, moderataque laudant Tempora, quod clemens aditu, quo tempore solus Romanos vetuit currum præcedere patres.' Similis locus ap. Plin. in Paneg. c. XXII. 'Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes. Ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum tui sanitatemque prorepere:' et supra c. III. *Putean*. Togas intelligit, quibus utebantur in festis. Prudent. contr. Symmach. 'Candida toga, et niveus pietatis amictus.' Dicebatur autem 'nivea,' quæ lota esset a fullone, cretaque ac sulphure albedini pristinæ restituta. *Scheffer*.

Purpura flamines] De prætextis loqui censeo. Iis enim sacerdotes utebantur. Valerius apud Livium XXXIV. 7. 'Purpura viri utemur prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis utentur.' Sic distinguendum locum puto, non, ut vulgo habetur, 'Purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis, purpura, togis utentur.' *Idem*. Ideo quia municipia sua retinuerant sacra adeoque et flamines. Savar. ad Sidon. Epist. V. 7. et Sirmond. ad eumd. l. l. *Arntz*.

Insignes apicibus] Hoc est, summis quibusdam conis in illorum pileis, de quibus videndus est Rubenus Elect. II. 25. ubi effigiem earum egregie depictam habet. *Scheffer*.

Portas] Eæ nempe in lætitiæ et publici gaudii signum variis sertis aliisque ornamentis decorabantur. Rutil. Itiner. I. 425. 'Exornent virides communia gaudia rami:' ubi not. et Brisson. de Rit. Nupt. p. m. 71. cum Rivino ad Pervigil. Vener. vs. 50. *Arntz*.

Tardantes plateas] Citra controversiam probum *undantes*. Virgil. Georg. II. 'Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.' Mox *turbam domorum* insulsa et insolens translatio. Conjeceram *bonorum*, nunc librorum omnium consentiente scriptura apposui asteriscum, valdeque suspicor de hiatu. *Livin*. Non placet explicatio τοῦ *tardantes*: quod substituunt *radiantes* placet paullo magis. Lipsii e libro emendatio tamen f. verissima, *undantes*. Acidal. Edit. anni 1476. Rhen. 1650. et aliæ præferunt *tardantes*: male. Verbum enim 'undare' de maxima multitudine usurpatur. Pric. ad Apul. Met. VI. p. 305. Haverc. de Numism. Alex. p. 21. et ita ex codice suo reponit Lips. ad Tacit. Annal. III. 10. Gnelf. *arellis*: quod corruptum ex scriptura pristina. Claudian. de Rapt. Pros. II. 320. 'Pars aulæa tenent: alii prætexere ramis Limina.' Hoc idem accidisse novimus in festo Servatoris introitu, cum populus floribus et frondibus viam, qua ingressurus esset, consper-geret. Dougt. Anal. part. II. Exc. 26. Adam. Observ. Theol. Philol. p. 149. Recte vero *funalia* memorat. Tales enim faces accendebantur in honorem et quasi triumphum viri magni et de rep. bene meriti. Exemplum est apud V. D. ad Florum II. 2. 10. 'Prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit.' *Arntz*.

Gratulantes] Et in medio hic interpunge, *domorum?* Acidal. Cod. Ms. *Quid effusam in publicum turbam domorum: gratulantes anus, senes pueros*. Schwarz. Maxime usitatum fuit talia vota fundere, cum putarent in

iis contineri salutem publicam, cum Principe salvo salva foret resp. V. D. ad Phædr. v. 7. 27. Spanhem. de Numism. Dissert. XIII. 1. cum Balusio ad Lactant. Mort. Persec. cap. 31. *Arntz.*

Servitutem] Cod. Ms. *tibi longam senectutem voventes.* Mirum est, nullo advertente editore et critico, vocem *servitutem* hoc loco omnia exemplaria typis exscripta occupasse. *Schwarz.* Qui certum vidit, et opportune de loco pristino reduxit. Servitus enim odiosum erat nomen Romanis, cui populo pristina libertas adhuc inhærebat propria, cum avitam illam gloriam nondum adeo ejurassent. Sed de hoc loco pluribus egimus ad Victor. Epit. XLVIII. § 6. *Arntz.*

Agebas triumphum] Quem civitas læta sponte sua instituerat, et ita omen victoriæ triumphique veri dederat. Nec enim ab ipso institutus triumphus hic intelligendus est, quem nemo ante victoriam nisi imprudens superbusque instituit. *Scheff.*

CAP. XXXVIII. § 1 *Avolabat*] Veteres editi *evolabat*, Rhen. ed. 1650. Livin. in margin. 'Avolare' usurpatur de tali, qui celeri cursu abit, et contra 'advolare' ejus est, qui celeri et citato gressu advenit. Virgil. Æn. x. 15. Liv. I. 67. Justin. XXVI. 3. 3. Quod dicat de *spe, quæ postrema deserit hominem*, id confirmat Cato, seu quis alius in Distich. II. 25. 'Spes una hominem nec morte relinquit :' ubi alia in notis fraternis. Weitz. ad Prudent. Psychom. vs. 201. Pro *sequebatur*, Guelf. habet *sequebat*, quales corruptelæ non sunt infrequentes. V. ad Plin. Paneg. XL. § 1. Conferri hanc in rem posset Barth. ad Claud. Cons. Probin. vs. 108. *Arntz.*

Homines deserit] Eos maxime qui sunt magnæ indolis. 'Magnæ quippe indolis signum est, sperare semper,' ait Florus IV. 8. et Tacit. Histor. II. 46. 'Fortes et strenui etiam contra fortunam insistunt spei.' *Scheff.*

Ipsos viæ inplicabat] Non hæc ad stomachum meum. Emendem *ipso se viæ implic. errore.* Addicunt clare quæ sequuntur. Lucanus VIII. 5. 'Cornipedem exhaustum cursu stimulisque negantem Magnus agens, incerta fugæ vestigia turbat, Implicitasque errore vias.' *Livin.* Metu scilicet, et ut difficilius caperetur, si vestigia fugæ turbata minus apparerent, more fugientium ferarum. *Scheff.*

Texebat] Nescio cui bono Pric. ad Apul. Met. IX. p. 498. *tenebat.* Immo aperte falsum, cum h. l. agatur de dubiis et incertis viarum ambagibus et involucris. Virgil. Æn. v. 589. 'Parietibus textum cæcis iter ancipitemque.' *Arntz.*

§ 2 *Bellumne tentabo*] 'Hæc enim natura est pavoris, omnia metuenti præsentia maxime displicent,' Tacit. Histor. III. 83. Exemplum similis fugæ habes apud eundem in Britannis vita Agricol. c. 38. *Scheff.* Hoc fere est desperantium, qui ad extremum periculum decurrunt, et aliquam quasi in desperatione quærunt salutem. Senec. Thyest. vs. 805. 'Victi tentant Bella Gigantes.' Justin. XXI. 2. 6. Vell. II. 113. 3. *Arntz.*

Quem viribus totis] Dialogismus quidam secum Maximi est, brevis et acutus, ac subobscurus, ut ante quidem legebatur. Nos lucem ei a distinctione dedimus. In C. est *aut quem vir. a* minuscula inepte. Sibi ipse enim respondet κατὰ εἰρωνείαν. Scilicet quem viribus totis, &c. Statim *observabo*, haud scio an non sincerius id est, τηρήσω. Statius Silvar. IV. ad Marcellum: 'Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes, Aut Rheni populos aut nigræ littora Thules, Aut Istrum servare latus.' *Livin.* Ita Seneca Phœniss. vs. 156. 'Viribus totis veni.' Ovid. Met. X. 659. 'Nunc viribus utere totis.' Lucan. I. 5. 'Totis concussi viribus orbis.' *Arntz.*

Obserabo] Sic interpunge: *Alpes Cottias obserabo? quia Juliæ profu-*

erunt. Subjicit ironice, Scilicet Juliæ multum profuere, per quas nempe Theodosius perruperat et irruperat. *Acidal.* Guelf. *obsecrabo.* Commode alterum verbum de angustiis, per quas aditus pateat in aliquam regionem, ut respiciatur ad ædium aditus, qui sera claudebantur, ad quos proprie refertur. Justin. XVIII. 3. 12. 'Obseratis foribus mortem sibi conscivit:' et XXVI. 1. 9. Horat. Epod. XVII. 52. Liv. V. 41. 'Obseratis ædificiis,' ubi a librariis eodem modo peccatum est. Duker. ad Flor. III. 6. 10. 'Ipsas fauces sic obditis navibus quasi portam obseravit.' Confer Pricæum ad Apul. Met. IX. p. 481. et 485. Mox pro *profuerunt*, Guelf. scribit *paruerunt*, corruptum sine dubio pro *patuerunt.* Sall. Catil. X. 1. 'Cuncta mari et terra patebant.' Val. Max. I. 8. ex. 2. *Arntz.*

Profuerunt] Ironia. Nihil enim Maximo profuerunt, et per illas victor exercitus ex Pannonia in Italiam perrupit. *Cellar.* Cod. noster pro verbo *profuerunt*, *patuerunt:* bene. *Schwarz.*

Notus sum] Codex habet *devotus.* Idem. Confirmat Guelf. cum tamen corrupte scribat *devota:* recte, modo terminationem mutes. Ovid. Epist. Her. VI. 164. Pric. ad Apul. lib. VII. p. 366. *Arntzen.*

§ 3 *Crinibus*] Ad margin. al. *criminibus*, verissime et elegantissime. *Acidal.* Senec. Herc. Fur. vs. 736. 'Suoque premitur exemplo nocens.' Cort. ad Plin. Epist. III. 9. 20. Symmach. Epist. X. 51. 'Accusatione civili premebatur.' Ovid. Met. XIV. 401. 'Criminibusque premunt veris.' Drakenb. ad Livium XXXIV. 31. 1. *Arntzen.*

§ 4 *Miseris etiam perire*] Curtius VI. 4. 'Nihil est miseris mortalibus spiritu charius.' Adde quæ hoc loco notat vir ampl. Jo. Loccenius, socer meus. Porro Stoici et id genus imperite illos agere existimabant, qui in summis calamitatibus vivere mallent, quam se ferro voluntariaque morte in securitatem libertatemque vindicare. Consule Plinium Epist. I. 22. Hinc illud Nostri *miseris etiam*, quod vellem commatibus a reliquis distingui. *Scheffer.* Vera sententia, quam quoque expressit Ovidius Met. III. 46. 'Sive illi tela parabant, Sive fugam, sive ipse timor probibebat utrumque.' Acidal. ad Curt. III. 11. 17. 'Metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur.' *Arntzen.*

Cassibus] Respicit ad morem venatorum apud antiquos, qui locum aliquem, præcipue silvam, retibus solebant cingere, ut ita inclusa animalia facile capi possent. Demster. ad Rosin. III. 7. Bart. ad Rutil. I. 625. Duker. ad Flor. III. 6. 2. *Idem.*

Agitabatur] Guelf. *augebatur.* Corruptum ex nota illarum vocum confusione, cum per se recepta sit clarissima. Livius XLI. 9. 'Lupus etiam Romæ interdiu agitatus.' Ovid. Met. III. 356. 'Trepidos agitantem in retia cervos.' Nep. Datam. III. 2. *Idem.*

Metu adligatus] De animi affectibus, quibus continentur homines. Ita 'beneficiis adligatus.' Cicer. pro Planc. cap. 33. Symmach. Epist. IV. 33. Broukh. ad Propert. I. 5. 12. et Barth. ad Stat. Achill. I. 411. *Idem.*

Pœnam frustrando differret] Ambrosii de hac re prope simile judicium Ep. 29. nisi quod quæ noster ad pavorem, ille ad Deum, incutientem Maximo pavorem, subtilius referat. Sic enim Deum loqui fingit: 'Ego perturbavi hostis tui consilia, ut se ipse nudaret. Ego usurpatorem imperii ita vinxi, ac mentem ejus ligavi, ut cum haberet adhuc fugiendi copiam, tamen cum omnibus suis, tanquam metuens ne quis tibi periret, ipse se clauderet.' *Scheffer.*

§ 5 *Perceperit*] Recte alii *præceperit.* Sed et lego *pœnam ultio fest.* Acidal. Legendum omnino est ex

meo *præceperit*, quemadmodum et Livineius se in aliquo reperisse testatur: qui tamen frustra, et contra fidem omnium, pro *pompam*, *pœnam* legit. *Pompam* hic intelligit supplicii, in qua exutus Maximus purpura, spoliatus diademate, privatus alio ornatu regio, vinctus, projectus in terram, et quæ hujus generis sunt alia. *Scheffer.* Ea omnino vera est manus oratoris, id quod additum *festinata* jubet: cum 'præcipere' sit aliquid ante capere. Plura Drakenb. ad Livium VI. 5. 4. Not. ad Victor. Ill. cap. V. et ad Plin. Pan. cap. LVIII. 'Ardentem' autem militem dixit pro vincendi et bellandi cupidum. Duker. ad Flor. I. 8. 2. Barth. ad Claud. III. Consul. Honor. vs. 73. *Arntzen.*

CAP. XXXIX. § 1 *Germana*] Ita optime editiones. Fallitur Balduinus, qui substituit, *ingeniosa illa pictoribus*. Eleganter enim Pacatus *germana* vocat *pictorum poëtarumque commenta*. Eodem exemplo Prudentius in Symmach. lib. II. 'pigmenta cognatum malum Camœnarum' vocat. 'Somnia concipiunt Homerus, et acer Apelles, Et Numa, cognatumque malum pigmenta Camœnæ.' Notum est illud Plutarchi lib. de Aud. Poët. 'Poëticam esse loquentem picturam, picturam vero mutam poëticam.' Horatius in Arte, 'Ut pictura poësis erit:' et ibidem utrosque conjungit: 'Pictoribus atque poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.' Hunc lapsum Balduini jam pridem aliis indicavi. *Juret.* Sentit, credo, pictores et poëtas geminos quosdam ac germanos esse. Frustra est ergo Franc. Balduinus, qui *ingeniosa* subdidit citra codices. *Livin.*

Finxere pennatam] Vide Turneb. Advers. XXVII. 2. et 5. *Putean.* Virginis enim alatæ habitu, capite laureato, manu palmæ ramulum ostentans pingebatur. Consule Dempsterum ad Rosin. II. 10. Porro in meo codice *pinnatam* legitur. Curt. VII. 10. 'Sine pedibus dicunt esse Fortunam, quæ manus et pinnas tantum habet.' *Scheffer.* Nazar. Panegyr. cap. XXXII. 'Ad celeritatem nuntii pennata victoria.' Heins. ad Ovid. Met. VIII. 13. 'Inter utramque volat dubiis Victoria pennis.' Notæ ad Vell. II. 27. et Statius ad Tibull. I. 6. *Arntzen.*

§ 2 *Fluminibus natandis*] Non muto. Tamen an *tranandis?* Acidal. Vulgo *natandis*. Acidalius mallet *tranandis*. Meus *evacuandis:* prodigiose. *Scheff.* In arte natandi peritissimi fuerunt Romani, utpote populus bellandi studio inprimis deditus. Barth. ad Rutil. I. 247. Brouk. ad Tibull. III. 5. 29. V. D. ad Sueton. Cæs. c. 51. *Arntz.*

Sole] Quid si transpositis duabus vocibus et earum altera levissime mutata, legas *in alio solo et in alio pene dixerim orbe, positus?* Acidalius. Flor. II. 6. 12. 'A meridie et a sole venientibus.' Ita apud eumd. IV. 12. 62. 'ab alio venire sole:' ubi vulgo 'cœlo.' *Arntz.*

Lucis] At ex Pannonia, a Siscia, Petavione, Hæmona veniebat Theodosii exercitus in Italiam. Non igitur proprium Illyricum, sed Illyricum magnum, quod medio ævo erat, et in eo Pannonia, hoc loco pro sæculi more est notatum. *Cellar.* Pro diei. Senec. Herc. Œt. vs. 1472. 'Fata nostra explicant, Lux ista summa est.' Quod Virgil. Æn. II. 322. dixit 'Venit summa dies.' Vide Serv. ad eumd. Ecl. VII. 43. Lucan. VIII. 29. *Arntz.*

§ 3 *Vindicant*] Et merito. Non enim tam ipsorum virtus, quam fortuna ducis festinationem illam ac celeritatem adjuvabat. Igitur isti tribuendum fuit, quidquid hic præter morem gestum. Ista est, quæ negotia citius confecit, quam aut milites, aut Theodosius ipse confecta credere potuerunt. Consule Bœclerum in Char. Vell. Porro meus codex

inter ista *nomine vindicant*, inserit, *milites tui*. Quod necessarium existimo, quia alioquin nihil est, quod verbi numerum pluralem satis regat. *Scheffer*. Cod. Ms. *Nihil tamen sibimet hoc nomine milites tui vendicant, et, si quando, &c.* recte. *Schwarzius*. Pari modo clariorem reddit sententiam Guelf. cum interserat *milites tui*. Nep. Thrasyb. I. 4. 'Itaque jure suo nonnulla ab Imperatore miles, plura vero fortuna vindicat.' Cic. pro Marcello c. 6. *Arntz*.

Circulos] Guelf. *oculos*. Sed *circulos* verius est, quam ut dubitare elegantia vocis nos sinat. Est enim multitudo populi, qui in unum contrahitur ad novas res audiendas. Cicer. ad Attic. II. 18. 'Sermo in circulos duntaxat.' Liv. XXXIV. 61. 'In circulis conviviisque celebrata sermonibus.' Savaro ad Sidonium Epist. I. 11. Unde profecta vox 'circulatores,' qui circulos contrahunt. Pric. ad Apul. Met. I. p. 9. *Arntz*.

Producunt] De tempore, quod ita sermonibus extenditur. Duker. ad Livium XXXVIII. 50. 1. Ovid. Epist. Her. XII. 6. 'Quidquid ab illo Produxi vitæ tempore.' Hoc Virgil. Æn. I. 748. dixit, 'Noctem vario sermone trahebant.' Cicer. Somn. Scipion. c. 1. 'Sermonem in multam noctem produximus.' *Idem*.

Absentes] Falsum *absentes*, necdum apte muto. F. *obsequentes*. Acidalius. Nescio cur falsum dicat τὸ *absentes* Acidalius. Absentes utique ferebantur, qui recumbentes in lectis per quietem et imagines somniorum in loca alia transferuntur. Ferebantur enim, sed in somnio; et non ferebantur, quia jacebant in lectis, et revera absentes erant ab eo loco, in quem ferri per somnium sibi videbantur. *Scheffer*. Blanditur conjectura Acidalii. Simili enim modo Ovidius Met. IX. 117. 'Obsequio deferri spernit aquarum.' Alibi Claudianus: 'Tibi militat æther, Et conjurati veniunt ad classica venti.' *Arntz*.

§ 4 *Castoras*] Intelligit duos fratres Castorem et Pollucem. Davis. ad Cicer. Tusc. I. 12. qui quamvis nominibus distincti essent, tamen usu obtinuit, ut una voce *Castores* dicerentur. Cicer. Philipp. V. 8. Verr. V. 72. Torrent. ad Horat. Od. III. 3. 9. Cuper. Obs. III. 17. *Idem*.

Thessalicum] Victo acie Macedonum rege Perse. Vide Florum II. 12. Minuc. Fel. VII. 3. et quæ nos ibi. *Cellar*. Puto antiquam scripturam servasse Guelf. *Thessalium*. Inspice quæ sunt dicta ad Victor. Ill. cap. 82. Adde Heins. ad Ovid. Fast. IV. 362. Duker. ad Flor. II. 5. 1. Paria scribit nostro idem Florus II. 12. 15. 'Duo juvenes candidis equis apud Juternæ lacum pulverem et cruorem abluebant:' ubi in notis alia. *Inputasse* vero erit pro beneficio adposuisse, inscripsisse. Symmach. Epist. IV. 2. Eumen. Paneg. Constant. cap. XX. infra hoc Paneg. c. XL. in fin. et Lips. ad Senec. de Tranquill. Anim. c. 6. Florus IV. 12. 62. 'Longinquitatem viæ inputabant:' ubi not. Burm. ad Phædr. I. 22. *Arntz*.

Nuntiasse victoriam] Clare ad historiam hanc Cicero de Natura Deorum lib. II. Plutarchus Æmilio, Valer. Maximus I. cap. ult. Minutius Felix Octavio, Lactantius Institut. II. 8. *Livin*. De victo Perse fabulam habes apud Cic. de Nat. Deorum lib. II. Plutarchum Paulo Æmil. Symmachum Epist. I. 89. Lactantium, et alios. *Scheffer*.

Adnixam] Ita omnes. Mens habet *adnisam*, et mox *divini fervoris operam*. Scheffer. *Confessam* est certam, manifestam. Schulting. ad Senec. Controv. lib. V. p. 304. Burm. ad Phædr. IV. 25. 28. cum Pric. ad Apul. lib. II. p. 66. *Arntz*.

§ 5 *Æstimandum*] Ita pro ratione illius seculi pro *existimandum*. Pluribus egimus ad Victor. Cæs. c. 27. supra XXVII. § 3. Coler. Parerg. Jur.

c. 20. et præcipue in hoc loco notavit Scheff. ad Phædr. III. 4. 5. *Idem.*

Talaribus] Qualibus alias Mercurium uti fabulantur. Istiusmodi hic enim intelligit, alata scilicet, de quibus Virgilius Æn. IV. Fulgent. Mytholog. lib. I. 'Mercurium dicunt pennatis talaribus præditum,' &c. Alias talaria calcei ad talos pertinentes, si Isidoro fidem adhibemus. *Scheffer.* Quod dicat *suspensos*, pertinet ad aves leni delapsu descendentes. Conferatur Virgil. Æn. IV. 235. ubi otium nobis fecerunt V. docti. *Arntz.*

Dedignantur fateri] Sic supra cap. XXI. 'Quod creber egressu exspectantibus populis te fateris.' *Putean.*

Dubitavimus] Leg. *dubitabimus. Fateri*, id est, ostendere. Non multo aliter quam ut supra notabamus de eodem hoc verbo. Sic infra, 'ac se confessa mors fuerit.' Nazar. Paneg. 'Confessus est se inconsultior dolor, nec timuit deprehendi.' *Acidal.* Ms. habet *dubitabimus:* recte. *Schwarzius.* Livin. in margine adposuit: 'forte, *dubitabimus.*' Arntz.

CAP. XL. § 1 *Auguste*] Vulgo nempe et ex ingenio humano. Longe quippe opinionem hominum vulgarem, circumspectionem, prudentiam, fortuna heroum supergreditur. Adeo ut cum omnia diligentissime munieris adversus eam, non alibi viam ad incepta peragenda promtius faciliusque inveniat, quam uti maxime teneri videtur. Habebat Maximus exercitum numerosum, occupaverat Alpes, claustra montium tenebat. Interim Theodosius ex Oriente adest prius, quam ille profectum audiverat. Fatigato milite superat flumen, superat copias hostiles, urbes ei sponte se dedunt, aperiuntur claustra, Maximus ipse a suis deseritur. Quid hic non contra vulgi aut ingenium aut opinionem? *Scheff.* Ridicule Guelf. et al. *augustum*, quasi omnia Panegyrici verba componenda essent ad augusta nomina Imperatoris, cujus laudes susceperat orator. Is tamen lapsus est frequens librariis. Cf. not. ad Livium v. 41. Celebris tamen est iste honor, cum Cæsaribus et Augustis, quibus singularem fortunam tribuerunt: unde apparet illud nomen sæpius in Imperatorum nummis. Birag. Numism. p. m. 108. Diximus de h. l. ad Vict. Cæs. XLII. 18. *Arntzenius.*

Feriatoque ferro] Durior videri posset loquendi ratio, cum 'feriæ' proprie pertineant ad res animatas. Barth. ad Stat. Silv. I. 6. 2. Male aberrat Guelferb. cum, pro *prælium*, scribat *prælio*, quasi pertineret ad præcedens *ferro*, cum per se clarum sit respicere *triumphum*. Idem.

§ 2 *Ut non possint*] Ita enim nil egisset laude magni ducis dignum. Quemadmodum nec Timothei gloriæ datum ab Atheniensibus quod gessit, quia credebant Fortunam bene gestarum ab ipso rerum esse caussam, ipsum vero nullius. Ælianus XIII. 43. Observa verbum *imputare* simili modo usurpatum, ut superius. *Scheff.*

Tantum fortunam] Si fingamus, Fortunam pro se coram judice dicere. *Cellar.* Hic locus optime illustrari poterit a Ciceron. pro Marcell. c. 2. 'Fortuna in istius se societatem gloriæ obfert,' &c. Respicit ad opinionem seu potius adulationem, Principes largiri fortunam suis belli ducibus. Multus in hac re est Barthius ad Statium Theb. II. 197. Nec solum talis fortuna adscribitur uni homini, verum etiam integris gentibus, unde a Romanis scriptoribus celebratur 'Fortuna Populi Romani.' Wass. ad Sallust. Catil. cap. 43. Dukerus ad Flor. III. 18. 12. Drakenb. ad Livium VI. 30. plura olim diximus ad Victor. Cæs. XLII. 17. *Arntz.*

Prolixe] Vid. Pric. ad Apul. lib. X. pag. 637. Symmach. Epist. VI. 48. 'Prolixe scribere.' Nazar. Paneg.

Constant. cap. XI. Porro orationem invertit Guelf. *enumerabit suam operam*, minus eleganter. *Idem*.

Sibi aliquam] Cod. Ms. legit *aliqua*. Schwarz. Cod. Schwarz. adsentitur cod. Guelf. quod melius videtur satisfacere præcedenti *multa*. Idem.

Quæ vicerit] F. *quum sit quæ vincet, tua*. Acidal. Veteres, *cum sint, quæ vinceret, tua*. Lege ex meo codice, *cum sit, quæ vicerit, tua*. Sensus est: Audiamus disputantes inter se Fortunam virtutesque tuas, quia nil nocebit, quæcunque pars vicerit. Tua enim ea pars est. Virtutes tuæ, Fortuna tua. Sive hæc, sive illæ vincent, gloriosum tibi erit. *Scheffer*. Utra pars, fortuna an virtus, in contentione vincat, tua illa est. *Vicerit* in vet. cod. Schefferi; bene: vulgo *viceris*. Cellar.

Audio] Hic apparet stilus Panegyristarum, qui proxime ad poëtas accedunt. Hanc loquendi rationem pluribus illustravit Bentl. ad Horat. Od. II. 1. 21. 'Audire magnos jam videor duces.' *Arntz*.

Patientiam] Minus descendere possum in scripturam cod. Guelf. reponentis *patriam*: quod quidem alia in re convenientius esset, sed cum 'gravi tempore anni,' quod sequitur, minus convenit. *Arntz*.

Semper armata] Aut *arma* muta, si *jejunia* retines; aut *jejuna*, si *armata*. Acidal. Scribo *semper arma*. Meursius Auctar. Philolog. cap. 30. *Tempus anni grave* est illud tempus, quod noxium est corporibus. Grang. ad Juvenal. Sat. I. 24. et Burman. ad Ovid. Art. II. 231. Pro *sæpe* Guelf. *semper*, quod male imitatum videtur ex præcedenti. *Arntz*.

Tenere Prudentiam] Supra: 'Tunc copias tuas trifariam dividis, ut et hostis audaciam multiplicato terrore percelleres, et fugam circumfusus ambires.' Proxime *tenere* nihili et ineptum ad sententiam. Corrigebam *referre*, litteris qua inversis, qua leviter et in vicinas commutatis. Tu, mi lector, si melius quid habes, imperti. *Livin*. Corruptum. An *recensere?* Longius abit. *Tinnire* non audeam, neque etiam *tendere*, ut Terent. Eunuch. 'Miles tendere.' An tamen *tenere* est dicere? ut Nazar. Paneg. 'Neque enim in hoc veri interpolatrix tenenda.' Illud vero ibi tueare, censere, ut mox ibidem: 'conjectura mentium tenebamus; etsi nondum ad fidem patebat oculorum.' Et ibidem mox, 'Ut jam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus.' *Acidalius*. Ita omnes, etiam meus. Livineius corrigit *referre*, Acidalius *recensere, tendere*. Mox exponit per 'censere.' Puto idem esse ac 'argumentis evincere.' Cicer. in Verr. VII. 'Neque solum argumentis, sed et certis testibus illius audacia tenebatur.' *Scheff*.

Cum hoste] Guelf. *hostibus*, sine ulla necessitate, cum ille singularis collective formetur pro *hostibus*. Late id docebit Drak. ad Livium V. 50. et passim alii. *Arntz*.

Quam fecimus] Geminum illi vulgato, *Sapientem sibi ipsum Fortunam moliri et fingere*. Livin. Constantiæ et Patientiæ, et Virtutum reliquarum hæc sunt verba. Illæ se auctores fortunæ Theodosianæ faciunt. Et profecto ipsummet sibi quemque fingere fortunam, dictum vetus est, Fabiique apud Livium XXII. 25. sententia: 'Bono Imperatori haud magni fortunam momenti esse, mentem rationemque dominari.' Negari tamen non potest, quin utique accidant, quæ providere ratione nulla, nullo superari consilio humano possunt. Hic fortuna opus, id est, singulari quadam benignitate Divina, quæ viros magnos, summis in republica negotiis gerendis destinatos, peculiari felicitate instruat, cœpta ipsorum promoveat, vel si lapsi fuerint, e mediis periculis modo singulari et incognito educat, denique sic cuncta

ipsorum cœpta administret, ut cum eventum videant, causas ipsi quoque scire nequeant. *Scheff.* *Ego*, quod sequitur, maluit omittere Guelf. cum tamen facere videatur ad energian loci, quare melius oportet retineri. De vi vero illius voculæ olim jam diximus ad Victor. Illustr. c. 58. post Broukh. ad Tibull. I. 4. 29. Cort. ad Sallust. Catil. LII. 24. *Arntz.*

Præpedivi] Causa fui, ut possent pro lubitu fugere. Heins. ad Ovid. Epist. XIV. 18. Drakenb. ad Livium XXXVIII. 1. *Idem.*

Cogebatis mori vivum, d.] Disting. *cogebatis mori, vivum dom. res.* Acidal.

Ista pars] Leg. *Ista pars imputat tyranni fugam, illa custodiam; resp. quæ utrique, &c.* Idem.

CAP. XLI. § 1 *Abjuras*] Sive potius, *abjures*, potentiali modo. *Idem.* *Abjurare* is dicitur, qui creditum negat, cum adfirmet jurejurando se aliquid accepisse. Cort. ad Sallust. Catil. XXV. 4. Barth. ad Statium Theb. VI. 151. Cicer. ad Attic. II. 1. *Arntz.*

Plus adeptus] Recte: illa enim volumus, quæ fieri posse videntur. At Fortuna ea etiam effecit, quæ fieri posse non videbantur, adeoque velle nemo poterat. *Scheff.*

§ 2 *Agedum*] Aperto errore Guelf. *agendum*, ut antique editi plures; minus recte. Præter ceteros vid. Drakenb. ad Liv. XXXIII. 47. Etenim *dum* in hoc dictionis genere etiam poni solet. Colv. ad Apul. Apolog. p. 250. Plaut. Trinumm. II. 2. 88. Et ita sæpius peccatum a librariis, ut *agedum* mutarent in *agendum*, quod jam notavit Drakenb. ad Livium VIII. 9. 3. *Arntz.*

Tota] Cum non penitus periisset. Barth. ad Stat. Theb. I. 81. V. D. ad Virg. Æn. I. 185. Cort. ad Sall. Jug. c. 13. Savaro ad Sidonium Ep. III. 2. 'Semianimis' dixit Justin. VI. 8. 2. et Tacitus Histor. III. 25. Aberrat Guelf. pro *ex* reponens *et*. Corrupte. Ad sententiam pertinet Senecæ locus Epist. XXV. p. m. 113. *Idem.*

§ 3 *Vel optasti*] Mallem hæc ita distinguere, *cæterum quando, quod factum est, vel optasti? ut se t.* Scheff.

Interitum nollet] Mutare, *vellet nec posset*, superiora ista suadeant: 'ut qui se non potuerit postea vel victus occidere.' Et: 'Si morerer, evaseram: sed ecce nec animum sequitur manus, nec manum gladius: labitur ferrum, tremit dextera, mens fatiscit.' Dissuadent sequentia omnia, quæ huc eunt, ut noluisse eum dicant, cum tamen maxime licuerit. *Acidal.* *Ipse* non agnoscit Guelf. culpa librarii, qui non ferebat casu differre *ipse* a *tibi*, quod elegantius, ut diximus ad Plin. Paneg. XCI. § 6. Drakenb. ad Liv. II. 19. 5. *Arntz.*

Lux amori] Seneca Epist. 82. 'Sui amor est, et permanendi conservandique se insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis.' Euripides in Oreste: Πᾶς ἀνὴρ κἂν δοῦλος ᾖ τις, ἥδεται τὸ φῶς ὁρῶν· Πᾶσιν γὰρ οἰκτρὸν ἡ φίλη ψυχὴ βροτοῖς. *Unusquisque, etsi fuerit servus, lucis aspectu gaudet; mortalibus enim cunctis anima chara misericordiam movet.* Adde quæ notamus ad c. XXXVIII. *Scheff.*

Interitus horrori] Guelf. *honori*, quo modo passim aberrarunt librarii. Vt ad Plin. Paneg. LVI. § 5. Sed per se clarum nihil mutandum esse, cum *horror* dicatur de metu mortis et omni graviori timore. Juvenal. Sat. III. 7. Senec. Herc. Œt. vs. 1206. 'Non Lethæos horreat amnes.' 'Horrida mors,' ibid. vs. 1948. Ad eum modum Cato Distich. I. 22. 'Ne timeas illam, quæ vitæ est ultima finis.' Ita capienda illa 'horrida virga' apud Horat. Od. I. 24. 16. Sequentia pari sententia exponit Senec. Epist. 30. 'Mors admota et imperitis animum dedit non vitandi inevitabilia.' *Arntz.*

Ultima] Vitandi ominis causa ita dicebant tempus mortis. Ovid. Ibide vs. 195. 'supremus dies:' ita Sueton.

August. xcix. § 1. Burm. ad Calpurn. Ecl. iii. 91. *Idem.*

Confessa mors] Est mors certa, indubitata. Virgil. Æn. ii. 590. Burm. ad Phædr. iv. 25. 22. Barth. ad Calpurn. Ecl. i. 55. Ratio loquendi ex jure petita, cum adsit manifesta reorum probatio, de qua Savar. ad Sidon. Epist. i. 7. Symmach. Epist. iii. 15. 'Quis pudor est vinci post confessionem?' Plaut. Trucul. ii. 7. 57. 'Confessus omnibus reus.' Et tales in jure pro condemnatis habentur. Savaro ad Sidon. Epist. i. 7. Schulting. ad Senec. Controv. 33. pag. 304. ubi huic loco lux adfunditur. Comment. ad Pauli Sentent. lib. v. Tit. v. § 2. Pric. ad Apul. Met. ii. p. 66. *Idem.*

Certa sunt] Mortem intelligit, quæ ultima rerum linea, ut infra: 'Certo extremorum levior videri debuit voluntarius quam coactus interitus.' Franc. Balduinus temere *externa* edidit. *Livin.* Leg. *sint.* Alias integra hæc videatur et generalis sententia, distinguenda a reliquis verbis, quibus tamen ad sensum perfectum quædam deerunt. *Acidal.* Durissimum mortis genus intelligit, et dirissimum exitium. Barth. ad Stat. Theb. i. 475. 'Ultimam pœnam' dixit Sueton. Cæs. xiv. § 1. Senec. de Ira i. 5. fine et iii. 43. Adde Colvium ad Apul. lib. vii. p. 88. Cort. ad Plin. Epist. ii. 11. 8. Drakenb. ad Livium ix. 16. Ceteroquin 'supplicium summum,' quia ultra mortem sævire non æquum est. Cort. ad Sallust. Catil. li. § 39. *Arntzenius.*

§ 4 *Postea adtonitus stupor*] Cod. Ms. pro *postea* refert *pœna.* Sic forte legendum, *pœna attonitis stupor.* Schwarz.

Fortius paciscentes] Tertullian. in Apologet. cap. ult. 'Omitto eos, qui cum gladio proprio, vel alio genere mortis, mitiore de laude pepigerunt.' *Putean.* *Fortunis*] Præclare *fortius pac.* Sed audi fabulam et ride. Ascripserat margini Rhenanus *vel fortunis.* Is in contextum idem, quem proxime dixi, admisit. Hominem credulum! Ego vero utrumque res suas sibi habere jubeo, et mecum cuicumque cor salit. *Livin.* Al. *fatis* vel *fortunis.* Neque id recte. Forte *fatis fortuitis*, id est, incerta et ambigua morte. *Acidal.* Puto respicere Catonem et id genus, qui cum difficulter crederent, se cum dignitate victuros, mortem sibi ipsis intulerunt. Id enim viri fortis esse putabatur. Vulteius ad suos, monens ut captivitatem imminentem morte voluntaria effugerent: 'Non gloria leti Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.' Lucanus iv. 479. Igitur frustra lectio vetus, in qua pro *fortius* habebatur *fortunis*, ex quo Acidalius faciebat *fortuitis.* Scheff. Corrupte *parentes* Guelf. Alterum rectius. Barth. ad Statium Theb. i. 319. et Gud. ad Phædr. i. 8. Eo pertinet Claudian. Cons. Olybr. vs. 29. 'Veteris quis facta Probini Nesciat?' *Arntz.*

Motus heriles] Suspectum. An *metus?* Acidal. Suspectum Acidalio est *motus*, emendatque *metus.* Ego rectum puto. *Motus* enim hic est *ira.* Scheff. Hæc ita confundi solent. Cort. ad Sallust. Catil. xlii. 1. Burm. ad Petron. c. 13. Drakenb. ad Livium vi. 8. Et cum dicat *verbera*, respicit fortasse ad dominos, qui pro telis in aciem adtulerant *verbera*, pœnam utpote servorum. Not. ad Justin. ii. 5. 6. et Schulting. ad Senec. Suasor. vi. p. 44. *Arntz.*

Ultra spem] Perspicue rectum *ultra spem*, hoc est, nulla reliqua spe. Pulchre Seneca Troad. vs. 425. 'Miserrimum est timere, cum speres nihil.' *Livin.* Non assequor ulla cogitatione hoc acumen, quod est et forte nullum. An legendum potius? *Quis unquam ultro semet timuit?* scilicet ut noluerit a semet ipso occidi, quod subjicitur. *Acidal.* Nemo. Quid est enim ultra spem? desperatio. Ubi

vero desperatio, ibi non amplius est timor. Consule Senecam de Ira c. 18. Livium II. 47. Justin. xx. 3. Et hoc acumen sententiæ, quam se non assequi Acidalius ulla cogitatione fatetur, ideoque *quis unquam ultro semet timuit*, scribendum putat. *Scheffer.* Nemo. Ultra spem enim desperatio est, quæ nihil timet, sed caussa est sæpe spei novæ. Curt. v. 4. 31. *Cellar.* *Ultra* non debuerat tentare Acidalius. Est enim elegantioris usus. Senec. Herc. Fur. vs. 93. 'Ultra nocentum exsilia.' Vell. Paterc. II. 68. 3. 'Ultra fortem temerarius.' Et 'ultra fidem' de ea re, quæ vix potest credi. V. D. ad Val. Max. III. 2. ex. 24. Justin. II. 6. 1. 'Ultra gesti fidem patrata sunt.' Tacit. Histor. II. 114. 'Ultra feminam ferox.' Gronov. ad Senec. de Benef. VI. 32. Barth. ad Stat. Silv. I. 1. 20. Drak. ad Livium VIII. 23. *Arntz.*

§ 5 *Occidere noluit*] Multi sane, satisque cordati, e quibus et Darius: qui sic apud Curtium v. 12. 'Forsitan mireris quod vitam non finiam: alieno scelere, quam meo mori malo.' Sed et Libonem Drusum reum, suppliciumque imminere sibi scientem, ideoque interficere se deliberantem Scribonia sic affatur apud Senec. Epist. 70. 'Quid te delectat alienum negotium gerere?' *Scheff.* Ms. habet *voluit.* Schwarz. Respicit nempe ad nefandum crimen, cum quis malis pressus, et calamitatibus cedens, ut iis eriperetur, mallet se ipse interficere. Id prætulerunt desperati; adest exemplum in Catone, cujus igitur 'nobile letum' dixit Horat. Od. I. 36. 36. ubi Comment. Salden. Ot. Theol. Exercit. II. 3. 3. et 9. Barth. ad Statium Theb. XI. 704. Nec dubitavit scribere Florus IV. 4. 70. eam 'mortem sapienti dignam' fuisse. Contra pusilli esse animi melius docuerunt alii, quos vide apud V. D. ad Augustin. de Civit. Dei I. 22. et Rupert. ad Flor. d. l. *Arntz.*

Quam publicata] Melius *publica.* Acidal.

Vulnus onerare] Dubito de hoc verbo: forte scripserat *urgere.* Senec. de Ira III. 3. 'Instare ferro et tela corpore urgere.' Sed *onerare* omnes habent. Igitur magis est ut vitium in nomine præcedente existimem. Certe in meo, pro *vulnus*, est *ultius*, vel *ulcius*, aut quid simile, quod non assequor. *Scheff.* Fluctuat hic valde Clarissimus Schefferus, nec satis capit, quid sibi velit *corpore vulnus onerare.* Mihi illi hoc facere videntur, qui ut ante dixit, ferro incumbunt, qui se dum ipsi occidunt, inclinando corpus in ensem, onus quasi vulneri vel gladio, quo vulnus infligitur, cujusque capulus in terra positus, imponunt; et ut eleganter æque Seneca loquitur, 'instant ferro et tela corpore urgent.' *Cuperus* ad Heinsium tom. II. Syll. Burm. p. 728. Nihil tentandum, cum hæc scriptura eloquentior videatur, et ex rei natura, cum superincumbens corpus vulnus altius adigat. Lucan. III. 725. 'Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.' *Totum interitum;* dixit supra § 2. 'tota morte.' *Arntz.*

Fortasse non unam] Ita enim consuevit, pœnæ majoris ac supplicii caussa. Sueton. de Calig. cap. 30. 'Non temere in quemquam, nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque jam præcepto, ita feri, ut se mori sentiant.' Quanquam et carnificum ipsorum ista fuerit crudelitas nonnunquam. Igitur pecunia emptum legimus, ut uno ictu caput amputarent. Cicero in Verr. v. ex persona lictoris Sestii: 'Quid? ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur, ne sæpius feriatur, ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu spiritus auferatur.' Et mox: 'Atque ipse etiam adolescens cum Sestio de eadem plaga, et de uno illo ictu loquebatur, idque postremum

parentes suos liberi orabant, ut levandi cruciatus sui gratia lictori pecunia daretur.' Porro in meo ista inseruntur: *plagam expectare, fortassis n. u.* Quam lectionem valde probo. Vult enim, tarditatem negotii singularum partium minuta expositione demonstrare. *Scheff.* Ms. *cervicem extendere, plagam accipere, fortasse non unam.* Schwarz.

Cap. xlii. § 1 *Et tamen quando*] Interrogatione efferenda hæc. *Quando* his scriptoribus sæpe sic usurpatum vi 'quomodo' vel 'quia.' *Acid.* Guelf. *transgrediendum.* Non audiendus. 'Transigere' ex jure petitum verbum notat controversias quascumque etiam dirimere et decidere. Schulting. ad ff. de transaction. th. 2. Florus iv. 7. 13. 'Transactum de partibus ratus.' Drakenb. ad Livium ix. 18. 11. *Arntz.*

Laminas] De his Cicero Verr. v. 'Quid cum ignes, candentesque laminæ ceterique cruciatus admovebantur?' Prudentius: 'Nec sic inusta laminis ardet cutis, Ut febris atro felle venas exedit.' *Scheff.*

Culleum] Quo insuebantur parricidæ. V. Senecam de Ira i. 16. et Demsterum ad Rosini viii. 24. Facit porro hujus mentionem quia Principem, id est, publicum parentem interfecit. *Idem.* Ms. habet *eculeum.* Schwarzius. Guelf. quoque *eculeum.* Sed *equuleus* non pœna erat, at potius ipsam pœnam, ut sontes sua scelera aperirent, præcedere solebat. Not. ad Ciceron. pro Deiotar. c. 1. Turneb. Advers. xv. 16. nec negligendus Weitz. ad Prudent. Hymno Perist. ii. 110. Ex aggeratione pœnarum, quas junxit hoc loco, præfero *culleum.* Sueton. August. c. xxxii. 2. 'Reum, ne culleo insueretur.' Notæ ad Dositheum Sentent. Hadr. lib. iii. pag. 875. et inprimis Ampl. Otto Præfat. ad tom. iv. Thes. Jur. p. 8. *Arntz.*

Præsumere] Votis ante exspectare, quam tale gaudium eveniret, quod votis vix potuisset cogitare. V. D. ad Nemesian. Cyneg. vs. 78. Eo modo 'præsumere spem' apud Tacitum Histor. iii. 46. V. D. ad Lucan. vi. 759. Symmach. Epist. viii. 6. 'Præsumo reddendum, si modo ipse plenus spei lætis cogitationibus eluctéris adversa.' *Idem.*

Habuit rationem] Nam Fortuna bonum malumve, quod venit citra rationis auxilium: ut definiunt Pythagoræi. Anaximenes apud Stobæum Eclog. Eth. lib. ii. Τὸ δυσλόγιστον τοῦ βίου τοῖς ἀνθρώποις, τύχην προσαγορεύειν εἰώθαμεν· εἰ γὰρ ταῖς γνώμαις πάντα κατώρθωται, ὀνόματα τύχης οὐκ ἂν εἴη. *Quod in humana vita ratione caret, fortunam solemus appellare. Si enim consilio cuncta gererentur, fortunæ nomen haud extaret.* Scheff.

Percussit] Hæc verba partim absunt in editione Balduini, partim etiam corrupta exstant. *Juretus.* Acidalius *repressit.* Forte *perculit*, h. e. terrefecit. *Scheffer.* Exponerem per effecit, quo minus animum sequeretur manus: quo modo hoc verbum de animo accipi docet Burm. ad Ovid. Met. iv. 137. Manut. ad Ciceron. Fam. ix. 24. Barth. ad Statium Theb. v. 831. Petron. Sat. cap. 111. Cort. ad Sallust. Catil. vi. 5. Confirmatur id ex sequenti *tenuit*, quod idem erit ac retinuit, et ita inpedivit, ut propositum suum non posset perficere. Marckland. ad Statium Silv. ii. 1. 120. Lucan. vi. 301. 'Dux tenuit gladios.' *Arntz.*

§ 3 *Diris*] Fingebant enim veteres injuria occisorum, et nondum vindicatorum umbras interfectores suos persequi et exagitare, et ultionem ab iis repetere. V. Sueton. Nerone cap. xlvi. Cicer. pro Roscio. *Schefferus.* Cod. Ms. pro *diris*, habet *furiis*, pro *minax*, *minis.* Quæ posterior vox placet; nisi legi debeat *irata minaxque umbra.* Schwarz. Guelf. *furiis.* 'Diræ' ultrices scelerum, quæ alio

nomine 'Furiæ' dicuntur. Servius ad Virg. Æn. VIII. 701. Valer. Flacc. V. 446. 'Ultrices spectant a limine diræ.' Notæ ad Victor. Epit. c. 21. Mox, pro *minax*, Guelf. *minis*. Arntz.

Tædas] Describitur ita ornatus Furiarum, quæ ad terrorem movendum facibus armatæ depinguntur, cum innexos haberent serpentes crinibus. Barth. ad Statium Theb. I. 90. Flor. I. 12. 7. Broukh. ad Tibull. I. 3. 69. Senec. Herc. Fur. vs. 86. 'Adsint ab imo Tartari fundo excitæ Eumenides: ignem flammeæ spargant comæ, Viperea sævæ verbera incutiant manus.' Periz. ad Ælian. Var. IX. 29. Per *tædas* igitur intelligit, quibus furibundos in rabiem incendebant, hæ scelerum omnium artifices. V. Barth. ad Claudian. in Rufin. I. 49. *Idem*.

Torto angue] Abit a vera manu Panegyristæ Guelf. cum *certo* rescripserit. Ne dubitemus facit Senec. Herc. Œt. vs. 1003. ubi de Furiis: 'Quænam ista torquens angue vipereo comam?' Martial. VII. 73. 'Aurea cui torto virga dracone viret.' Propius Val. Flacc. VIII. 20. 'Velut torto Furiarum ejecta flagello.' V. D. in Miscell. Brittannic. A. 1731. Septembr. p. 671. Pro *flagra* scribit *flagella* Barth. ad Claudian. IV. Cons. Honor. vs. 85. *Idem*.

Acciperet] L. *aspiceret*, ut supra prope initium. *Acidal.* In nonnullis olim editis est *vultus olim tuus*, ut anni 1476. Rhen. aliique. Errore non novo. *Arntz*.

Et deberes Maximo] Pulcre. Nempe vir bonus magnusque illibenter tyranno debet beneficium. Cato apud Plutarchum: 'Si incolumitatem habere Cæsaris beneficio vellem, ipsi erat ad eum soli eundum; sed noto tyranno habere de ipsius flagitiis gratiam.' *Scheffer*. 'Debere' hac notione erit munerum aliquid accipere. Ovid. Epist. Heroid. VIII. 119. Phædrus I. 17. 6. Spartian. Hadr. cap. 9. *Arntz*.

CAP. XLIII. § 1 *Ordinata*] Ut legitime perageretur. Senec Thyest. vs. 715. 'Sævum scelus Juvat ordinare.' Senec. Epist. 10. 'Malas cupiditates ordinant.' Burman. Obs. Miscell. A. 1737. p. 387. Notæ ad Val. Max. IX. 1. ext. 2. Drakenb. ad Livium XXIV. 48. 7. *Arntz*.

§ 2 *Diadema decutitur*] Prosper in Chronico Theodosio II. et Cyneg. cap. 55. 'Maximus tyrannus a Valentiniano et Theodosio Imperat. in tertio ab Aquileia lapide spoliatus indumentis regiis sistitur, et capite damnatur.' *Scheffer*. Cod. Ms. *capiti diadema deducitur*. Schwarz. Scilicet diadema erat insigne regiæ potestatis, quare 'notam regiæ frontis' dixit Senec. Thyest. vs. 346. Vell. II. 122. 3. Ælian. Var. XII. 17. Florus IV. 11. 3. 'Diadema aderat, ut regina rex ipse frueretur.' Tacit. Annal. XV. cum Eginhardo Vita Car. cap. 28. Fuit deinde decus Augustorum. Pluribus Spanhem. de Usu Numism. Diss. XII. p. m. 385. Pro *decutitur*, Guelf. *deducitur*. Alterum fortius. *Arntz*.

Pedibus ornatus] Qui ex auro gemmisque fuit. Noster infra cap. XLV. 'Quisque aurum gemmasque privatis pedibus aptabit.' Intelligit autem calceos Imperatorios sic ornatos. Curopalates de Off. Constant. 'Est et calceamentorum genus, quæ dicuntur tzaggia, habentia ad latus secundum suras et in tarsis aquilas ex lapillis et margaritis, quæ fert etiam Imperator ad ambulationes.' *Scheffer*.

Aptatur ad interitum] Ita omnes Mens *ad meritum*. Expende quæ præcedunt et sequuntur, forsan rectum judicabis. *Idem*. Cod. Ms. *totus denique homo aptatur ad meritum. Reipublicæ publicus spoliator exuitur*. Schwarz. Quod ex suo cod. Schwarzius præfert *ad meritum*, id videtur admitti posse sine justa reprehensione, præsertim accedente Guelferb.

Hunc enim vocem tam pejori notione quam benigniori accipi notum. Donsa ad Tibull. Præcid. cap. 7. Terent. Heaut. I. 1. 31. Sed parum interest. 'Evellitur' idem est quod per vim detrahitur, cum 'evellere' vim adhibitam notet. Drakenb. ad Livium XXXIII. 5. Senec. Œd. vs. 592. *Arntzenius.*

§ 3 *Exuitur*] Prosper Chronico Theodosio II. et Cynegio Coss. 'Maximus tyrannus a Valentiniano et Theodosio Imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide spoliatus indumentis regiis sistitur, et capite damnatur.' *Cellar.*

Manus rapaces] Aut *rapaci* muta, aut *fugitiva*, et hoc potius. *Acidal.*

Captum] *Captivum* præfert Barthius ad Claud. Cons. Honor. IV. vs. 84. et, pro *nudantur*, scribendum judicavit *nodantur*, quomodo et correxit Delrio ad Senec. Hippol. vs. 36. Sed ego nullam caussam video, cur quidquam tentemus. Etenim certum est damnatos ad pœnam ductos esse exutis vestimentis. Senec. de Ira I. 16. 'Sua vestimenta scindentem, quia tardius scindebantur aliena.' Pric. et alii ad Act. Apost. XVI. 22. *Arntz.*

§ 4 *Venire voluisses*] Boni enim clementesque principes etiam juste damnatos cernere non sustinent: hocque ipso monstrant, quanto gratius sit ipsis non peccare, quam cum peccatum est, punire. Noster capite sequenti ad Theodos. 'Quod noluisti videre non audis.' *Scheffer.* Quod legitur *funebris* corrupte protulit Guelf. per *funeris.* Cavebant autem diligenter, ne mortuorum conspectus temeraret, et funestaret oculos viventium, cum ita se pollui crederent. V. Barth. ad Stat. Theb. IV. 510. *Arntz.*

Insimulatore noluisses] Leg. *voluisses*, aut *si*, non *nisi*, scribe eodem sensu, sed obscuriore, nec locutione tam usitata. *Acidal.* Edidimus *voluisses*, cum alii habeant *noluisses.* V. Rittershus. ad Gunther. Ligurino X. 171. Confusione usitatissima, de qua vide ad Plin. Paneg. XXXVI. § 5. et alios apud Drakenb. ad Livium XXXIX. 15. 11. *Arntz.*

Habet vires] Nihil huc facit *vires.* F. *vero:* immo l. *habet mens, habet nes. &c.* ut vocem *mens* repetat, item ut verbum *habet*, quod elegantissimum. *Acidal.* Ita vulgo. Acidalius vult, *habet mens, habet, &c.* In meo pro *vires* est *utres*, vel *veres:* forte scripsit *acres*, id est, *acerbos*, *duros*, vel potius *veros.* Nam in aliquibus scriptis legitur *hic vero.* Nec discedit *mutum* quod in meo est. De re ipsa vide Lipsium Polic. I. 5. *Scheff.* Cod. Ms. pro *insimulatore*, profert *insimulabare*, et pro *vires*, recte habet *vero.* Schwarzius. Guelf. *habet vero*, quod rectius puto ex consensu codd. eum insit quædam acrior vis. V. Stephan. Schediasm. II. 23. Drak. ad Livium XXXVI. 7. 1. *Arntz.*

Omni severius quæstione] Quæstionem hic intelligit, quæ fit per tormenta. Cicero pro Cluentio, 'Sascia habere quæstionem e viri morte constituit.' *Scheffer.* Et ita passim: Cicer. pro Milon. c. 7. Justin. XII. 5. 2. 'De utroque prius quæstionibus habitis.' Budæus ad ff. pag. 36. *Arntz.*

A te interrogari] Qui præsens arguere mendacium poteras. Nihil enim animum mendacis plus percellit, quam si eum videat, qui re ipsa vincere mendacium potest. *Scheffer.* Potius referrem ad dignitatem oris et majestatem, quibus reus percellebatur. Not. ad Plin. Panegyr. c. IV. fin. *Arntz.*

§ 5 *Mussitare*] 'Mussare' dicebant antiqui, palam queri. Serv. ad Virg. Æn. XII. 657. a simplici 'mutire,' ut apud Phædr. IV. 25. 34. Savaro ad Sidon. Epist. VII. 9. Schult. ad Senec. Controv. XXXIII. p. 304. V. D. ad Plinium III. 11. 2. V. D. ad Livium VII. 15. 1. Lucret. VI. 1177.

'Mussabat tacito medicina timore.' Juvenc. III. 23. 'Hæc inter sese mussanti voce susurrant.' Incerti Panegyr. Constantin. c. II. 'Tacite mussitantibus.' Addendus Barth. ad Statium Theb. III. 92. et V. D. ad Livium XXXIII. 31. 1. *Idem.*

Nudaret] A nuditate corporis, ubi omnes partes conspici possunt, loquendi ratio petita, ut 'consilium nudare' notet, illud aperire, palam facere. Curt. VII. 4. 4. 'Non antea consilia nudare.' Not. ad Livium XXXIII. 22. 8. *Idem.*

Auctoramenti] Non hæc assequor, ac ne sana quidem sunt, opinor. In B. est, *nisi tui se auctoram. finxissent auct.* meo animo, partim ad verum propius. Quod eruebam sub manu, *nisi sui te auctoram. finxisset auct. Sui*, inquam, et *finxisset*, non *tui* et *finxissent*. De Maximo sermo, qui apud militem se ut a Theodosio velut auctoratus ferebat. Estque auctoramentum hic αὐθεντία et imperium, pleneque ei geminum est, quod præcessit favoris. Adi quæ e Zosimo supra scripsimus ad hunc Panegyr. c. 30. *Livin.* Puto verum esse, *allicere mil. societatem, nisi te auctoramenti sui finxisset auctorem.* Rittershus. Locus minime liber a mendo, præsto legendum, *nisi auctoramenti sui te finxisset auctorem*, quod omnibus litteris visitur in editione Viennensi. *Gruter.* Livineius, *nisi sui te auctoram.* Rittershusius, *nisi te auctoramenti sui.* Gruterus, *nisi auctoramenti sui te.* Sermonem esse dicunt de Maximo, qui cum a Theodosio ab initio in fœdus esset susceptus, velut auctoratum, hoc est, in societatem imperii laborumque conductum se ferebat. In meo ita legitur, *Nisi auctoramenti tui te finxisset auctorem.* Forte scripsit *sese.* Certe *auctoramenti tui* omnes præferunt, non *sui.* Puto itaque jactasse Maximum, se Theodosium juvasse, se fuisse caussam ut a Gratiano in laborum partem ac imperii susciperetur. Sive quod in bello eum juverit adversus Thracas, sive quod in tanta illo tempore apud Gratianum fuerit auctoritate. Nam aperta historia hic nos credo destitui. Quanquam non negaverim, expositionem alteram magis quodammodo convenire iis, quæ de societate militum præmittuntur. *Scheff.* Nihil video, quod turbare posset V. D. cum indicet missionem a militia, adeoque milites solutos esse sacramento. Vide Turneb. Advers. II. 20. et Lips. Saturn. II. 5. Clarissime patet vera notio ex Seneca Epist. 37. 'Decipit, si quis tibi dixerit, mollem esse militiam et facilem. Nolo te decipi. Eadem honestissima hujus et illius turpissimi auctoramenti verba sunt, uri virgis ferroque necari.' Brisson. de Formul. lib. VIII. pag. 734. Schulting. ad Collat. Leg. Mosaicar. et Romanar. tit. IV. § 3. *Arntz.*

CAP. XLIV. § 1 *Et post*] Interrogatio his addenda, sine qua frigent. *Acidal.*

In crucem] Durissima pœna, ut plurimum adhibita in servos. Cic. pro Deiotar. cap. 9. Justin. XVIII. 3. 18: ubi adde quæ V. D. adtulerunt. Etiam in extremæ nequitiæ homines adhibita, licet cives Romani essent. Cic. pro Rabir. c. 3. et seqq. Gataker. Adv. Postum. c. 45. cum Salden. Otiis Theolog. Exercit. III. 1. *Arntzen.*

In frusta] Vitio sine dubio aperto Guelf. *frustra*. Senec. Thyest. vs. 1060. 'In parva carpsi frusta.' Munck. ad Hyg. Fab. CLV. Sontes ita per omnia membra puniebantur; manus abscindebantur, ut apud Flor. III. 21. 26. Anton. Liber. c. 39. et ceteræ partes. Jun. Animad. V. 3. Pro *illam*, Guelf. scribit *illi*. *Radicitus* est, ut penitus evelleretur. Cic. pro Domo c. 13. Not. ad Flor. III. 12. 37. Ovid. Met. VI. 556. 'Comprensam forcipe linguam Abstulit ense fero: radix micat ultima linguæ.' Prudent. Perist.

Hymn. XIV. 891. 'Linguam priorem detrahat radicitus.' Columell. de R. R. IV. 33. 4. Plaut. Mostell. V. 1. 62. 'Malefaeta vestra reperi radicitus.' Cicer. de Orat. III. 1. 'Hæc tibi excidenda lingua est.' Ovid. Met. VI. 616. 'Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra pudorem Abstulerant, ferro rapiam.' *Arntz.*

Vitalium] Cor intelligit. Cor enim ex philosophia veterum cuncta comminiscitur, seu potius mens et animus, cujus sedes est in corde. Hinc illud Plauti Mostell. III. 1. fin. 'Huc concessero, Dum mihi senatum consilii in cor convoco.' *Scheffer.*

§ 2 *Dubitare*] Fuerat enim Theodosius mitissimus princeps, ut testatur Ambrosius in Oratione ejus funebri: ubi inter alia et ista: 'Beneficium se putabat accepisse Theodosius, cum rogaretur ignoscere, et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ.' Nempe, ut ait D. Nazianzenus Or. XXI. 'Ὁ μὲν κακὸς τάχιστα ἂν καταγνοίη καὶ τοῦ ἀγαθοῦ, ὁ ἀγαθὸς δὲ οὐδὲ τοῦ κακοῦ ῥᾳδίως. *Malus celerrime adducitur ut bonum etiam virum condemnet, contra vir probus ne malum quidem facile condemnaverit.* Idem. *Dejeceras oculos*, scil. præ pudore, ne tale quid videres. 'Dejicere' enim 'oculos' habebatur hominis pudentis, contra erectis oculis incedere hominis elati animi. Ovid. Epist. Her. IX. 125. 'Nec venit incultis captarum more capillis, Fortunam vultus fassa tegendo suos.' Amor. II. 4. 11. 'Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos.' *Arntz.*

Omnia potes] Plane ad eandem faciem dixit Eumenius Panegyr. ad Constant. cap. XX. 'Sed (ignosce dicto) non omnia potes. Dii te vindicant et invitum.' Ex qua collatione utriusque loci, quis non videt hoc loco legendum esse, *Dii te vindicant;* non autem, *tui te, &c.* Ritters. Similiter Eumenius Paneg. Constant. cap. XX. notante Rittershusio: 'Sed (ignosce dicto) non omnia potes.' Alludit ad vulgatam de principibus sententiam, ex qua dicebantur posse tantum, quantum vellent. Plinius in Paneg. cap. LXI. 'Felicitatis est, quantum velis, posse.' Apud Senecam de Clement. I. 1. Nero intra suum adhuc quinquennium constitutus: 'Ego vitæ necisque gentibus arbiter, qualem quisque sortem statumque habeat in mea manu positum.' *Scheffer.*

§ 3 *Averteris*] Damnanda scriptura in Guelf. *adverteris.* 'Avertere oculos, faciem,' &c. dicuntur, qui inviti aliquid audire, vel videre coguntur. Ovid. Met. XV. 586. 'Torvamque a mœnibus urbis Avertens faciem.' Val. Max. I. 5. ex. 6. 'Avertit oculos ab illis tectis.' Senec. Herc. Œt. vs. 261. 'Inmane, dirum, horribile, quo viso Hercules Avertat oculos.' Fulgent. Mythol. I. 26. 'Aversus volat, quod virtus terrorem nunquam adspicit.' *Arntzen.*

Gravaris] Ægre fers. 'Gravari' enim est aliquid invito animo audire vel facere. Ægre scilicet tulisse dicitur eam relationem, quæ ipsi odiosa videbatur. Pricæus ad Apul. lib. V. p. 264. Cort. ad Plin. Ep. III. 18. 6. V. D. ad Frontin. Strateg. III. 11. 2. ideo bene exponit hunc locum Drakenborch. ad Silium II. 598. Non hanc relationem ægre ferebat Imperator, verum avertendo vultu indicabat, se velle, ut hoc argumento discederet orator: quo pertinet geminatio particulæ, *jam jam*, quæ celeritatem indicat. Broukh. ad Tibull. I. 3. 78. Wass. ad Sallust. Jug. cap. 17. et opportune utitur, cum ea particula inserviat transitioni, ut bene docuit Græv. ad Justinum XLI. 5. 4. et quos adfert Drakenb. ad Livium V. 51. 6. Male corrigit Guelf. pro *securus* legens *severus*, quod ad hæc minime pertinet: cum *securus* potius dicatur de tali, qui nihil mali timet, et *securum* sit id, quod securum et

tranquillum faciat hominem. Broukh. ad Tibull. II. 1. 46. quo modo Lucanus II. 287. 'Virtus secura sequetur:' ut bene defendit Burman. sic 'secura mens' apud Senec. Hercul. Fur. 650. quare Deos 'securum ævum agere' dixit Horatius Sat. I. 5. 101. et 'secura vive' apud Senec. Agam. vs. 797. *Arntzen.*

§ 4 *Doctarum*] Ex voce *vates* per se sequitur, respicere ad poëtas, qui singulari honore præ ceteris ita dicti sunt. Horatius Sat. I. 9. 7. 'Noris nos, inquit, docti sumus.' Quomodo et additum epith. *pii vates*, quod proprium quasi poëtis, penes quos olim cura et cognitio religionis et cultus Deorum. Ovidius Trist. V. 3. 47. 'Consortes studii, pia turba, poëtæ.' *Idem.*

Perennitate] Poëtæ enim talem suis scriptis perennitatem promittere solebant. Superbius loquitur, et id tamen eventus confirmavit. Ovid. Met. XV. 871. 'Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.' Barth. ad Statium Theb. XII. 810. Eo pertinet Phædrus V. 5. 43. 'Chartis nomen victurum meis, Latinis dum manebit pretium litteris.' Virgil. Æn. IX. 446. 'Si quid mea carmina possunt, Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.' Et pari fiducia Horatius Od. III. 30. init. *Idem.*

Veniet æternitas] Hoc est: rei magnitudo faciet, ut æterna sint vestra opera, quibus alias res facere æternas vulgo soletis. *Scheffer.*

§ 5 *Anguipedum bella*] Gigantum intelligit, et illas oppugnationes Olympi. Ovid. Met. I. 183. 'Centum quisque parabat Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.' Adde Apollodorum Bibl. lib. I. ubi pariter de hujusmodi eorum pedibus testatur. *Idem.* Gigantum biformium. Vide ad Geneth. III. § 4. notata. Et Ovidius Met. I. 183. 'Qua centum quisque parabat, Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.' *Cellar.* Vid. Barth. ad Statium Theb. V. 506. et V. D. ad Hygin. Fab. 28. Pari compositione Apollod. Bibl. I. 6. 1. φολίδας δρακόντων dixit Senec. Med. vs. 772. 'Tibi hæc cruenta serta texuntur manu, Novena quæ serpens ligat: Tibi hæc, Typhœus, membra qui discors tulit:' et not. ad Val. Flacc. II. 28. *Arntz.*

Manus ducant] De operibus affabre factis. Plinius H. N. XXVIII. 9. 'In ære pellibusque colore aureo ducendis.' Tibull. I. 3. 47. 'Nec ensem Inmiti sævus duxerat arte faber.' Persius V. 40. 'Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.' Juvenal. XIII. 152. 'Bracteolam de Castore ducat.' Barth. ad Claud. lib. IV. de Laud. Stilicon. vs. 612. *Arntz.*

Fora] Loca sacra et celebria, ut facto et auctoritas accederet, si quæ posset, et crebrius frequentiusque cerneretur. Hæc enim caussa, cur in locis talibus erigi magnorum virorum statuas, magnarum virtutum simulacra et figuras pingi veteres voluerunt. *Scheffer.* Sueton. Cæs. c. 10. ubi Comment. *Arntz.*

In æra moveantur] Sic libri. Sensus apertior, *incidantur*. Cellar. Rudior ars statuaria olim fuit, postea vero non solum pedes manusque addiderunt, sed ita ad artem effinxerunt, ut vivere crederentur. Pric. ad Apul. lib. XI. p. 682. *Arntz.*

CAP. XLV. § 1 *Factum videri*] Faciunt, *Securitatem omnium, seculorumque, id fact.* Non apte. *Quod* muta *perpetuo*, vel *ubique id.* Mox quod alii *recensitis* verum, non quod in textu *recensitus*. Acidal. Conspici, lustrari oculis. Ideo enim vult in ærte ista, in picturis formari, ut ipsis oculis virtutem vulgus hauriat. Et profecto id quod ceteris sensibus percipit, breve ferme est, memoriamque ejus facile elabitur. At quod aspicit quotidie, id in mente altius recondit. Igitur non imprudenter illi, qui primi

statuarum honores in republica instituerunt. *Scheffer.* A seculi sui securitate inprimis gloriari voluerunt illi Imperatores, qui laborare se videri vellent pro seculi sui salute, unde de illa re sæpe jactant in nummismatibus suis, ut nummum talem exhibet Biragius in Nummism. Caracallæ p. 291. et 'securitas temporum' in Gallien. 377. Claudian. Cons. Honor. IV. vs. 99. 'Hinc secula discant Indomitum nihil esse pio, tutumve nocenti:' ubi plura Barthius pag. 571. De temporibus Trajani gloriatur Plinius in Paneg. L. 6. 'Tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos principalibus rebus existimet dignos; nos non timeamus, quod digni esse videmur.' *Arntzen.*

Hauriat] De aliis sensibus quoque adhibetur hoc verbum præter vulgatam notionem, ut apud Virgil. Æn. IV. vs. 359. 'Vocemque sub auribus hausi.' Donat. ad Terent. Hec. III. 3. 3. Ovid. Met. XV. 63. 'Quæ natura negabat Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.' Iterum Virgil. Æn. XII. 745. 'Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris, Exuviasque hausit.' Senec. Œdip. vs. 386. 'Voces aure non timida hauriam.' Cicer. pro M. Cœlio c. XXIV. 'Vidi enim, vidi, et dolorem hausi.' Ita 'haurire voluptates' dixit Tacitus Histor. III. 2. *Idem.*

§ 2 *Quisquis purpura*] Sic Basilius Imp. in exhortatione ad Leonem F. *Ἔστω γὰρ σοὶ στέφανος τῆς βασιλείας σύμβολον· ἀλλ' ἔστω καὶ δικαιοσύνη τῷ πράγματι σύνδρομος· πορφύρα δέ σε κοσμήσει, ἐὰν ἡ σωφροσύνη ταύτῃ συνεπαντήσει. Καὶ τῶν ποδῶν σε τὸ ἐρυθρὸν τιμήσει ὑπόδημα, ἐὰν αὐτοῖς τὴν φλόγα τοῦ πύρου καταπατήσεις. Ἐκεῖνα μὲν γὰρ πρὸς καιρόν σοι τὴν βασιλείαν χαρακτίζει· ταῦτα δὲ καὶ τῆς αἰωνίου κολάσεως ῥύσεκω, καὶ τὴν ἀθάνατόν σοι προξενῶ βασιλείαν. Putean.*

Optabit] Parvum est, quod monebo, sed tamen legendum, *quisquis aurum gemmasque privatis pedibus aptabit.* Alioqui vota libera sunt, regni insignia sibi aptare non item. *Modius*, Novant. Lection. Epist. LXXIX. Malim *aptabit.* Ritters. Ea enim luxuria veterum erat, ut calceos auro, et quandoque pretiosis lapidibus ornare ad reverentiam conciliandam solerent. Ne plura in re satis nota cumulem, vide Perizon. ad Ælian. Var. IX. 3. Porro Guelf. pro *optabit*, quod est in plerisque editis, scribit *aptabit*, et ita Barth. ad Claudian. in Rufin. II. vs. 446. Parum puto referre cum sententia eodem recidat. Cf. Drakenb. ad Silium XIII. 689. Tamen *optabit* retinui, cum in simplici voto substiterit orator. Id etiam fecit Cellarius, Gallicus Interpres, et cum eo numerandus Patarol. De pedibus vero tali ornatu instructis Seneca Hippol. vs. 822. ita loquitur. 'Crura distincto religavit auro, Luteo plantas cohibente socco.' *Arntz.*

Avulsum humeris] Manifeste a Virgilio sunt, qui de Priamo ait Æneid. II. 558. 'Jacet ingens littore truncus, Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.' *Livin.* Iterum poëtam allusit. *Acidal.* Bene sic agnoscimus legisse Virgil. Æn. II. 558. Ita quoque Ovidius Metam. III. 727. 'Avulsumque caput digitis complexa cruentis.' Senec. Thyest. vs. 1038. 'Abscissa cerno capita et avulsas manus:' ubi ex duobus codd. quos inspexi, rescriberem, 'abscisa.' Val. Max. I. 1. ex. 18. 'Manus inter fragmenta abscisæ:' ut edit. Torren. Statius Theb. IX. 264. 'Abscisæ redeunt in pectora dextræ.' Eumenius Panegyr. Constant. c. VI. 'Ab ultimis barbariæ litoribus avulsas.' *Sine nomine* debet Virgilio Æn. II. 551. 'Avulsumque humeris caput et sine nomine corpus.' *Sine nomine*, sine ulla dignitate, quæ cum ipso cadavere erat condita. Vid. Melam I. 19. Silius XII. 317. 'Coit sine nomine vul-

gus.' Et xv. 295. 'Exiguos habitat non ullo nomine muros.' Justinus xli. 1. 4. 'Vulgus sine nomine.' Nec dissimiliter Sallust. Catil. xx. 7. 'Ignobiles vulgus fuimus.' Florus iii. 16. 1. 'Hominem sine tribu, sine nomine.' Cf. Perizon. Origin. Babylon. c. 11. *Arntz.*

§ 3 *Ad geminam*] H. e. tuam nostramque. Tuam si tali exemplo deterritus nemo quidquam audeat adversum te; nostram, si cum nemo audeat, nemo etiam puniri debeat possitve, Maximi exemplo. *Scheff.*

§ 4 *Triumphalibus vestigiis*] Ita solent pingere victores, stratis ad terram hostibus, docent tabulæ, docent marmora, quæ etiam nunc extant. *Scheff.* Cur non potius referre liceret ad superbam victorum insolentiam qui hostes devictos inpositis pedibus premerent? Propert. i. 1. 4. 'Et caput inpositis pressus amor pedibus:' ubi Broukhus. Senec. Med. vs. 253. 'Superbo miserias calcem pede.' Et uberrime Barth. ad Statium Theb. ii. 713. 'Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans.' Et ad Claudian. Bell. Gild. vs. 257. Justinus xii. 16. 11. Audacius dixit 'calcatis numinibus' Apul. Met. ix. V. Pricæum in notis p. 507. De hoc more latius quoque consulendus erud. Elsnerus ad Act. Apost. ii. 32. *Arntz.*

Fictorum assequeretur] Leg. *assequetur.* Prioribus verbis respicit id, quod supra describebat: 'At quanto melius manus illa consuluit, quæ submissis precabunda vexillis petiit veniam necessitatis, et terram in osculis premens, calcanda vestigiis tuis corpora et arma projecit!' &c. *Acidal.* Guelf. *factorum*, sed ex additis *pictoribus* satis apertum est, ad hæc non respici. Ceteroquin addi posset illud Horatii Art. Poëtic. vs. 9. 'Pictoribus atque poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.' V. not. supr. c. xxxix. init. De hujus artis olim præstantia Statius Theb. v. 227. 'Heu similes perituro in corpore vultus Adspiciens, floremque genæ et quas finxerat auro Ipsa comas:' ubi Barth. Apul. de Mundo p. 72. Inde 'fictores' quoque et 'pictores' jungit Cicer. de N. D. i. 21. Sic Hyginus Fab. 142. 'Homines ex luto finxit.' Illud quod sequitur, *ducitur*, quoque artis est vocabulum. V. supra ad cap. xliv. fin. *Arntz.*

Nemo post bellum] Recte: sic enim oportebat fieri a victore justo, pio, clemente, maxime in victoria belli civilis. V. Grotium de J. B. et P. iii. 2. 13. Cicero Orat. pro M. Marcello c. 5. de Julio: 'Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ.' Et de eodem apud Suetonium c. 75. 'Nulli periisse, nisi in prælio reperiuntur.' 'Belli' vocem pro prælio etiam alii, ut hic, usurparunt. Sallustius: 'In eo bello, trecenti milites desiderati.' Florus i. 18. 'Actum erat, nisi elephanti conversi in spectaculum belli procurrissent.' *Scheffer. Bellum* pro prælio accipi docuerunt etiam alii. V. ad. Victor. Illustr. c. 54. et Epit. c. 47. Drakenb. ad Livium iii. 61. 2. quod Græciæ debet Latium, quæ eodem modo adhibebat πόλεμον. Raphel. ex Polyb. ad Epist. i. ad Corinth. xiv. 8. et ad Apocal. xii. 7. Cort. ad Sallust. Catil. ix. 4. *Arntz.*

§ 5 *Agmen infernum*] Sic puto appellare eos, et respicere, qui in funeribus Imperatorum interficere se cogebantur, ut ipsorum sanguine placarentur manes, Imperatorque non sine comitibus ad inferos veniret. Consule, quæ de ritu hoc notavit Kirchmannus de Funer. Rom. iii. 3. *Scheff.* Præclare hanc in rem Claudianus in Cons. Honor. iv. vs. 114. 'Paci non intulit iram. Post acies odiis idem, qui terminus armis:' ubi

Barthius. Calpurn. Ecl. I. 59. 'Insanos clementia condidit enses.' *Arntzenius.*

In belli piaculum] Consueverunt enim post prælia et cædes lustrare exercitum certo sacrificio, quod *piaculare* appellabant. Hinc Livius de Tullo I. 28. 'Metius Tullo devictos hostes gratulatur. Contra Tullus Metium benigne alloquitur: quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris jungere jubet; sacrificium lustrale in diem posterum parat.' *Scheff.* Ad placandos scilicet Deos, ut moris olim erat, reportata victoria Diis sacrificare et amicis suis munera mittere solebant. Dougtæus Anal. part. II. Exc. 5. Not. ad Flor. I. 12. 10. et larga manu Thomasin. de Donar. c. 19. *Arntz.*

§ 6 *Bona publicata*] Respicit victorias Sullanas, Marianas, Octavianas, de quibus consulendus est Florus. *Scheff.*

Adfectus nota] *Nemo nota, &c.* L. *N. a nota conv.* Faber. Superfluit unum, *nemo affectus nota.* Acidal. Confusa oratio, sed cui malo ita succurri posse putabam: *N. b. p. n. m. l. nullius præterita dignitas, nullius imminuta, nemo affectus nota, nemo convitio, aut d. c. p.* ut ex eo natus sit error, quod eædem voces iterandæ sæpius fuerunt, nisi placet, quod etiam relegenti emendationem meam non displicebat: *N. b. p. n. m. l. nullius præterea dignitas imminuta, nemo affectus nota, nemo c. a. d. c. p.* etsi ego illud malo. *Modius,* Novant. Lect. Epist. 79. Quod mox dicit *castigatione perstrictus,* eodem modo 'reprehensione perstrictus' dixit Symmach. Epist. X. 41. et ipse Cicero Attic. XVI. 11. 'Perstringam sine ulla contumelia:' et pro Balbo c. 14. 'Facinus perstrinxit.' *Arntz.*

§ 7 *Romam*] Leg. *Roma.* Ipsam alloquitur urbem. *Acidal.* Scribo, *a tuis collibus Roma, et septena, &c.* Meursius Auctar. Philol. c. 31. Ms. *Spectabas hæc e tuis collibus Roma.* Schwarz. Guelf. quoque *e;* sed mutatione non opus est. Ovidius Epist. Her. VII. 20. 'Et videas populos altus ab arce tuos.' Oudend. ad Lucan. V. 620. De septem montibus, quibus inposita fuit Roma, omnia sunt pervulgata. *Arntz.*

CAP. XLVI. § 1 *Et Marium*] Incertus poëta apud Sueton. Tiberio cap. 59. 'Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam, Et Marium, si vis, aspice, sed reducem.' *Livin.*

Sullam tua clade] Firmicus Mathes. X. 'Et ut toties felix diceretur, fecerunt Romanæ reip. innumerabilia naufragia.' *Putean.* Scribendum est *Felicem,* litera initiali majuscula, quoniam hoc cognomentum Syllæ. Plinius VII. 43. 'Unus hominum ad hoc ævi Felicis sibi cognomen asseruit, L. Sylla. Civili nempe sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatus [an *adeptus?*] et quibusdam felicitatis inductus argumentis, quod proscribere tot millia civium ac trucidare potuisset.' Adde Appianum. *Scheff.* Hunc superbiorem titulum et cognomen vindicavit Sulla, quoniam in omnibus prosperiori fortuna fuisset usus. Florus III. 5. 2. 'Felicitate Sullæ, virtute Luculli.' Savaro ad Sidonium Ep. III. 13. et Cortius ad Sallust. Jug. c. 95. Incerti Paneg. Constant. XX. 4. 'Sulla felix, si se parcius vindicasset.' Hinc Lucanus II. 221. 'Felix his Sulla vocari His meruit.' Plura dabit Ill. Spanhem. de Numism. Dissert. X. p. 72. *Arntz.*

In mortuos] Innuit, opinor, ejus lacrymas, quas profudit, viso capite Pompeii, de qua re Plutarchus in Pompeio. Valer. Max. V. 1. Adde et Lucanum lib. IX. qui eas lacrymas vehementer exagitat. *Scheff.* Misericordia Cæsaris in partes devictas celebrata fuit omnium litteris, unde ipse Cicero pro Marc. c. 5. 'Omnes victores bellorum civilium misericordia viceras.' *Arntz.*

§ 2 *Capita*] Ita solebant capita eorum, quos post mortem quoque ignominia persequerentur, per urbem circumferre suffixa, quæ ipsius potissimum caussæ erat addicta. Flor. IV. 9. 7. 'Circumlato ejus per urbes, quæ desciverant, capite.' Drakenb. ad Livium IV. 19. 'Caput abscisum victor spiculo gerens.' Velleius II. 27. 3. Lucanus VIII. 684. Senec. de Ira III. 19. ubi est inpium illud Imperatoris votum optantis, ut 'populus Romanus unam cervicem haberet:' ubi Lips. cum Barth. ad Statium Theb. II. 706. Illam contumeliam minuentes quasi Romani, cæsorum capita in rostris exposuerunt. Senec. Octav. vs. 510. 'Exposita rostris capita cæsorum patres Videre mœsti.' Nec sævitia habebatur, ultra quod progredi posset. Severus Fragment. ap. Senec. Suasor. VII. 'Oraque magnanimum spirantia pene virorum In rostris jacuere suis: sed enim abstulit omnes.' Ovid. Met. II. 358. *Arntz.*

Catones] Catonem Uticensem. *Cellar.*

Insepultos] Illi quidem sepulti erant, sed non debitis exsequiis: quare *insepultus* erit, non debito funere elatus, qualis ei debebatur. Vid. ad Vict. Illustr. XXXV. 11. et quæ habet Cl. Drakenb. ad Livium lib. VIII. 24. 15. Lucan. VIII. 714. de Pompeio, 'Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.' Ita illi qui mari demerguntur, et ita pereunt, dicuntur 'sepeliri.' Vide Pricæum ad Apul. Met. IV. p. 198. Barth. ad Stat. Theb. X. 435. Pro *in partes*, Guelf. habet *in parte:* male, cum 'partes' dicantur factiones in rep. Cicer. Famil. X. 31. Drakenb. ad Liv. Epit. LXXXIV. Ovid. Epist. Her. VI. 101. *Furor* quoque spectat ad seditiones domesticas inter cives, et bellum civile. Drakenb. ad Livium II. 34. 2. *Arntz.*

§ 3 *Alliensi die*] Romæ gravior clades Pharsalica, quam quondam a Gallis Senonibus ad Alliam flumen accepta. *Emathia* Plinio IV. 10. vetus nomen Macedoniæ, quæ hic laxe complectitur Thessaliam. *Cellar.*

Cannis Collina] Seneca de Beneficiis V. 16. 'Ingratus L. Sulla, qui cum a Prænestina arce usque ad Collinam portam per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in urbe prælia, alias cædes.' Velleium lege Histor. lib. II. *Livii.* Florus III. 21. Eutropius V. 5. extr. *Cellar.*

Alienam virtutem] Florus IV. 2. 1. 'Majus erat imperium Romanorum, quam ut ullis externis viribus extingui posset. Itaque invidens Fortuna principi gentium populo ipsum illum in exitium suum armavit.' *Scheffer.*

§ 4 *Hostium cæde*] Britannorum scilicet, Gallorum Celtarumque. Has enim gentes habuit in exercitu suo Maximus, ut refert Nicephorus XII. 20. Sed et ex parte Theodosii Gothi Scythæque et id genus pugnabant. Retulit ergo ingens victoriæ decus citra civium sanguinem, civile bellum finiens. *Idem.*

Tua libertate] An vitiosa est hæc lectio, num sensus subtilior, quam ut ab initio appareat? Certe qui bella civilia gerunt, semper incurrunt in multorum odia, quæ trepidare eos ac pavere cogunt. At Theodosio nil contigit ejusmodi. Nullos enim occidit cives, nullum sanguinem Romanum effudit. Itaque quia nihil fecit, cur cuiquam esset invisus, securus et ab omni metu liber fuit. Hanc eum puto libertatem hic innuere. *Scheffer.* Valde hic se cruciat vir doctissimus, et quo sensu Theodosius *liber* possit dici, inquirit: at, ut mihi videtur, alloquitur adhuc Romam Pacatus, eamque ait vidisse bellum civile 'finitum libertate sua;' quia Maximo tyranno, qui Italiam occupaverat, victo, *libera* quasi facta erat. *Cuperus*, Epist. ad Heins. 441. tom. II. Syllog. Burm. pag. 729. Cod. Guelf. *m. pace, civium reconciliatione, rec.* Forte, *m. pace, civium reconciliatione, Italiæ recup.*

quod non displicet. Ceterum vide Barth. ad Claud. Cons. Honor. IV. vs. 144. *Arntz.*

Triumphum] Valerii Maximi e II. 8. verba commentarii vicem ascribam: 'Verum quamvis quis præclaras res maximeque utiles reip. civili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est, neque aut curru, aut ovans triumphavit, quia ut necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, utpote non externo, sed domestico partæ cruore.' Docteque Lucanus I. 10. 'Cumque superba foret Babylon spolianda tropæis Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta, Bella geri placuit nullos habitura triumphos.' *Livin.* Nam alias e bello civili triumphus nullus. Vide Valer. Maxim. II. 8. *Scheffer.* Ideo, quia ex bellis civilibus, utpote reip. damnosis et tristibus, nullus dabatur triumphus. Notissimum illud Lucani I. 12. 'Bella geri placuit nullos habitura triumphos.' V.D. ad Florum III. 23. in fine. Auctum enim esse debebat bello Romanum imperium, quod aliter erat in bellis civilibus, et eam ob rationem nullus in illis erat locus triumpho. V. D. ad Livium XXXI. 6. 7. *Arntz.*

CAP. XLVII. § 1 *Admoneat*] Cod. Ms. *At, cum tempus sit admodum, meminisse præsentium; finem sermoni facere maluerim, quam in amplissimi ordinis munus invadere.* Schwarz. Codex Guelf. præfert etiam *admodum sit*, quod corruptum esse nemo facile dubitabit, cum recordetur 'admonere' esse rem aliquam in memoriam revocare. Lambin. ad Cicer. Fam. I. 1. Ovid. Epist. Her. X. 42. 'Scilicet oblitos admonitura mei.' Livius II. 37. 6. ubi Drakenb. Tibull. IV. 1. 189. 'Quum memor anteactos semper dolor admovet annos.' V. ibi Broukh. Gronov. Diatrib. Statian. cap. XLIX. Burm. ad Petron. cap. XX. et frater meus ad Caton. Distich. I. 9. *Arntz.*

§ 2 *Utcumque*] Guelf. male *utrimque.* Supra XLV. 4. 'Utcumque virtutis tuæ opera:' et pluribus postea egit Drak. ad Livium VII. 13. 7. Eumen. Paneg. Constant. XV. § 6. 'Utcumque cum ducibus tuis maluit experiri.' *Idem.*

Longinquisque] Guelf. habet corrupte *longisquisque*, quod crederem factum ex solenni librariorum more, qui dum male vocem scripsissent, ne turpibus lituris talis codex deformaretur, utramque scripturam relinquebant, de qua consuetudine confer Duker. ad Florum II. 16. 3. et Victorium, in investigandis librariorum erroribus admodum sagacem, ad Ciceron. Fam. Ep. III. 8. Ideo puto ita scripsisse librarium pro *longisque*, i. e. regionibus longius dissitis, et ab urbe remotis: de qua notione confer Broukh. ad Tibull. I. 4. 18. Ita exponendus Justinus XVIII. 1. 2. 'Tam longa a domo militia.' Silius Ital. VI. 628. 'Nam remeans longis olim Tirynthius oris:' ubi largiori manu Drakenb. *Idem.*

§ 3 *Gesta sunt*] Quædam hic deficiunt, quæ in uno C. inveni. Ex eo scribe: *Gesta sunt, et geruntur, ingeniis permittenda Romanis sunt, qualem, &c.* Quo in ἐρμαίῳ cum Deo desino. Tu ave, lector, et fave. *Livin.* Haud refugiam ea adhuc recipere in contextum, quæ leguntur in Cuspiniani codice prisco: *Ea vero quæ Romæ gesta sunt et geruntur, ingeniis permittenda Romanis sunt, qualem te, &c.* Interim miror cunctis Mstis abesse id verborum frustum, cum liqueat ex sequentibus, omnino desiderari. *Gruter.* Verba, *et g. ing. p. R. s. q. t.* ignorat Guelf. non video quo jure. *Ingenium* notat hic homines ingenio præditos, doctos. Propert. I. 7. 22. 'Tunc ego Romanis præferar ingeniis.' Cicer. Fam. Epist. IV. 8. 'Is qui omnia tenet, favet ingeniis.' *Fortiter et feliciter* dixit ex consueta formula de Imperatoribus et belli ducibus, qui egregias de hoste devicto

reportassent victorias. Plura collegit Drakenb. ad Livium XXVIII. 9. 7. et II. 49. 5. 'Ire fortes, ire felices jubent.' *Arntz.*

Invexerit] De triumpho loquitur, quem habuit Theodosius. Nicephorus XII. 21. 'Theodosius bello feliciter confecto, cum Imperatore Juniore victor ingressus urbem, clarissimum lætus egit triumphum.' *Schefer.*

Ferculorum] Scilicet hoc erat triumphi ornamentum; cum præferrentur insignia captarum regionum, quæ in tabulis erant. Florus IV. 2. 80. Tibull. II. 5. 120. 'Ante suos currus oppida victa feret.' Albinov. I. 464. 'Cunctaque per titulos oppida lecta suos.' Clarius exponet Plinius Pan. XVII. § 2. 'Videor intueri inmanibus ausis barbarorum onusta fercula:' ubi notæ: et Barth. ad Claud. de Laud. Stilic. III. 23. Prudent. adv. Symmach. II. 580. 'Mille triumphorum memorare ex ordine pompas, Ductaque per mediam spoliorum fercula Romam.' Addi possent quæ adnotantur ad Gratium Cyneg. vs. 489. Dicit *in rostris*, quamvis usitatius sit scribere *pro rostris*. Tamen ita Albinov. ad Liv. vs. 269. 'Stabis et in rostris tituli speciosus honore.' *Incessu* vero recte adhibet, cum dicatur de tali pompa, si aliquis quasi cum dignitate et honore progrediatur. Vide Barth. ad Claud. Cons. Manl. vs. 333. Ampl. Cuper. ad Lactant. de Mort. Persec. cap. 17. cum Savar. ad Sidon. Epist. v. 17. Martial. Epigr. XII. 38. et Pricæo ad Apul. Met. IX. p. 525. Adde notata ad Plin. Pan. LXXXVII. § 9. et hinc originem duxerunt celeberrimæ illæ pontificiorum processiones. *Arntzen.*

Pedibus] Scilicet in processione triumphi pater triumphantes comitari solebat. Tibull. I. 5. 124. 'Et plaudat curru prætereunte pater.' Elsner. ad Epist. I. ad Corinth. II. 14. Sueton. Tiber. cap. 6. 'Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est:' ubi cf. Interpr. Nec dissimiliter Terentius Culeo currum Scipionis triumphantis secutus est apud Valer. Max. v. 2. ex. 5. adde quæ ad Plinium Pan. XVII. § 1. notavimus. *Idem.*

Singulis] Aberrat Guelf. scribens *in singulis exh. senatum*. Respicit ad amorem civium, qui non simulato amore principis ducti in ipsius obsequia quasi conjurarent. Claudian. Cons. Hon. IV. vs. 241. 'Non sic excubiæ nec circumstantia pila Quam tutatur amor:' ubi Barth. *Idem.*

§ 5 *Dispensabo*] Miracula, quæ lætus acceperam, narrando aliis, quasi divellam. Ea enim est hujus verbi notio, ut indicetur aliquid in varias partes dispergere et ita in omnium notitiam perferre, ut 'dispensare vires' est vires distrahere in varias partes, et ita tenuiores efficere. Justin. VII. 6. 4. ubi plura adferunt V. D. et Drakenb. ad Silium IX. 244. et Gronov. ad Livium XXVII. 2. 10. *Idem.*

Theodosium] Nomen proprium adhibet, quia ipsis nominibus major videtur inesse vis, cum peterentur a talibus, qui super vulgus excellerent meritis. Senec. Suasor. VI. p. m. 37. 'Mortuum Ciceronem, quam vivum desideret.' Ovid. Epist. XVI. 151. Iscanus B. Trojan. v. 317. 'Ipsumque ardebat Achillen.' Guelf. tamen verba *Theodosium v. et u. s. v.* negligenter præterit, aperto errore. *Idem.*

Restitutorem] Guelf. *institutorem*. Servat tamen bene receptum Barthius ad Claudian. Cons. Honor. IV. vs. 31. Nec damnanda ea scriptura. Eumen. Grat. Act. cap. I. et cap. IV. et Barth. ad Statium Theb. III. 79. Forte ante oculos habuit vulgatum illud Ennii lib. XII. Annal. p. m. 98. 'Unus homo nobis cunctando restituit rem:' ubi conferatur Columna. Illud decus in nummis additur titulis Imperatorum. Ex multis vide Bira-

gium Num. p. 286. et ibi passim: de qua re confer Ill. Spanhem. de Num. Dissert. XIII. p. 624. Ita 'restitutor orbis terrarum' in Lapidibus Gudianis p. XCVI. 8. Sic supplendus videtur defectus in lapide, cum prior littera deesset. *Idem*.

§ 6 *Instruam*] Inserendum omnino, *instruam dictures, qua legantur*. Acidal. *Injuriam*] Eam intelligit, qua quodammodo afficit principem, qui stylo aut oratione impari laudibus illius detrahit. Itaque Augustus, teste Suetonio cap. 89. 'Componi aliquid de se, nisi et serio et a præstantissimis offendebatur: admonebatque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.' Et Alexandrum novimus a nemine se pingi nisi ab Apelle, fingi a nemine nisi a Pyrgotele voluisse. Vide Plinium VII. 37. *Scheffer*. In antiquioribus editis reperitur *quà legantur*. Sic certe edit. 1476. Rhen. et aliæ. Sed parum refert. *Quæ* quoque prætulit Pric. ad Apul. lib. VIII. p. 394. Nec ad credendum inpellimur, cum Gnelf. scribat *ipso*, non ferens hanc voculam casu differre a *te*, qua de constructione diximus supra XLI. § 3. Juvenal. Sat. I. 62. 'Ipse lacernatæ cum se jactaret amicæ:' et alibi. *Arntzen*.

FR. BALDUINI NOTÆ IN LATINI PACATI DREPANII PANEGYRICUM.

PACATUS hac sua Panegyrica Oratione in laudando Theodosio et vituperando Maximo facit, quod eodem tempore poëta Claudianus similiter faciebat exquisitis versibus, quos etiam appellat 'Panegyres.' Vellem vero etiam extaret, quem a Paulino nondum episcopo Gennadius scribit Panegyricum scriptum fuisse ad Imp. Theodosium post victoriam, ut ait, de tyrannis: in eoque maxime, ut inquit, quod fide et oratione plus quam armis vicerit. Quod quidem imprimis etiam prædicat August. de Civ. Dei v. 25. Sed et extant ipsius Paulini verba in Ep. IX. ad Sulpitium Severum. 'Ut,' inquit, 'in Theodosio non tam Imperatorem, quam Christi servum, non dominandi superbia, sed humanitate famulandi potentem, nec regno sed fide principem, &c. prædicarem.' Addam et ipsius Hieronymi testimonium, qui in quadam ad hunc Paulinum Epistola, 'Librum tuum,' inquit, 'quem pro Theodosio principe, prudenter ornateque compositum transmisisti lubenter legi. Felix Theodosius, qui a tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ejus, et utilitatem legum futuris seculis consecrasti.' Denique et ex Symmachi Epistolis nondum editis fragmentum citatur, in quo Symmachus ille ait se civiles et bellicas laudes Theodosii descripsisse, et leges ejus bonis pacis admiscuisse. Nescio an non et ipse Augustinus, qui rhetor erat Mediolanensis, cum Theodosius vicit Maximum, de hac victoria declamarit. Certe contra Petilian. III. 25. testatur sese Carthaginem reversum non esse nisi post mortem Maximi,

et Bautoni consuli Kal. Januar. pro sua rhetorica professione Mediolani recitasse. Cum Pacatus ordiatur abs die, quo Theodosius imperio est inauguratus, et quem propterea vocat 'auspicem publicæ felicitatis,' et tribus eum locis celebret, nec tamen quisnam ille fuerit alioqui exprimat; quærenti de eo respondebo, quod ex Historia Tripert. XIX. 4. et ex veteri Chronico Marcellini Comitis didici fuisse XVI. diem Januarii, Ausonio et Olybrio Coss. hoc est, anno Christi CCCLXXIX. Eum ergo diem imprimis vult Pacatus, ut faustum et felicem, observari: sicuti olim faustissimus orbi terrarum illuxisse indicatus est XIII. dies ejusdem mensis Januarii, quo die Octavius Cæsar appellatus a senatu est Augustus. Rursus autem ater merito dictus est, fuitque XVII. dies ejusdem Januarii, quo die Theodosium mortuum esse constat.

Quod Pacatus paulo post ait, III. § 2. 'Nam ut divinis rebus operantes, in eam cæli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est;' indicat morem, quo Christiani non minus quam Pagani utebantur. Unde et solem adorare vulgo dicebantur. Tertullianus Apol. ad Gentes: 'Suspicio est,' inquit, 'solem nos adorare, quod innotuerit ad Orientis regionem precari. Sed et plerique vestrum, affectatione aliquando et cælestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis.'

Paulo post cap. eod. § 4. ubi mendose legebatur *placatum vulgus*, recte emendatum esse *pacatum ulcus*, jam multi observarunt, et res ipsa indicat: et c. IV. § 4. *Menavia* legi debere, ubi antea legebatur *Mevania*, sciunt, qui legerunt geographos: hujusque rei me etiam admonuit Franc. Moncæus sororis meæ filius.

Quod Pacatus de Theodosii patre (quem Aurelius Victor Honorium, alii verius Theodosium vocant) indicat, Ammianus Marcellinus l. XXIX. et Claudiani Panegyris in tertio et quarto consulatu Imp. Honorii magis atque magis illustrabit. Quod autem mendose in Pacato scriptum erat, v. § 2. *Vacalis*, correxi *Vaalis*. Sic enim Cornelius Tacitus libr. II. testatur vocatum fuisse alterum Rheni in Oceanum influentis ostium, sive cornu, quod alias Mosæ esse dicitur. Et nostris quoque temporibus notum est utriusque fluminis nomen, ad Dordrachum Bataviæ oppidum: cui, cum id anne 1549. ingrederetur Philippus Hispaniæ rex, præfixum fuit Epigramma, quod incipiebat, 'Me Mosa et Vaalis.'

Quod Pacatus secutus, ut opinor, illud veteris poëtæ, 'Gratior est pulchro veniens in corpore virtus:' vel etiam, quod olim Persæ in rege deligendo dicuntur observasse, qui egregiam formam corporis in eo inprimis requirebant, ait, ut Theodosii quoque formam commendet, VI. § 3. 'animum venturum in corpus dignum prius metari hospitium,' &c. videtur omnino sumpsisse ex Eumenii popularis sui Panegyrico ad Imp. Constantium, ubi similiter legimus, non frustra doctissimos viros dixisse, 'Naturam ipsam magnis mentibus digna corporum domicilia metari.' Tertullianus non dissimili in re utitur 'metatoris' verbo, de quo etiam aliquid dixi ad Optatum. Nam et verbum juris est. Illud hoc loco annotandum est, quod Delbenius noster, adolescens eruditus et acutus, familiariter mihi suggerebat locum hunc Pacati, ubi de patre et forma Theodosii agitur, VI. § 2. qui antea valde corruptus erat, sic emendari posse: *Ejus esse filium, quem principem esse decuerit:* quia Pacatus videatur laudare patris quoque formam dignam imperio; et 'regiam formam' pro pulchra dici a Plauto et Justino. Sed et placuit quod paulo post, X. § 3. *munerum numeros*, repositum est *numerorum munera*. Quid autem 'numeri' dicantur in castris pro non est ignotum. Sed infinitum

fuerit indicare omnes locos in hac editione emendatos. Illud semel dictum esto: si hæc cum Germanica Beati Rhenani editione conferatur, tametsi alio exemplari destituti, solis conjecturis usi simus, nostram centum locis saltem operam non inanem fuisse lector animadvertet.

Quod deinde Pacatus, VII. § 2. vocat 'comitialem legem,' intelligo Legem, quæ 'Annalis' dicitur, lata a L. Villio Annali tribuno pl. quæ annos definiebat, quibus quis quemque magistratum in comitiis petere posset; de qua lege legendus est Cicero Philipp. V. Sed quod attinet ad ætatem Theodosii, de qua hic agitur, constat ex historia, eum XXXV. annorum fuisse, cum Orientis primum Imperator creatus est. Quæ tamen ætas ab ætate consulari, si legem Annalem spectes, multum etiamnum aberat; consularis enim erat ann. XLIII.

Ad ea quæ Pacatus scribit de Theodosii ante imperium vita privata adjiciatur, quod Ammian. Marcellinus narrat lib. XXIX. Sed et quod Ambrosius, qui in Oratione funebri, 'Portavit,' inquit, 'jugum grave Theodosius a juventute, quando insidiabantur ejus saluti, qui patrem ejus triumphatorem occiderant.'

Ubi antea legebatur, XI. § 6. *Manibus Augustus ornaret*, emendatum est *moribus*, ex conjectura Schifleti Sequani, adolescentis eruditi. Sic Horatius ad Augustum: 'Moribus ornes, Legibus emendes.'

Paulo post, XIV. § 3. ubi legebatur, *sestertium millies*, Junius in suis Miscellaneis jam pridem emendavit *sestertiis mille*. Vidit enim priorem summam prope esse infinitam, ut quæ vicies quinquies centum millia coronatorum aureorum significaret. Alteram vero magis convenire, quæ non nisi eorum millibus viginti quinque æstimatur. Cujus generis æstimationisque fercula singula si sex in convivio, de quo Pacatus ait, fuisse dixero, recte adjiciam hic notari illud Imp. Veri Antonini prandium, quod Capitolinus significat æstimatum esse sestertium sexagesies. Sane Pacatus in laudanda Theodosii sobria frugalitate, et superiorum quorundam principum luxu accusando, videtur Mamertini Panegyricum ad Imp. Julianum imitari.

Quod attingit de Gothis a Theodosio subactis, satis superque est ab aliis scriptoribus olim decantatum. Sed quod addit de Persis, unus Claudianus illustrat in priori sua Panegyri de Laudibus Stiliconis, et in altera de VI. Consulatu Honorii.

Quod scriptum erat, XX. § 5. *petitorum comitate*, etsi ferri utcumque poterat, attamen multo concinnius esse visum est *prætorum*: quia et consulum et pontificum mentio hic facta est, et prætores ut æqui et boni arbitros benignos, sic et comes fuisse constat.

Cum, XXIV. § 2. *lustrale justicium* dicit, notat illos quinque annos, quibus Maximus tyrannus in Gallia per vim sine jure regnavit cæso Gratiano. Nam etsi interea jus dixerit; imo et leges tulerit, atque etiam edicta Romam miserit, ut vindex publicæ disciplinæ, sicuti ait Ambrosius Epist. XXIX. et denique de controversiis ecclesiasticis in synodo episcopos audierit et hæreticos Priscillianistas damnarit, supplicioque capitali affecerit, ut Severus Sulpitius recitat: tamen Pacatus totam jurisdictionem Maximi pro quodam justicio habet. Nam et in l. VII. C. Th. de infirm. iis quæ sub tyr. Theodosius ita loquitur: 'Omne judicium quod vafra mente conceptum, injuriam non jura reddendo, Maximus infandissimus tyrannorum credidit promulgandum, damnavimus. Nullus igitur sibi lege ejus, nullus judicio blandiatur.' Aliud est in Panegyrico Mamertini ad Imp. Julianum, 'temporis mœsti deforme justi-

cium.' Aliud in Epistolis Sidonii Apollinaris, 'Gallicanum justicium.'

Quod paulo post legebatur apud Pacatum de Italo et Hispano, XXIV. § 5. *Tyrannidem ille non vidit, hic tyrannicidium vidit:* emendavi, *Tyrannidem hic non vidit: ille tyrannicidium vidit.* Sentit enim Hispaniam non vidisse tyrannidem Maximi; Italiam vero vidisse cædem hujus Maximi.

Paulo post, XXV. § 2. ubi fit mentio *infantium sub ipso sectore ludentium*, agnosco *sectoris* verbum vetus, pro eo, qui in universum a fisco emit, aut nomine fisci vendit, aut suo, si jam emisset, publicatas res damnatorum: ut et paulo post ait Pacatus, XXVIII. § 3. 'Optabamus subire sectorem, ut possemus effugere carnificem.' Mirum vero si et infantes ipsos fiscus occupabat, quos venderet. Crediderо potius bona, quæ alioqui infantibus legitimis heredibus debebantur. Facio autem non invitus, ut de hoc verbo adjiciam, quod Festus: 'Sectio,' inquit, 'persecutio juris est.' Eam, qui exercet, 'sector' dicitur, quod spem lucri sui secutus bona condemnati semel actionabatur, proque iis pecunias pensitabat singulis, quibus reus attineretur, ut ait Asconius.

Quod paulo post, XXVI. § 5. ait, *Bona nostra ad ærarium una et perpetua via ibant.* Eleganter significare videtur nullam spem eorum recuperandorum fuisse, quæ semel fiscus occupaverat. Estque locutio non dissimilis formulæ illius imprecationis, qua alicui, ne rediret unquam, male precabantur, unam viam et perpetuam esse. Cicero in Pison. ejus meminit. Meminit et Pseudo-Plauti Querolus. Ut autem et hoc Pacati loco quippiam hujus generis observarem atque notarem, admonuit me Gul. Fornierius, vir doctissimus, amicus et collega optimus. Prætereo quam postea emendationem necessariam fuisse lector facile sentiet, ubi, XXVIII. § 2. pro *exuissent* reposui *eruissent*, et pro *animum* jussi imprimi *omnium*. Sed putidum est, ambitiose ostentare suam in re tam exili diligentiam. Sed etsi non moneam, studiosus facile observabit, ubi ait Pacatus, XXVIII. § 3. tyranni stylum et gladium timeri, verbum quoque hoc juris esse, cum et in l. 'Si quis C. de bonor. proscript.' legamus 'stylum proscriptionis.' Et Cicero pro Cluentio 'stylum censorium gladiumque dictatorium' nominat: et Seneca de Clement. lib. I. 'decretorium stylum.' Sed non negligam, quod paulo post, XXVIII. § 4. Pacatus scribit de Merobaude et Vallione; quod quidem partim ab historia illustratur, partim eam illustrat. Merobaudes consul erat, quo anno cæsus est Gratianus: eoque consule editæ sunt multæ leges, quæ etiamnum extant in Codice Constitutionum. Ergo Merobaudem 'trabeatum' vocat Pacatus ibid. eique purpuras consulatus tribuit. Sed cum testetur, eum, quia Gratianum defenderat, a Maximo ad mortem adactum esse, valde miror quod Prosper in suo Chronico annotat, Merobaudis magistri militum proditione victum cæsumque Gratianum fuisse. Sane Rufinus in sua Appendice Historiæ Ecclesiasticæ ait, Gratianum a Maximo per Andragathium ducem peremptum esse, sed suorum magis proditione quam vi hostium. Cæterum quod de Vallione (Ambrosius 'Balionem' appellat) scribit Pacatus, explicatur ab Ambrosio Epist. XVII. ubi narrat, sese Maximo exprobrasse, quod talem tantumque virum occidisset: 'At quem,' inquit, 'virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit justa caussa exitii, quod Imperatori suo fidem servavit? Quis sibi parcendum putaret, cum occisus sit bellator strenuus, miles fidelis, comes utilis?' Addit eodem loco Ambrosius Maximum de Bautone, quasi de altero

Balione, idem decernere voluisse. Bauto consul fuerat septimo anno Imperii Theodosiani, eique consuli Kalend. Januarii pro sua rhetorica professione Mediolani se recitasse scribit August. contr. Petil. III. 25.

Cum lego quod Pacatus, XXIX. § 2. scribit de quadam matrona, quam religionis ream Maximus jusserit supplicio affici, venit in mentem, quod Sulpicius Severus, inter Priscilliani Hæresiarchæ turpissimi sectatores, quos a Maximo necatos esse narrat, nominat quandam Eutrochiam: et Prosper in Chronico cum eam propter erroris Priscilliani consortium, a Maximo damnatam et gladio necatam fuisse admonet, ait fuisse uxorem Delphidii rhetoris. Ejus Delphidii meminit etiam Ausonius in libello de Professoribus. Itaque cum apud Pacatum l. d. legeretur, *clarinatis matrona*, suspicatus sum melius legi, *clari vatis*. Addit autem Prosper, et alteram Priscilliani discipulam, Urbicam, Burdegalæ, ob impietatis, ut ait, pertinaciam, lapidibus extinctam esse, sed per vulgi seditionem. Nescio an Pacatus non agat nimium rhetorice, cum odiose quærens, quod in hoc genere exprobret Maximo, supprimit et dissimulat multa, quæ historia bona fide narrat. Sicuti et cum invehitur in eos, quos Maximi partes secutos ait, XXIX. § 3. 'nominibus quidem antistites, re ipsa vero carnifices' esse. Equidem cum id legerem, substiti, et diu cogitavi quorsum id diceret: tandem venit in mentem, quod Sulpitius narrat Itachium Episcopum Hispanum capitalem fuisse accusatorem Priscillianistarum in palatio consistorioque Maximi, cum Martinus Turonensis Episcopus, qui aderat, ita agi nollet. Id autem cum legerem, commode rursus venit in mentem huc pertinere quod Ambrosius in Epist. XXVII. narrans sese Treveros ad Maximum venisse, ait, sese noluisse communicare cum episcopis, qui; ut ait, alios, devios licet a fide, ad necem petebant. Sed et Prosper in Chronico suo annotat Itachium illum paulo post in ecclesia excommunicatum fuisse, quia etsi hæresiarcham turpissimum persequeretur, tamen novo exemplo episcopus in consistorio regis sanguinem peteret.

Quod Pacatus, XXX. § 2. ait Maximum sub nomine pacis lusisse, suggerit mihi, quod Ambrosius a Maximo reversus, scribens ad Valentinianum, suam relationem ita concludit: 'Vale Imperator, et esto tutior adversus hominem involucro pacis bellum tegentem.' Sane Nonius Marcellus, ubi dixit 'involvere' esse 'implicare,' allegat ex Ciceronis ad Cæsarem Juniorem lib. I. istud: 'Videbam nomine pacis bellum involutum fore.'

Paulo post ubi apud Pacatum, XXX. § 2. legebatur, *servatæ adhuc veniæ fidem*, Puteanus et Delbenius emendant *finem*. Sed alter retinet *veniæ*, alter substituit *vitæ*. Certe Pacatus dicere et significare vult, Theodosium non potuisse diutius parcere, vel ignoscere Maximo, eumque servare.

Quod deinde scriptum erat, XXXIV. § 1. *testis est Fiscia*, diu me torsit. Sed tandem ut mendosum locum esse agnoscerem, et mendum tollerem, fecit quidam, quem tamen et ipsum mendo non carere suspicor, Ambrosii locus in Epist. XXIX. ubi lego, victum aliquando a Francis, et gente Saxonum fuisse Maximum in Sicilia, Siciæ et Petavione. Ut autem ibi pro *Siciæ* sensi legendum esse *Sisciæ*, sic et hoc loco pro *Fiscia* lego *Siscia*. Est enim Siscia nobilis urbs Pannoniæ ad Savum fluvium et Segesticam ejus insulam, qua ex Pannonia itur in Italiam. Meminit hujus Sisciæ Strabo lib. V. et VII. Plinius III. 25. et ipse quoque Prudentius agens de Quirini martyrio: neque procul abest urbs Petavio: quam urbem in Au-

stria nunc vocant *Patavium*. Sed quod additur de Sicilia, vereor ne mendose duplicatum et repetitum et confictum sit, ex proximo verbo *Siscia*. Aventinus tamen in suis Boiorum Annalibus confidenter narrat, ut circa Sisciam a Saxonibus victus est Maximus. Sic et antea circa Moguntiacum a Francis Rhenum transgressis victum fuisse in pago Rhenano, qui dicitur Siciliæ. Sed hujus vici quis meminit? Illud modo ex Ambrosio observo, Francos Germanos, Valentiniano vero Imperatori militasse potius quam Maximo tyranno perduelli, quem tamen Galli antistites sequebantur, ut et observat Sozomenus VII. 13. Sic et Franci, quamvis antea hostes ipsius Constantini fuissent, tamen Constantini castra adversus Licinium tyrannum secuti sunt. Sed ante tempora Constantini, ubi primum in Historia Romana fit mentio Francorum, hi dicuntur adversus Imp. Gallieni exercitum defendisse Posthumum illum, qui in Gallia tyrannidem arripuerat.

Redeo ad Pacatum: apud quem quod dicitur de Alpibus Cottiis, XXXVIII. § 2. audio etiam inter doctos controverti. Sed interpretem, arbitrum, et judicem bonum do Marcellinum, qui lib. XV. 'Alpes,' inquit, 'Cottias rex Cottius, perdomitis Gallis, solus in angustiis latens, inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem tumore, in amicitiam Octaviani principis receptus, molibus magnis exstruxit. In his, quarum initium a Segusione oppido est, præcelsum erigitur jugum, nulli fere, sine discrimine penetrabile,' &c.

Jam si redeundum est ad indicem emendationum in Pacato, ecce ubi legebatur, XXXVI. § 1. *gloriando fugere*, ex conjectura Puteani et Delbenii nostri emendatum est *glomerando*. Sic uti et paulo ante locutus est Pacatus, XXXIV. § 3. *per abrupta glomerantur*. Sed et paulo post, XXXVI. § 1. ubi antea impressum erat, *populi tibi imminere*, feliciter et acute Puteanus emendavit *poplitibus imminere*, ut postea, XLIV. § 5. pro *medicos Liberi triumphos*, recte legit *Indicos*. Sed et paulo ante ubi legebatur, XLII. § 3. *ne vultus olim tuus*, recte Delbenius noster admonuit legendum *cultus*.

Talium emendationum auctores obiter nomino, ut eorum acumen laudem. Sed et paulo post, XXXVII. § 1. ex Beati Rhenani conjectura passus sum legi *Narona*. Nam et ejus urbis in Illyrico mentionem facit Plinius, et in Illyrico victum aliquando fuisse Maximum scio. Sed tamen nondum illa Rhenani emendatio mihi satisfacit. Audio tamen Petrum Fabrum Tholosanum Jurisconsultum. ad l. II. de O. J. de illa Rhenani emendatione minime dubitare, et hunc Pacati locum de Naronensium occursu et gratulatione, portas etiam virentibus sertis coronantium, conferre cum non dissimili loco Panegyrici Flaviensium ad Constantinum, et altero Marcellini lib. XXI. de Juliano Bononiam ingrediente. Sed et qui hic dicuntur a Pacato *senatores* esse decuriones, et quas eorum vocat *niveas vestes* dici a Plutarcho ἐσθῆτας καθαρὰς καὶ λευκάς. Jam vero etsi fatear de Narona me dubitare, tamen de Aquileia, ubi postremo victum cæsumque fuisse Maximum narrat Pacatus, dubium non est.

Sed operæ pretium est audire, ecquid præterea Ausonius, Pacati æqualis, de Aquileia cecinit in libello de Claris Urbibus: 'Itala ad Illyricos objecta colonia montes, Mœnibus et portu celeberrima: sed magis illud Eminet, extremo quod te sub tempore legit, Solveret exacto cui sera piacula lustro Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ. Felix quæ tanti spectatrix læta triumphi Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.' 'Armigerum lixam' vocat,

ut Pacatus 'fixam statarium,' XXXI. § 1. 'Rutupinum' dicit eum Britannum significare vult. Maximus enim Britanniam regebat, in qua urbem Rutupias prope Londinum fuisse, testis quoque est Amm. Marcell. lib. XX. 'Latronem' vocat, quia tyrannus perduellis erat, non hostis legitimus. Sic paulo ante dixit eum attollere vexillum latrocinii civilis potius, quam belli. Sic et Nazarius in Panegyrico ad Constantinum vocat 'latrocinium civile.' Et 'latrocinium Batavicæ rebellionis' vocat Eumenius. Et in altero ejusdem temporis ad Imp. Maximinianum Panegyrico, qui incipit, 'Si mihi Cæsar,' legimus 'nefarium et indignissimum latrocinium belli.' Denique in l. ult. C. Th. de bon. proscript. vocatur 'latro nefarius,' qui perduellis est. Sic JCti responderunt, hostes esse, qui nobis aut quibus nos bellum indiximus: cæteros esse 'latrones,' atque prædones, qui jus belli non habent. l. 118. de V. S. l. 24. de captiv. et postlim. revers. Vopiscus in Firmo scribit, magnos principes, qui necaverunt invadentes purpuras, eos appellasse latrones potius quam tyrannos.

Præterea multa, quæ in descriptione prælii contra Maximum sumpta esse a Pacato ex Nazarii Panegyrico ad Constantinum de victo Maxentio semel admonuisse sit satis.

Sed ubi Pacatus c. XXXI. deinde laudat clementiam victoris Theodosii, tametsi non repetam, quod de ea præterea dixi in relatione ad principem, tamen juvat annotare; quo anno post victum Maximum Theodosius clementiæ, quam hic prædicat Pacatus, exemplum admirabile dedit, eodem paulo post anno, cum horribilis sævitiæ in populum Thessalonicensem, præcipiti quadam iracundia, exemplum edidisset, castigatum esse ab Ambrosio et in ecclesia Mediolanensi pœnitentiam propterea publicam egisse, qui paulo ante Romæ gloriose triumpharat, cum cæso Maximo ad lenitatem sese revocasset. Cum in Nicephori Græca Historia scriptum legeretur, post Eugenium victum accidisse, quod de Theodosii publica pœnitentia narratur, Interpres Latinus pro *Eugenio* supponit *Maximum*. Laudo emendationem. Nam et paulo post ipse Nicephorus significat Theodosium Constantinopolim reversum esse. Constat autem Mediolani mortuum esse, post Eugenium debellatum neque tunc Constantinopolim esse reversum. Itaque etiam repudio, quod Zonaras confuse ait, post bellum contra Eugenium, inchoatum necdum confectum, cædem Thessalonicensem et pœnitentiam Mediolanensem accidisse. Atqui bellum illud statim confectum, neque ullo intervallo interruptum fuit. Rufinum ergo potius sequor, cui et Ambrosium adjicio, qui in Epist. XXIX. ad Theodosium, loquens de ejus pœnitentia: 'In præliis,' inquit, 'felicissime egisti.' Nam istud, 'in præliis,' interpretor contra Gothos, et deinde contra Maximum.

Ubi Pacatus ait, XLV. § 6. nullius præteritam dignitatem fuisse imminutam, dicit *præteritam*, quæ non a Maximo, sed ante Maximum a Gratiano aut Valentiniano patre collata fuerat. Nam quam contulerat Maximus, constat imminutam et abrogatam fuisse, cum et reliqua Maximi acta rescissa sint, sicuti reliquorum tyrannorum. Quod facile intelligitur ex Cod. Theod. de rescind. his quæ sub tyrann. gesta sunt: ubi et recitantur quædam Theodosii leges, quæ huc omnino pertinent. Prior est ad Trifollium P. P. his verbis: 'Nullus sibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio revocetur. Dat. Aquil. X. Kal. Octob. Theodosio A. II. et Cynegio Coss.' Hic ego observo, eo

anno iisque consulibus, victum Maximum prope Aquileiam fuisse vi. Kal. Septemb. Ergo uno post mense, eodem loco edita est lex, quam recitavi. Altera eodem anno, aliquot post diebus, edita Mediolani, judicia abs Maximo promulgata damnat. Tertia Mediolani quoque edita xix. Kal. Februar. Timasio et Promoto Coss. hoc est, anno proxime sequenti, multo magis id inculcat. Addo quartam, quæ est ipsius Honorii, aitque eos, qui tyranni Maximi secuti jussionem, fundos perpetui juris, non ab ordinariis judicibus, sed a rationalibus acceperunt, eorum amissione plectendos esse: talesque fundos ad rem privatam denuo revocari, l. 10. C. Theod. illo tit. Dicitur ea lex data Mediolani vi. Kal. Maii, Olybrio et Probino Coss. hoc est, paullo post Theodosii mortem, annis post victum Maximum septem et octo. Cum autem *fundos privati juris*, et *rem privatam* vocat, fiscum significari non ignorant, qui in Codice Constitutionum versati sunt. Non est prætereunda lex Imp. Zenonis l. 16. C. de Sacros. Eccles. quæ cum edicit rescindenda esse, quæ tempore tyrannidis contra venerabiles ecclesias innovata sunt, significat acta Basilisci tyranni esse rescindenda, et Pseudepiscopos, quos ille intruserat, esse ejiciendos. Sed propius ad id, quod Pacatus laudat, accedit altera ejusdem Honorii Constitutio, ut dignitates per Eugenium collatæ aboleantur: prius habitæ confirmentur: iis qui tyranno servierunt, venia detur. Verum etsi id similiter edixisset Arcadius paulo post Theodosii mortem, tamen postea coacti sunt hi principes agere severius de perduellium coërcitione. Unde nata est l. 'Quisquis 5. C. ad Leg. Jul. Majest.' Quidam in Schola Biturigum hisce diebus eam editam esse scripsit, cum vix annus a morte Theodosii præteriisset, et recens esset memoria Gildonianæ factionis. Atque hoc est ignorare principia Historiæ Arcadianæ. Ipsa consulum subscriptio indicat latam esse tertio post mortem Theodosii anno, nec dum tunc nata erat factio Gildoniana, sed Rufiniana jam erat repressa. Ergo cum illam legem in auditorio interpretarer, dixi, cum Rufinus ex tutore factus hostis Arcadii et proditor, sollicitatis barbaris, cum quibus conjurarat, conatus esset, dejecto Arcadio, tyrannidem occupare paulo post mortem Theodosii, oppressum quidem in eo suo conatu fuisse; sed cum metuerentur alii Rufini, oppositum esse terrorem hujus constitutionis. Etsi autem ante annos septem editus sit a quodam meus Commentarius ad Leges Majestatis, tamen quia diligentius juvat exponere Arcadianam illam constitutionem, de qua jam tam periculose et imperite multi agunt, non recusabo statim atque plus otii nactus fuerim, edere scriptam interpretationem, quam publice in auditorio viva voce feci. Interea ut facile patior, illum quondam meum (sic enim se aliquando inscripsit) discipulum, suppresso meo nomine, ex nostris Commentariis decerpere, quod vult; sic miror, tam studiose aliquid quærere, in quo me nominatim notet, neque jam aliud reperisse, quam ut fingeret, me docere, illam Arcadii Legem in Cod. Th. non extare. Atqui etiam profiteor, et in libros Βασιλικῶν, et ab Hispaniæ rege Alphonso in suas Partitas, et ab Imperatore Carolo iv. in auream (ut vocatur) Bullam esse relatam. Expunctam tamen esse paulo ante tempora nostri Justiniani in Gothico Codicis Theodosiani (ut vocatur) Breviario, quale Alaricus Vesogothorum rex Tholosæ olim edidit, ne Biturix quidem ille negaverit. Sed neque dissimulo quædam in ea tam acerbe scripta esse tantum ad terrorem, quorum nulla esset executio;

ut Symmachus Epist. lib. I. et Sozomenus VII. 12. admonent sæpe multa severissime edixisse Theodosium ad terrorem tantum et comminationem quandam.

Hic vero quia in hunc sermonem incidi, juvat asscribere quidpiam ridiculum quod non erit alienum a re proposita. Narrabat hesterno die mihi amicus quidam meus, quendam suum vicinum, non jam dicam Canonistam (quia nimis jam tritum et vetus hoc verbum est) sed (ut elegantius jam dici ille vult) Canonicolam ex juris decoctorum abortivo genere, qui cum forte audisset ad d. l. quisquis, alludere atque accedere quod scriptum est in cap. 'si quis XXII. q. v.' et in ejus capitis inscriptione (ut erat lusciosus) legisset 'Augusti,' pro 'Augustini,' declamavit triumphans, in Decreto, ut loquebatur, allegari Edicta Augusti Cæsaris, ut in Euangelio. Quid elegantius, subtilius, acutius dici potuit ab insulso utriusque juris præcone? sed cum, qui hoc mihi narrabat, jussisset talem pecudem in suo stabulo, si non fœnum, at certe paleam suam esse, miratus tam fungos ullos esse homines posse, qui in ejus auditorio sedere possent, rogavit serio, ecquid sentirem de illo, quod in Gratiani farragine legebatur, et nunc sæpe laudabatur, capite.

Ego respondi, nequidem Augustini illud mihi esse videri: tametsi et in Gratiani libro, quem nuper Plantinus excudit, emendatum ab homine alioquin non indocto, etiamnum Augustino asscribatur. Vellem equidem esse Augustini: ut opportune dicere possem, id in Africana Ecclesia decretum esse eodem tempore, quo in Oriente non dissimilis lex ferebatur: d. l. 'quisquis.' Et illud quidem adversus Gildonianam factionem, ut hæc adversus Rufinianam. Sed ubi Augustini libros omnes legi, nihil reperi tale: et inscriptionem illius capitis propterea mendosam esse sensi, sicuti et mentio 'Regis' indicat non esse Augustini, et verba significant esse potius Canonem cujusdam Consilii. Cum autem sollicite quærerem cujus potissimum Consilii esse posset, commode venit in mentem, quod annis post mortem Augustini ducentis decretum fuit in Concilio Toletano quarto, non dissimili formula, magnaque cum majestate, adversus perduelles, principum suorum hostes. Et quidem illi synodo, quæ id unum potissimum egit, primo loco, subscripsisse Narbonensem Archiepiscopum in Actis legimus: ne quis nunc dicat Hispanicam modo, non etiam Gallicam fuisse synodum, quæ tam diligenter cavere voluit majestati, vitæ, capiti et saluti suorum regum. Sed et in Concilio Toletano X. repetitum est, Canonem, de quo loquor, Sanctionem esse, quæ (ut illi patres loquuntur) cum Legalibus Institutionibus consentiat. Et in Concilio Toletano V. cautum fuit, ut illa in omnibus deinde Conciliis repeteretur. Non temere est, quod placuit non modo præsenti pœna et supplicio legitimo deterreri reprimique audaciam perduellium, sed et alio terrore divinæ ultionis obstringendas eorum conscientias esse: memorabile est, quod Ulpianus Græcus Interpres Demosthenicæ Orationis in Midiam, annotat, Athenis prope Curiam Areopagiticam, in qua agebantur causæ capitales, fuisse templum Eumenidum, ut si qui effugerent eluderentve hominum judicium, at saltem sentirent vindices Furias: sicuti et Cicero de Legib. lib. I. cum conquestus esset, sæpe indicia nulla esse, aut si sunt, plerumque esse falsa, adjicit, semper tamen adesse ultrices Furias, 'ut sceleratos torqueant, non ardentibus,' inquit, 'tædis, ut in poëtarum fabulis, sed angore conscientiæ fraudisque cruciatu.' Et vero ipse Ambrosius in sua

oratione habita in funere Theodosii, paulo antequam lex Arcadiana lata esset, terrorem, quem dixi, imprimis incutit. Nam posteaquam fidei militum et ducum Aulicorum commendavit salutem juniorum principum Arcadii et Honorii, tandem intonat illud: 'Maximum et Eugenium tyrannos miserabili exemplo apud inferos testari, quam durum sit arma suis principibus irrogare.' Sic Pacatus in Panegyrico, vivo Theodosio, ostendens præsentem Maximi illius cædem, exclamat, 'Tale exemplum inspiciendum ei esse, qui imitari Maximum instituerit.' Sed cum mortuo Theodosio vindice, videret Ambrosius talem vindictam minus jam reformidari, saltem proponit alterum terrorem divinæ ultionis: quo tamen cum paulo post Rufinus reprimi non potuerit, quin suo Arcadio insidiaretur, factum est statim militum fidelium præsidio et manu, ut Rufinus ille pœnas dederit, quas Maximus et Eugenius.

Ergo non temere est, quod fateor, cum lege Arcadiana recte conjungi Canonem Toletanum, qui fulminando adversus suorum pincipum parricidas vel perduelles insidiatores, graviter inculcat divinam illam sanctionem, quæ non obscure ostendit, quam inviolabilis et sacrosancta sit regum majestas.

Videbant Patres illi Toletani cum suo optimo rege Sisenando, quanta tunc esset barbarorum audacia et infidelitas, et præsertim Gothorum adversus principes suos in Hispania. Nam et Annonius, rerum Francicarum scriptor antiquus, II. 20. testis est, Gothos illos vitium hoc (ut ait) in consuetudinem vertisse, ut si rex iis displiceret, statim eum interimerent. Quamque verum id fuerit, etiam ostendit Rodericus Toletanus Hispanicæ Historiæ III. 20. Ergo illo seculo attoniti reges Hispaniæ in tali tantoque periculo confugerunt ad præsidium Ecclesiæ. Hæc vero, cui alia arma deerant, et quæ simul videbat ferocem populum vix ulla lege reprimi, aut legitima pœna deterreri posse, judicavit illud superesse, ut conscientiæ aliquo terrore, et religione constringerentur, ipsasque etiam manus talis metus constringeret. Itaque in Concilio Toletano, quanta fieri maxima potuit gravitate, de divino judicio episcopi verba faciunt, et quænam post hanc quoque vitam ultio maneat perduelles, exponunt, et terribile propterea iis anathema denunciant, qui impias manus inferrent suis regibus. Denique jubent hoc velluti fulmen sonare, sæpiusque tonare in ecclesiasticis concionibus ad populum deterrendum et obstringendum quodam veluti exemplo illius devotionis et stipulationis, quod 'tonitru Christianorum' vocatum fuisse scribit B. Hieronymus in Epist. ad Galatas. Denique et in Conciliis sæpe id repeti et exaggerari placuit ut et factum fuit in Concilio Toletano VI. ubi etiam quodam veluti exemplo legis civilis et Sti Silaniani, damnandos quoque esse regum successores, qui cæsorum mortem non vindicarent, placuit. Neque vero inanis fuit Toletana illa cautio, sanctioque. Nam per eam factum esse videtur, quod narrat Rodericus II. 21. ut eo tempore ab omni perturbatione (sicut loquitur) adeo quiesceret Hispania, ut nullus in ea infidelis (utor verbis Roderici) inveniretur, qui arma sumeret ad rebellandum. Imo res eo evasit, ut jam crederetur inexpiabile esse hoc crimen, vel si rex veniam dedisset: et propterea dubitaretur, num in ecclesia pœnitentes perduelles, qui veniam a rege impetrassent, pacem (ut vocant) et jus sacræ communionis impetrare possent: proptereaque fuerit necesse, ut in Toletano Concilio definiretur, posse. Illud interea minime prætereundum est, patres Toletanos posteaquam de obse-

quio et fide subditorum, ut appellantur, quam ii debent suis regibus, diligenter et graviter locuti sunt, admonuisse vicissim ipsos quoque reges sui officii, ut cum pietate et justitia regnent: quæ certe optima est cautio, ratioque continendi populi. Vetus enim et illud: 'ut ameris, amabilis esto.' Et ineptum esse videtur, de unius modo partis, non etiam de alterius officio agere: cumque de corporis perpetuo obsequio multa dixeris, nullum verbum facere de justo capitis imperio. Certe inter populum et principem, quædam (ut nostri loquuntur) ultro citroque obligatio: ut et inter vasallum et dominum dicitur esse fides reciproca, et quoddam conjugium, ut in Libris Feudalibus appellatur. Nam et olim lege Romana inter clientem et patronum mutua quædam debitorum officiorum ratio: scriptumque propterea in XII. Tabb. fuit: 'Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto.'

CASP. BARTHII NOTÆ

IN PACATUM,

EX EJUS ADVERSAR. XVIII. 13. XXIV. 2. XXV. 13.

CAP. I. § 3 *Ultra quam alias*] Vides, lector, quam hæc deceant Atticum et cordatum oratorem. At quam bardum glossema intrudant: *N. c. t. a. u. o. r. p. l. o. n. p. u. q. a. prædicatus es.* Quod sane monachico suo schemate deinceps non mentietur Pacatum. Et phrasis ipsa *prædicatus es*, quam claustrum sapit!

Quo in te præditus] Quam languidum, imo quam elumbe est illud, *quo in te præditus est*, vigore Pacati indignum! Deinde ad τὸ *satisfieri* relatum, quam nullius operæ! Me sponsore utetur, qui mecum leget, *pro amore, quo in te prædives est, satisfieri.* Ita et quo referatur, utrumque habebit, et vigor Attico oratori suus non claudicabit. Estque ad satisfactionem ditibus creditoribus difficilem allusio.

Transalpini sermonis horrorem] 'Horror' est cultui contrarium vitium in oratione: 'Habuit vires agrestis ille sermo atque horridus sine nitore ac palæstra.' Verba sunt Ciceronis de Leg. lib. I. Idem de Fin. lib. I. 'Sed ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quædam ac horrida.' Tacitus de barbaris Hist. II. 'Truces corpore, horridi sermone.' 'Horride' et 'inculte dicere' idem Cicero alibi conjungit.

Quam de eorum fonte manantem] Melius legas, *his ostentare facundiam; quam de horum, &c.* et ita reliquisse Pacatum autumo, nisi malis omnino, *quorum de fonte manantem.* Et magis est, ut istam sequamur lectionem. Librario non accuratissimo facilime sonus syllabarum imposuit. Vulgata lectio, cum penitius inspicias, nec satis Latina apparebit. Locus iste mutilus a doctis merito judicatus; nobis admodum pueris videtur non minus dextre suppletus, quam cuilibet eorum. Absit verbo Nemesis. *Barth.* Adv. XVIII. 13. Nihili lectio: nescio an ab aliis correcta. Nobis videbatur reliquisse Pacatum, *quorum de fonte,*

&c. Id poscit ipsa sententia. *Idem* XXV. 13.

§ 5 *Habeam timere quod video, quod timeam*] Cæteri inserunt voces. At Livineius et Acidalius τὸ *video* repetendum acute viderunt; modo probassent satisfacere Pacato. Qui cum non minus immo magis præsentes eloquentissimos viros et Romani senatus principes videat, quos alloquitur, quam illos, quos imaginario metu usque a Catonum cascis ætatibus accersit, cadit omnis conjecturæ honos. Omnino enim opus est verbo quod ad præsentes non possit deflecti, alioqui stupide sit argutator. Ego arbitror in sequentibus tale duobus voculis *quid ergo* latitare, olimque scriptum *quid ergo;* qua scriptura signatur *quero* ab his duobus deducendum verbum complexum sinu teneri. Legam igitur, *quasi parum habeam timere quod video, quod timeam quæro. Quid ergo, &c.* Hoc genus scripturæ veteris cum in PP. Florentinis multoties occurrat, sæpe etiamnum fallentes nævos scriptoribus intulit. Hoc sane loci aptius adhuc extusum nihil est. Nec moramur diphthongum in altero illo, quod in duobus verbum quæsivimus; cum in paullo veterioribus codd. vix ulla usquam appareat.

Cap. II. § 1 *Æstus*] Curas aut impedimenta fortunæ adversa quæcumque notat. Musæus: *Ἵστατο κυμαίνουσα πολυκλαύστοισι μερίμναις.* Virgilius Æn. VII. 'Cuncta videns magno curarum fluctuat æstu.' Minutius Felix: 'In contrariis ac repugnantibus jactetur æstu ac fluctuetur.' Alcimus Avitus: 'Curarum volvitur æstus.'

Cadentem excipit solem] Poëticum solem cadere in undas. Boëthius de Consol. lib. III. 'Cadit Hesperias Phœbus in undas.' Ridiculi poëtæ, qui aureo poculo innixum transire mare, nescio quo arcano intellectu sciverunt: *Ἅλιος δ' ὑπεριονίδας δέπας ἐσκατέβαινε Χρύσεον ὄφρα δι' ὠκεανοῖο περάσας Ἀφίκηθ' ἱερᾶς ποτὶ βένθεα νυκτὸς ἐρεμνᾶς.* Verba sunt Stesichori.

Sociale miscetur elementum] Est terrarum usui adjungere pelagus, navigando videlicet: nisi quid remotius isthic latet. Fuit cum ætherem deficientem Œcumenem excipientem intelligendum suspicatus sum, et scribendum *Joviale.* Jovis enim appellatione semi poëtico stilo hujus Pacati æther intelligitur. Tamen nihil mutandi auctor sim.

§ 2 *Coacta laudatio*] Felicitati temporum accenset Tacitus Hist. I. 'Cum sentire quæ velis, quæ sentias dicere licet.'

§ 3 *Auras plausuum publicorum*] Ob mutabilitatem favoris popularis dicit, et ita scriptores solent. Boëtius: 'Vos nisi ad populares auras, inanesque rumores recte facere nescitis.' Prudentius in Symmach. l. II. Quintilian. XI. 1.

Cap. III. § 2 *Cæli plagam*] Quod divinis rebus operantes faciem Orienti obvertere dicit, illustrat Virgil. Æn. XII. 'Illi ad surgentem conversi lumina solem Dant fruges manibus salsas.' Valerius Flaccus l. III. 'Imperat hinc alte Phœbi surgentis ad ortus Ferre manus.' Vide et Pseudo Hermetis Asclepium. Sed et aliæ superstitiones erant hujus generis. Ut ex Cassio Dione didicimus statuas fronte ad orientem solem versa collocatas; ex Diogene Laërtio Athenienses cadavera adversus Orientem sepelisse. Qua de re in libris de superstitione priscorum.

§ 4 *Replicare caussas*] Contrario dicto opus erat. Itaque Livineius ex editis et scriptis *parcam* τῷ *placet* substituit. Tamen alii codd. vulgatæ adsentiuntur, ut aliud sine dubio lateat. Suspicabar olim abbreviaturam locum mendo fecisse, et scriptum fuisse primitus, *Sed piaculare replicare caussas.* Quod ita conceptum fuerit à librariis, *sed pclare,* unde quam facile illud fecerit asinus aliquis?

Placatum vulgus] Mox de medicis loquetur multis. Ulla vero *vulgi* hic mentio nihil habet, quod agat. Quare ego reducendum arbitror, quod doctis placuit, *vulnus*, vel quoniam hoc infra nominatur *ulcus*. Quod vero acutus alioquin Livineius Latinum non esse *ulcus placare* inferat, hominis bene meriti de republ. gratia transibimus, contenti monuisse poëticoteron horum auctorum dicendi genus sæpe apud vates lectum meminisse: 'iras vulneris,' 'implacatum dolorem,' 'sæviens ulcus' seu 'vulnus,' et mille talia, quæ optimam Livineii mentem non subibant. *Vulgus* sane inepte dicitur *offendere*, qui in senatu perorat. Quod cogitare debebant isti.

§ 5 *Manu pendente*] Levi. Sidonius, 'Pendens rota sulcat inanem Aëra.' Hoc est, levissima. Loco ipsi similis apud Claudianum.

Per sententias isse] Huic loco legitimus fuit medicus idem Livineius. Duo Mss. habuerunt *persentiasse*, ut eidem proditum, qui emaculat, *per sententias isse*. Acute vereque. Ego eamdem scripturam ante ejus notas apud Ubios in libro chartæ inscripto videram, et legebam, *persentes isse;* ut supra 'manum pendentem' dixit, ita hoc loco *persentes* iturum, ne sepultus dolor recrudesceret duriori palpatione. Utram lectionem malit eruditus lector, habebit Pacato dignam.

Cap. iv. § 2 *Terra felicior*] Hispaniam omnibus terris terram feliciorem vocat, consentiente Mela lib. ii. cum aliis innumeris. Lusitaniæ fertilitatem laudat Athenæus lib. viii.

§ 4 *Metalla gemmarum*] Hispaniam metallorum fertilem laudat consensu Diodori Siculi, Polybii l. iii. Capellæ l. vi. Plinii iv. 20. *Metalla* vero *gemmarum*, ut marmoris Papinius et alii, dicit noster Pacatus, de quo vocabulo vide quæ notat ad Agrimensores eruditissimus vir Nicolaus Rigaltius.

Aliquando nonnullis gentibus] Mendosam vocem notat ratio. Rationem juvant libri, qui *aliqua* reponunt. At nobis non est dubium *aliquanta* reliquisse Pacatum, hoc est, *aliquot*, ut voce ea cadens Latinitas est usa, licet de numero non parvo sæpius. Orosius iii. 13. 'Hæc cum per aliquantas Græciæ civitates exercuisset.' Spartianus Adriano: 'Non solum amicis, sed passim etiam aliquantis multa largitus est.' Vegetius iv. 40. 'Tamen quia diversis casibus aliquanta mutantur.' Aurel. Victor Annibaliano: 'Conspiravere in ejus necem aliquanti militares.' Eutropius lib. iv. 'Aliquanta et ipse oppida Numidiæ cepit.' 'Mulcere aures' proverbio simile est, de delicatis sermonibus. Appuleius Milesia i. 'Aures tuas bibulas lepido susurro permulceam.' Fulgentius Mythol. i. 'Tuarum aurium sedes lepido quamlibet susurro permulceam.' Ita legendum apud Fulgentium, cum invenuste 'quolibet' in libris omnibus editum sit. Cum 'quolibet' sermone minime usus sit, nec ultra libitum velit narrare auctor.

§ 5 *Durissimos milites*] Hispaniam durissimos milites ferre autumat, consentiente Floro ii. 6. qui 'bellatricem viris armisque nobilem' vocat Hispaniam; Silio, qui 'bellorum matrem;' Livio, qui Hispanos 'bellicosam gentem;' Frontino Strateg. ii. 8. qui 'robustum militem;' Manilio lib. iv. qui 'solidos Hispanorum artus' laudat.

Delos reptata] Delon quod reptatam numinibus dicit, expressit, ut puto, Claudianus: 'Cretaque se jactet tenero reptata Tonanti.' Et illi poëtæ non injucunda Pacati imitatio, ut mox, 'alumno Hercule nobiles Thebæ:' Claudianus, 'Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas.'

Fidem constare nescimus auditis] Herodotus, ὦτα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν, bis,

si satis memini, dicit. Seneca Epist. VI. 'Homines amplius oculis quam auribus credunt.' Plautus: 'Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem.' Livius: 'Oculis quam auribus magis credimus.'

CAP. VI. § 1 *Difficilis conjectatio est*] Legendum *consectatio*. 'Consequentiam' hodie sophistæ in scholis vocant.

§ 3 *Non frustra plane*] Ex nostra correctione legendum, *non frustrata plane opinione sapientium*. Scitum vero vetus in tragœdia est: πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυράννιδος. Plinius Panegyrico: 'Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis et dignitas oris, adhoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine munere quodam Deum festinatis senectutis insignibus ad augendam majestatem ornata cæsaries, nonne longe lateque principem ostentant? Talem esse oportuit, quem non bella civilia nec armis oppressa respublica, sed pax et adoptio et tandem exorata terris numina dedissent.' Quæ verba adscripsi, quia ut a pulcritudine Pacatus, ita a majestate formæ Plinius divinam originem principis concludit.

Arcanum cæleste rimari] Isdem verbis Minutius Felix Octavio: 'Desinite cœli plagas et mundi fata et secreta rimari.' Nec minus Alcimus Avitus: 'Edita vel cœlo vel tetro mersa profundo, Rimari, inque sacras Naturæ irrumpere leges.' Ea est enim vera Alcimi scriptura a nobis ex Mss. producta; vulgo male *cavas N. i. l.* editur; quasi leges Naturæ nullius æstimationis sint.

CAP. VII. § 4 *Vitiorum turbo*] Eleganti similitudine a fluctibus maritimis dictus. Herodianus lib. I. 'Ὁρᾶτε δή μοι τὸν υἱὸν, ὃν αὐτοὶ ἀνεθρέψασθε, ἄρτι τῆς μειρακίων ἡλικίας ἐπιβαίνοντα, καὶ δεόμενον ὥσπερ ἐν χειμῶνι καὶ ζάλῃ τῶν κυβερνησόντων, κ. τ. λ. Euripides Hippolyto Coronifero: Κακῶν δ' ὁ τλάμων πέλαγος εἰσορῶ Τοσοῦτον, ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν. Sic 'vitæ salum' legere memini apud Boëthium: 'negotiorum' apud Menandrum, citante Athenæo lib. XIII. 'Fluctus adolescentiæ' Eumen. Panegyr. Similia apud Appuleium lib. XI. Heliodorum, alios.

CAP. VIII. § 1 *Adscribenda Fortunæ*] Cum nihil Fortunæ adscribendum ex gestis Theodosii dicit, Ciceronem pro Marcello æmulatur, qui C. Cæsari eodem modo adulatus est.

§ 2 *Sceptro et solio*] Duo vera insignia principatus conjungit, quæ ab auctoribus assolent. Valerius Flaccus lib. II. 'Vacuæque in mœnibus urbis Jura novant, donant solio sceptroque paterno.' Hoc est, reginam faciunt. Vide quæ ad Claudiani priorem in Eutropium notamus.

Filiis tristiores] Videbatur ex Sacris Literis petitum, ubi inter Siracidæ Solomonisque præcepta verbatim visitur. Lege Senecam, cur bonis mala contingant.

CAP. IX. § 2 *Futurum principem comens*] Quid est illud *futurum principem comens*, aut quo pacto comere fæmineo quodam verbo inter viriles et potentiæ tam civilis quam militaris laudes, Fortuna principem, nec dum principem dicetur? Ego vero ad laborem, quem Fortunæ ipsi in constituendo tanto Imperatore tribuit adulator, hoc referri debere æstimo, et legendum, *futurum principem conans*. Hoc est, tota occupata in tanti viri rudimentis. Pariter de Phœnice Claudianus noster: 'Parturiente rogo cunis Natura laborat Æternam ne perdat avem.' 'Conandi' verbum longum laborem notare alibi docemus. Mirum vero silere tot scriptos codd. excusosque Livineii, ipsum quoque, alioqui accuratum et non paullo melioris judicii, quam umbræ illæ criticorum de genere papilio-nio.

§ 3 *Temporum vices*] Eleganter dicuntur, quæ mutuo sibi et per vices

succedunt. Arnobius lib. II. 'Non credentes vos frugem percepturos vicibus temporariis.' Curtius: 'Chaldæi statas temporum vices ostendere.'

§ 4 *Aliqua, &c.*] Vox *corporis* suspecta nobis est. Nec de voce *aliqua* constat nobis judicium. Si ad meum liceret ista arbitrium refingere, facerem, *Sæpe oblique te laborem tibi injunxisse.* Quod eleganter oppido dictum foret. Et mox, *torpore veternum.* Licet de hoc nolim pertendere. Mentem enim Imperatoris ut cœlestem et divinam sorti eximit, corpus posse contrahere desidia veternum autumans. Sed hæ meræ conjecturæ sunt.

§ 5 *In gremio Capitolini Jovis*] De gremio Capitolini Jovis, in quem laureas deposuisse rusticos Romanos ait, clarus mos triumphantium ex Dione lib. LIV. Καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τὴν δὲ δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ Διὸς γόνατα κατέθετο, κ. τ. λ.

§ 6 *Palmatas*] Missas per arva palmatas simillime expressit Manilius: 'Fascesque per arva Tradidit, eque suo dictator venit aratro.'

§ 7 *Ligone versanda*] 'Vomere versare' pro arare poëtica phrasis est. Valerius Flaccus lib. I. 'Atque imum felix versabat vomere Olympum.' Silius lib. XIV. 'Vomere verterunt primum nova rura Sicano.'

Injuria opus] Coactam, ne dicam futilem explanationem hæc verba habent, quocunque modo ea vertas. Scribendum utique, *Ne incuria opus reverteretur ad dominos.* Ne in suum ipsis sinum rediret incuria, hoc est, ne neglecto opere domini egere cogerentur, quibus famuli, qui vicariam operam præstarent, non essent.

Juberent] 'Jubere' est imperare absolute quoque Latinum. Florus II. 6. 'Pudebat nobilem populum ablato mari, raptis insulis, dare tributa, quæ jubere consueverat.' De quo alibi pluribus.

CAP. X. § 3 *Dux consilio esse*] Laudantur in principibus aut imperatoribus hæc persæpe junctim. Sallustius de Catilina: 'Strenui militis et boni Imperatoris officia simul exsequebatur.' Ammianus initio lib. XVII. 'Opere conturmalem auctoritate magnificum ducem.' Vide Silium lib. I. Lucanum, Polybium lib. II. Appianum de Masinissa in Punica, de Antigono in Syriaca, alios.

§ 4 *Alios Imperatori pugnare*] Simillime de Germanis Corn. Tacitus: 'Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.'

CAP. XI. § 1 *Oblatum imperium deprecatus es*] 'Magnum enim delata potestas, Majorem contemta probat' secundum Claudium nostrum. Scitum hoc etiam Pompeio, qui gloriæ majoris putabat, si velut invito summa belli sibi permitteretur. Vide Dionem lib. XXXVI.

CAP. XII. § 3 *Vitæ tuæ sectam*] Hoc est, velut regulam quam in omni vita sequendam duceret. Ausonius: 'Qui sim, qua secta, stirpe, lare et patria.' Hoc est, quo vitæ instituendæ consilio. 'Christiana secta' apud Tertullianum Apolog. III. et V. Arnobium lib. I. 'Homerica secta' Macrob. V. 16.

CAP. XIII. § 2 *Luxus infecerat*] Orientales provinciæ deliciis semper infames. Firmicus Astron. 'Luxuriosi semper Asiatici.' Multoties Claudianus, præcipue in Eutropium.

A te voluisti incipere] Idem divinus poëta: 'In commune jubes si quid, censesque tenendum, Primus jussa subi.'

CAP. XIV. § 1 *Fluentes*] Sunt ultra modum delicati, qui præ nimia mollitudine nec stare fere possint. Velleius lib. II. 'Molliciis pene ultra fœminam fluens.' Boëthius de Consolat. lib. III. 'Hi felicissimum putant voluptate diffluere.' Paulinus: 'Quos simili luxu non fluitare vides.' Hinc

extreme molles 'fluxi' appellantur. Martialis lib. v. 'Spadone cum sis eviratior fluxo.' Sidonius: 'Fluxus odoratis vexat venatibus Indus.'

Hibernæ poculis rosæ] Hibernas poculis rosas dicit asservatas inibi per hiemem: ut Martialis: 'Miserat hibernas ambitiosa rosas.' Poculis, quia bibebant folia rosarum vino mixta. Auctor Plinius.

§ 2 *Colchus*] Delicatos cibos Colcho petitos, phasianos innuit, quos ipsos et Manilius his versibus: 'Arcessitur inde macellum, Unde aurata novo convecta est æquore pellis.' Mox probari hoc solum ait, quod naufragio quæratur. Plane ex Petronii Satirico: 'Arata Syrtis Si quid naufragio dedit, probatur.'

Cap. xv. § 1 *Sequaces discipuli*] Ita codices scripti. Sed vocem *sequaces* ego exstirpandam arbitror, quam intrusit inferioris ævi quidam, *discipulos* illos Imperatorios ad captum seculi sui, et ne quis scholam somniaret videlicet, interpretari satagens. Dicuntur autem ævo jam inclinato *sequaces* absolute sectatores alicujus, aut discipuli. Sidonius Epist. vii. 17. 'Cujus disciplinæ si qui rebelles, castiga; si qui sequaces, ipse collauda.' Fulgentius lib. i. Mytholog. 'His te, Fulgenti, tutricibus spoponderam largitum, quarum sequax si fueris, celeriter raptum ex mortali cœlestem efficient.' Cassiodorus Orthographia: 'Sed labor nobis antiquorum omnino servandus est, ne nos auctores earum rerum mentiamur, quorum sequaces esse cognoscimur.' Hanc vocem restituendam puto Justiniani Imperatoris rescripto l. unic. C. de Rapt. Virgin. 'Sin autem in ingenuam personam tale facinus perpetretur, etiam omnes res mobiles, seu etiam immobiles et se moventes tam raptorum quam eorum sodalium, comitum vel sequentium, qui in iis auxilium præbuerint, ad dominium raptarum mulierum liberarum transferantur sententia judicum.' Scribendum suspicor, 'vel sequacium.' Quod sane inhonestius est vocabulum, et rei convenientius, ut de stilo temporum non memorem.

Cap. xvi. § 2 *Indutum purpura*] Purpuram Imperatorium Romanis insigne docet Herodianus lib. i. et libro vi. μετὰ μάρκον. Adeo quidem ut et in acie purpureo paludamento uterentur. Nec eo contenti etiam aquilas seu dracones, purpureis tegumentis ostentabant. Ammianus lib. xvi. 'Quo agnito purpureum signum draconis summitati hastæ longioris aptatum, velut senectutis pendentis exuvias, stetit unius turmæ tribunus.'

§ 4 *Spes oculique reipublicæ*] Viros præclaros *oculos* vocat reipublicæ, phrasi usitatissima vulgo; sed cujus elegantia paucis sit perspecta. Sic præcipue 'parentum lumina' appellantur filii. Euripides Andromacha, et apud Stobæum Sermone lxxiii. Theocritus Eidyl. xxviii. Quintilian. Præfat. lib. vi. Festus in 'orba.' Paulinus in obitum Celsi. Alcimus Avitus lib. iii. Ausonius Parentalium v. vitæ Patrum in Sebastiano. Hinc *oculi* præstantissima rerum decora. Σικελίας ὀφθαλμὸς Pindaro Olymp. ii. Στρατίας ὀφθαλμὸς ibid. Od. vi. 'Amatorum oculi' amici apud Heliodorum lib. ii. 'Aularum oculi' eunuchi ibidem lib. viii. 'Græciæ oculi' Orosio i. 13. 'Romani status lumina' ii. 5. Portius Latro in Catilinam: 'M. Catoni et P. Scipioni clarissimis luminibus temporum suorum.' Achilles Tatius de Rosa lib. ii. Γῆς ἐστὶ κόσμος, ὀφθαλμὸς ἀνθῶν, λειμῶνος ἐρύθημα. Heliodorus lib. iii. Τὴν δὲ κορωνίδα τῆς πομπῆς, καὶ ὀφθαλμὸν ἀληθῶς τὴν σὴν θυγατέρα γνωρίζοντες. Atque hinc ductum, quod charissimos quosque *oculos* dici priscis, observandum duximus. Sophocles Ajace verbis Teucri: Ὦ φίλτατ' αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ' ἐμοί. Et res etiam

amore observandas. Idem Tyranno: Καὶ μὴν μέγας ὀφθαλμὸς ὁ πατρὸς τάφος. Quia videlicet velut proverbium aliquod celebratur, 'amor oculorum.' Callimachus in Dianam: Καὶ δέ σε φασὶ Καλὴν 'Αντικλείαν ἶσον φαέεσσι φιλῆσαι. Moschus in Megara: Δύσμορος, ἥτ' ἐπεὶ ἀνδρὸς ἀμύμονος ἐς λέχος ἦλθον, Τὸν μὲν ἐγὼ τιέσκον ἶσον φαέεσσιν ἐμοῖσιν. Ut mariti vel sponsi 'oculi' appellantur, quod supra de filiis notavimus. Heliodorus lib. II. Ὡς σφόδρα δέδοικα μὴ εἴς σε τείνοι, τὸ ἐνύπνιον, ὃν ὀφθαλμὸν ἐγὼ, καὶ ψυχὴν, καὶ πάντα ἐμαυτῆς πεποίημαι.

Cap. XVII. § 1 *Ostentatrix vetustas*] De vetustate ostentatrice Lucanus legendus lib. IV.

Cap. XVIII. § 4 *Adsistere Fata cum tabulis*] Hæc nonnullorum scriptorum traditio de summo Deorum. Lege Claudianum Bello Gildonico, Martianum Capellam lib. I.

Verba re sancias] 'Verba re sancire' eleganter dicitur, qui facto dicta confirmat. Silius lib. III. 'Verba ocyus acer Intorto sancit jaculo.' Lib. XV. 'Dicta horrida ferro Sancit.'

Cap. XIX. § 1 *Mentis candore*] 'Mentis candor' est amabilis et non fucata quædam simplicitas, dolum exosa. Victor in Genesi, 'Præsentit candidus Abel Invidiam fratris.' Alcimus Avitus lib. II. 'Mens intactos servabit candida visus.' Idem lib. VI. 'Nec enim ulli candida virtus Invidet.' Sic 'candida lætitia' apud Nazarium principio Panegyr. Repentinam felicitatem non solum attonitos facere, quod heic dictum Pacato, sed plane perimere, testes qui ita perierunt, inter quos Chilonem unum e Septem Sapientibus connumeres licet, Laërtio scriptore.

Cap. XX. § 3 *Ut graviorem semper putaverint*] Alterum *semper* non sine Gratiis ejicit Livineius. At nobis tamen posterius in syllabis sequentis verbi videtur ingenuitatem suam perdidisse. Scribo, *ut graviorem sempiterna putaverint servitute contemtum.* Romanæ historiæ testes, eum populum sæpe cum periculo perpetuæ servitutis contemtum vindicasse.

§ 5 *Crudelitatis exstare vestigium*] *Vestigium* est rei cujusque minimum indicium, ut 'vestigium superbiæ' apud Demetrium Phaleræum Latine exprimente Rutilio Lupo libro secundo.

Cap. XXI. § 2 *Vota hominum tuorum*] Male Livineius in *omnium* commutat. Ambitio enim scriptoris quasi unum generis humani monarcham agnoscit Theodosium.

§ 4 *Odiosa viatoris manus*] Scribendum arbitror *negociosa*, quasi ea in re legitime occupatam dicat.

Cap. XXII. § 4 *Famosa funeribus*] 'Famosum' pro celebri usurpant in bonam partem Livius, Tacitus, Prudentius, Orosius, Festus, Capella, alii.

Cap. XXXVII. § 2 *Speculo frontium*] In hanc jam scripturam consenserunt docti. Quam tamen nec libri, nec ratio admittunt. Libri duo Livineio collati, alter *sentium*, alter *fortium* habet. Scheda hujus Panegyrici chartacea Coloniæ olim apud Michaëlem Mascerelium hospitem meum inventa, diserte *fontium* agnoscit. Ratio vero in universum omnis vetat, ut a vultu ad frontem, sive ab hac ad illud, a parte ad totum, tamquam ab re externa similitudo ducatur. Deinde quis me feret ita loquentem? 'Affectus tuos proditor mentis vultus enuntiat, non secus ac in frontium speculo imago animorum est.' Vultus ipse sit speculum animorum, cur frons novum genus faciat proditionis? Quod si distinctione rei velis succurrere, quæ citra rationem blanditur, τὸ *ita* necesse habebis delere, alioqui cum præcedenti sententia nulla erit copula; nugæ maximæ, ut videbis eo melius, quo penitius contueberis. At mihi dubium non est, poëticam al-

lusionem hic subesse et fraudi Pacato fuisse; qui ut in fontibus imagines inspectantium redduntur, ita animos hominum vel affectus in vultibus videri posse elegantissime scripsit. Omni turbæ occasionem dedit *animorum*, quod in veteri scriptura *annicsorum* fuit. Unde natum *frontes* mox invita ratione, propter vultus vicinitatem attraxit. Leges itaque melius deinceps, *Sed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, ut in speculo fontium imago exstat annixorum.* Qui rectius stabit ad fontem, imaginem non satis bene suam videbit, qui adnitetur, in speculo velut depictam videbit. Speculum sane primigenium aquæ apud pastores Theocriticos et Maronianos, quos, longo licet intervallo, sequitur tamen Calpurnii nostri avena Ecl. II. 'Fontibus in liquidis quoties me conspicor ipse, Admiror toties,' &c. Hieronymus in Jovinianum II. 7. 'His igitur rationibus invitati philosophorum multi reliquerunt frequentias urbium, et hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, et arborum comæ, et susurrus avium, et fontis speculum et rivus immurmurans,' &c.

THOMÆ WOPKENSII
IN LATINI PACATI DREPANII
PANEGYRICUM
THEODOSIO AUGUSTO
ANIMADVERSIONES CRITICÆ.

CAP. III. § 1 *De te igitur mihi sermonis hujus auspicium erit ille felicitatis publicæ auspex dies, qui, &c.*] *Sermonis auspicium erit ille dies* dicitur, ut Tacitus Histor. I. 1. 'Initium mihi operis Serg. Galba iterum, T. Vinius consules erunt.' Et Justinus XLIV. 1. 'Hispania .... hujus operis finis futura est.' Sed quia in hac scriptura incomptius vacare videtur illud *de te*, omnino eorum accesserim sententiæ, qui ex codice vetere legunt, *Det igitur mihi sermonis hujus auspicium ille .... dies.* Simile mendum animadvertit Acidalius in his Eumenii Constantio Cæs. c. II. 'De te igitur mihi, Cæsar invicte, hodiernæ gratulationis exordium divinus ille vestræ majestatis ortus, ipso quo,' &c. rescribitque verissime, 'Det igitur mihi,' &c.

§ 5 *In integro itaque rem totam esse faciamus, et ... quæri putemus, quisnam sit, &c.*] *Putemus*, pro supponamus. Lactantius VI. 15. 'Sed putemus, ut ipsi volunt, esse diversa: nempe igitur cupiditatem,' &c. de Opif. Dei c. 4. 'Sed putemus fieri posse, quemadmodum volunt, ut homo,' &c. Salvianus Gub. VIII. pag. 269. 'Putemus ergo, occisos illic non esse sanctos: sed quid faciemus,' &c.

CAP. IV. § 4 *Dum Hispaniæ uni quicquid ubique laudatur, adsurgat*] I. e. Hispaniam veneretur, seve minorem illa fateatur. Virgilius Ecl. VI. 66. 'Utque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis.' Sidonius Epist. IV. 22. 'Quia et ego Plinio ut discipulus adsurgo, et tu vetusto genere narrandi jure Cornelium antevenis.'

Ad quem locum consule eruditissimum Savaronem. *Quicquid ubique laudatur*, idem fere, quod quicquid alicubi laudatur. Eumen. pro Rest. Scholis, xx. 'Siquidem .... locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt; quicquid ubique fluminum oritur et conditur,' &c. Tacitus M. Germ. c. 34. 'Sive adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre solemus.' Hegesipp. III. 24. 'Quicquid ubique est, jus vestrum est.' Ovid. A. Am. I. 267. 'Quicquid ubique virum, dociles advertite mentes.' Sic enim cum Heinsio legerim, pro vulgato 'quisquis ubique viri;' quod exemplis minus idoneis defendere conatur Burmannus. Horatius Sat. I. 2. 59. 'an tibi abunde Personam satis est, non illud quicquid ubique Officit, evitare?' Paulinus Nolan. Poëm. XXXII. 271. 'quia quicquid ubique est, Omne creatoris clauditur in gremio.' Addatur noster infra c. XXVII. 'quam adfert caussam concupiscendi, qui quantum ubique est habet?' Plinius Paneg. c. x. 'Nam qui ubique sunt homines, hoc idem votis expetebant.' Sallust. Catil. c. XXI. 'uti proponeret .... quid ubique opis aut spei haberent:' ubi hoc 'ubique' pro 'et ubi' sumere cum Cortio, non opus est, ut pluribus exemplis ostendamus.

§ 5 *Fidem constare nescimus auditis: deum dedit Hispania, quem videmus*] Grutero æque bonum, si non melius videbatur, *fidem præstare nescimus auditis*. At nihil ejusmodi, sine librorum venia, tentandum: neque ignoraverit vir laudatus probitatem dictionis alterius. Tacitus Hist. II. 96. 'Unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem.' Columella III. 6. 'Sed ubi, plurimis velut emeritis annorum stipendiis, fides surculo constitit, nihil dubitandum est de fœcunditate.' Valer. Maximus VI. 7. 8. 'Nec recusavit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in conjuge proscripto constaret.' Arnobius adv. Gentes, lib. V. p. 163. 'Cui dicto si constat fides, mater quoque dicenda est,' &c. Alcim. Avitus II. 73. 'Nulli certa fides constat vel gratia formæ.'

CAP. V. § 4 *An si ejus seculo mos ille vixisset, quo Rom. duces ... adoptivum insigne sumebant, &c.*] Usitatius esse notat Acidalius *viguisset*, quamvis non damnet *vixisset*. Et sic sane 'vivere' pro manere, superstites esse, valere, res inanimatæ aliquando dicuntur. Infra c. XLIV. 'Hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant.' Cicero in Vatin. c. 9. 'Qui sanctissimas leges, quæ in Gracchorum ferocitate ... et in cruore Cinnano, etiam inter arma vixerunt, solus conculcaris, ac pro nihilo putaris.' Attic. X. 1. 'Ejus igitur mihi vixit auctoritas.' Et intervallo satis exiguo præcesserat verbum 'vigere,' in his: 'in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ in singulis prædicantur:' ut verbum idem hic iteratum fuisse, vix verosimile sit.

CAP. VI. § 1 *Scire obvium est, qua præditus fuerit virtute, qui te docuit, qua fuerit felicitate præditus, qui te genuit. O digna imperatore nobilitas, ejus esse filium principem, qui princeps esse debuerit, qui hunc Romani fastigii apicem .... fortitudine atque sapientia .... potuerit æquare*] Acidal. conjicit legendum *ejus esse filii patrem, qui princeps, &c.* Sed cum in eo potius esse Pacatus videatur, ut filium ab excellentia patris, quam ut hunc ab excellentia filii commendet, cum Rhenano mallem, *ejus esse filium principis* (scil. eum), *qui princeps, &c.* Quia vero in edd. vetustioribus exstat, *O digna, Imp. nobilitas, ejus esses filium principem esse debuerit, qui hunc Romani, &c.* inde ad Dictyn Cret. IV. 15. suspicabar emendandum, *O digna, Imperator, nobilitas, cujus esse filius princeps debuerit, qui hunc Romani, &c.* i. e. O vir nobilitate sua dignus, cu-

jus tu filius esses, qui hunc Romani, &c. Satis autem usitata est illa constructio vocis 'dignus,' ut loco dicto vidimus. Cicero de Consolatione: 'O rem dignam, in qua non modo homines .... erubescere oporteat:' i. e. erubescant. Augustin. C. Dei VI. 1. 'Ut indignissimi viderentur, quibus danda atque servanda deberent vel ista committi:' i. e. committerentur. XIX. 22. 'Unde dignus probatur, cui deberent obtemperare Romani.' Idem Epist. 87. extremo: 'Non fuit dignus qui corriperet, sed dignus plane, qui etiam ipse corripi deberet.'

CAP. VII. § 1 *Dudum, ut video, dedignaris hanc gloriam, sed patere eam in laudum tuarum parte constitui, quæ solebant in aliis sola laudari*] Pro *eam*, quod hic non convenit ob sequens plurale *solebant*, haud male rescribas *ea*, vel *a me*, vel *ea a me:* sed forsitan legendum, *sed patere tamen in laudum, &c.* Confer ista c. XXIV. 'Nam cum revolvi id lustrale justitium aures tuæ respuant, necesse erit me .... aut ingratum virtuti aut onerosum esse pietati. Sed tamen, Imperator, exiguam sensibus tuis injunge patientiam: nam,' &c.

Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret] Verba ista *oportet* et *decet* sic sæpius, quamvis non semper pari modo, distinguuntur. Hegesipp. III. 16. 'Nunc demum cupis, Josephe, vivere, quando non oportet, immo nec licet, immo quod majus est, non decet.' Vide Ciceron. in Orat. c. 22.

CAP. IX. § 2 *Enimvero illa (Fortuna) futurum principem comens, idcirco paullisper voluit esse privatum, ut ... usus civilis experiens sub otii tempore reddereris*] Singularis usus verbi 'comere,' pro instruere artibus virtutibusve idoneis, haud immerito offendisse Barthium et Acidalium videtur; quorum ille Advers. XXIV. 2. restituendum *conans*, hic vero *commentans* arbitrabatur; quæ tamen æque ferme insolentia sunt. Quid si potius scribamus *consummans* vel *complens?* Sed leniore medicina adhibita, reposuerim, *futurum principem condens*, i. e. suum Theodosii ad imperatoriam dignitatem evehendi consilium tegens. Unde modo dictum fuerat, 'Quam tecta sunt semper consilia fortunæ!'

§ 4 *Ut tu vitæ oblitus urbanæ exsequebaris agricolam*] I. e. munus opusque agricolæ. Sidonius VII. ep. 15. 'Licet rure positi strenuos impleatis agricolas.' Ibique Savaro. Et nos id genus plura ad Just. XXVII. 2. ac Sedulium I. 338.

Te .... ne contraheres corporis veternum, cujuscemodi semper opere insidiantis otii tersisse rubiginem] Vox *corporis* nimis hic otiosa est, neque ad corporis magis quam ad animi languorem respicitur; sic ut eodem fere sensu, quo hic *veternum contrahi*, mox dicitur 'virtus quiete languescere.' Ita quoque Plautus apud Servium ad Virg. G. I. 124. 'Opus facere nimio quam dormire mavolo. Veternum metuo.' Non dubito igitur, quin cum Schwarzii codice legendum sit, *ne contraheres torporis veternum*, i. e. torporem tanquam veternum aut veternosum torporem. Sic Virgil. l. d. 'Nec torpere gravi passus sua regna veterno.' Fulgentius Mythol. III. 4. 'Omnis enim caloratus juventutis igniculus torpidæ veternositatis algescit in senio.'

CAP. XI. § 3 *Expostulari hoc loco tecum reip. verbis necesse est, quæ .... tali aliqua te .... voce convenit*] Solet ita verbum 'convenire,' pro compellare, adhiberi, ubi expostulationis aut commonitionis mentio fit. Quinctilian. Declam. V. 2. 'Hunc ante omnia .... secreti doloris indignatione convenio.' Vopiscus in Aureliano c. 41. 'Vel Deos ipsos jure con-

venio, qui talem principem interire passi sunt.' Vide et in Tacito c. VI. Hegesipp. III. 18. 'Alium ducis revocabat auctoritate, ... alium severo obtutu conveniebat.' v. 12. 'Simon suos urgebat terrore et formidine: Romanos Titus pudore sui quam maxime conveniebat.' Sic c. 15. et 16. M. Felix Oct. c. 30. 'Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit aut credit de cæde infantis et sanguine.' Aur. Victor Epit. XLII. 21. 'Adeo ut unus ex iis diceretur locupletium quemque ita convenire: quæ habes?' &c.

§ 7 *Orat ecce te dominus adhuc tuus, et qui posset cogere, mavult impetrare*] Quoniam *impetrare* tam ea dicimur, quæ cogendo, quam quæ rogando acquirimus, non solet ita hoc a verbo 'cogere' distingui. Acidalius putat legendum *mavult imperare*, quod tamen a præcedenti *cogere* non satis distat, nec cum *orandi* verbo consistere posse videtur. Nisi *impetrare* pro orando impetrare hic dictum velimus, conjici inter alia posset, *mavult voluntate impetrare;* ut Terent. Adelph. III. 5. 45. 'Fidem nunc vestram implorat .... quod vos jus cogit, id voluntate ut impetret.'

CAP. XII. § 1 *Solus igitur, Auguste, solus inquam omnium, qui adhuc imperaverunt, ut princeps esses præstitisti*] Merito Gruterus rejicit conjecturam istam Acidalii, *ut princeps esses restitisti.* Alios emta legionum suffragia, alios vacans aula, alios affinitas regia imposuerant reip.: solus autem Theodosius *ut princeps esset præstiterat*, i. e. per se suasque virtutes principatum comparaverat. Minus obscure legeretur, *virtute ut princeps esses præstitisti;* (ut c. VII. 'Virtus tua .... præstitit, ut oporteret te principem fieri:') vel, *ut princeps esse deberes præstitisti;* ut c. X. 'cum omnia faceres, ut imperare deberes.'

§ 2 *Audite hoc publici parricidæ, qui, oblita fide, dominorum sceptra cepistis*] Pro *fide*, Livineius ex Mss. *cæde*, ac de conjectura *obliti*, pro *oblita*, legebat; atque ita plane Mstus Schwarzii, *obliti cæde;* quod ob efficaciam suam hic aptius esse reor, ac facilius depravari quam alterum potuit ab his, quibus minus notus iste usus vocis *oblitus* pro polluto. Cicero Philipp. XII. 12. 'Brutus .... equitatum ad se abduxit Dolabellæ, atque eum nondum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia judicavit.' Prudentius Hamartig. Præfat. extremo: 'Cain triumphat, morte fratris oblitus.' Peristeph. II. 465. 'Discede, adulter Juppiter, Stupro sororis oblite.'

CAP. XIII. § 2 *Impendia palatina minuendo, nec solum abundantem rejiciendo sumtum, sed vix necessarium usurpando dimensum*] Licet Gudio ad Phæd. IV. 4. aliter visum fuerit, tamen cum Gronovio Observ. II. 22. incunctanter lego, *abundantem recidendo sumtum.* Plinius Paneg. c. LI. 'Magis recidere aliquid et amputare ex his, quæ princeps tanquam necessaria reliquit;' ubi in aliis quoque male habetur 'rejicere.' Eumenius Gr. Act. Constantino Aug. cap. XI. 'Plusque in eo consecutus es, quod roborasti, quam recidisti in eo, quod remisisti.'

CAP. XV. § 1 *Quod his te viris semper dedisti, quos affectare publica deberet imitatio*] Hoc est, quos quisque sibi libenter proponere deberet imitandos. Paulinus de V. Martini II. 108. 'Octoginta illuc justa admiratio fratres Traxerat, ad tantæ speculum virtutis, ut inde Sumeret inspectos felix imitatio mores.' Infra c. XLV. 'Cum te ... agmen hostium triumphalibus vestigiis atterentem pictorum atque fictorum assequetur imitatio.' Incert. Paneg. Constantino Aug. c. I. 'Et siquid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiæ imitatio nostra derivat.'

Qui quam faciles tibi fuissent sequa-

cesque discipuli, tam ceteris expetendi essent magistri] Frustra Barthius tanquam glossam delebat *sequacesque*, ut etiam notavit Burmannus ad Val. Flacc. I. 344. Ut hic *faciles sequacesque* dixit Pacatus, ita Plinius Paneg. c. XLV. 'Flexibiles quamcunque in partem ducimur a principe, atque ut ita dicam, sequaces sumus.'

CAP. XVI. § 4 *A te nova benignitate is amicis honos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur, nihilque ex eo ad te redundaret, nisi dandi voluptas*] Minus bene ista *nihilque ... redundaret*, cohærent præcedentibus, ductusque orationis requireret, *exque quo nihil ad te redundaret.* Quamobrem mallem levissima mutatione legere, *nihilque ex eo ad te redundavit, n. d. v.* Sic cap. XV. melius editur, 'his te viris semper dedisti, quos affectare publica deberet imitatio, qui quam faciles tibi fuissent sequacesque discipuli, tam ceteris expetendi essent magistri:' quam quod in nonnullis exstat, 'quamque faciles tibi fuissent,' &c. Inficiari interim nolumus, non deesse constructionis ita post pron. relativum impeditæ exempla, quippe quæ ipsi notavimus complura ad Velleium II. 6. Justinum II. 6. ac Sedulium IV. 6.

CAP. XVII. § 1 *In amici morte se vadem obtulit*] Auscultandum fuit Acidalio, emendanti *in amici mortem:* infinitisque locis ita, nimis facile adnuentibus criticis, in constructione præpositionis *in* peccatum a librariis.

CAP. XVIII. § 2 *Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu quod promittis appendis*] 'Appendere' pro solvere vel dare. Vetus Int. II. Paralipom. XXVI. 8. 'Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ, et divulgatum est nomen ejus,' &c. Ester III. 9. 'Si tibi placet, ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.'

CAP. XX. § 4 *Denique ipsum Tarquinium exsecratione postrema hoc damnaverunt maledicto, &c.*] *Exsecratione postrema*, ut 'ultimis exsecrationibus' dixit Justin. XXIV. 2. 'Sumtis in manus altaribus . . . inauditis ultimisque exsecrationibus adjurat, se sincera fide matrimonium sororis petere.' Ubi vide.

§ 5 *Quod . . . si seculum tuum cerneret studiis virtutis, parcimoniæ, humanitatis imbutum ac refertum, &c.*] Acidalius emaculandum existimat *studiis verecundiæ, parcimoniæ, &c.* Quo melius hæc opponantur antecedentibus, 'hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate.' Sed in ejusmodi oppositione non adeo diligens fuit noster, uti etiam ostendunt quæ sequuntur, 'nullum .... superbiæ, libidinis, crudelitatis exstare vestigium.' *Virtus* autem recte accipitur hic pro sapientia animique fortitudine in sectandis factis honestis ac laudabilibus, repudiandisque flagitiosis: quemadmodum cap. VI. 'virtus' dicitur quæ prius 'fortitudo atque sapientia' appellata fuerat. Confer notanda ad c. XXIV.

Priscorum duritia ducum, castitate pontificum, consulum moderatione, petitorum comitate viventem] Eruditiss. Baunius cum tentasset cum Balduino *prætorum comitate*, deinceps tamen addit, forsitan etiam 'petitores' sumi pro candidatis. De hac vero re dubitare nos vetant exempla satis multa. Sic enim Cicero ad Attic. I. 1. 'Petitorum hæc est adhuc informata cogitatio.' Horatius Od. III. 1. 'hic generosior Descendat in campum petitor.' Sic 'petere' pro magistratum petere, apud Sallustium, Livium, aliosque obvium.

§ 6 *Quum . . . . libertatem probaret meliore in statu, imperatore te, esse, quam consule se, fuisset*] Exemplo illi Sulpiciæ, quo 'probare' pro invenire, animadvertere, videre, sumi ostendit Acidalius, plura ejusmodi accumulari possunt, qualia attulimus ad Justin. IX. 7. et Tacit. Annal. I. 58.

Cap. xxi. § 1 *Quæ in medio constituta, et ad publicos usus facientia, non partim sed in commune conducunt, nec parietibus sed orbe clauduntur, nec tecto sed cœlo operiuntur*] Merito probat Schwarzius, quod in suo Ms. exhibetur, *ad publicos usus patentia.* Addo, sic etiam dare codicem Puteani, satisque usitatam illam esse verbi 'patere' cum præp. 'ad' syntaxin. Nazarius Pan. c. xvi. 'Adesse tibi . . . illam majestatem . . . conjectura mentium tenebamus; etsi non ad fidem patebat oculorum.' Tacitus M. Germ. c. 22. 'Tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.' Lucanus x. 422. 'Et destricta epulis ad cunctas aula patebat Insidias.' Alcimus Avitus ii. 101. 'Dum prima salus, experta nec ullos Simplicitas ignara dolos ad tela patebat.' Vetus Int. ii. Corinth. vi. 11. 'Os nostrum patet ad vos . . . . cor nostrum dilatatum est.'

§ 2 *Quod creber egressu expectantibus populis te fateris, nec, &c.*] Pro *expectantibus*, scripsisse nostrum duco *expetentibus*, i. e. præsentiam vel conspectum tui expetentibus Ut mox: 'Nunquam iste mirantes explet oculos: magis magisque visus expetitur, et novum dictu præsens desideratur.' Plura ad Tacit. Ann. xiv. 61. 'Fateri,' 'confiteri se,' pro exhibere (ad tale quid quod ex subjecta materia debeat intelligi) dixit etiam Pacatus infra c. xxxix. et xli. Sic Cicero Q. Frat. i. 2. non procul a fine: 'Nostræ tamen caussæ non videntur homines defuturi. Mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur.'

Nec videri modo patiens, sed facilis adiri, e proximo accipis vota hominum tuorum] *Patiens videri*, ut Horatius Od. i. 2. 43. 'Almæ Filius Maiæ, patiens vocari Cæsaris ultor.' Talemque infinitivum haud raro verbis *pati, sustinere, perferre, tolerare* jungi, videmus ad Tacit. Ann. xiii. 42. et Lactant. Epitomen lii. 3.

§ 5 *At noster hic omnibus spectandus offertur, nec magis communem hunc diem atque solem, quam nostrum Imperatorem, videri licet*] Fallitur Acidal. cum emendat *videre licet;* amat enim sic infinitivum passivi adsciscere verbum *licet*, ut ostendimus ad Cicer. Divin. ii. 14. Itemque ad Salvian. et alios: sæpius enim in hac re lapsi sunt viri docti. Sic autem rursum auctor noster c. xxv. 'Ita fieri non licebat amissa, metu reliquorum.'

Cap. xxii. § 3 *Dicamne ergo receptos ad servitium Gotthos, &c.*] Livineius cum in Msto inveniret *receptum servitum*, inclinare quodammodo videtur in *receptos servitum;* quod quidem in suo cod. sic plane legebat, nec spernebat Schwarzius, sed duriorem tamen refert usum supini. Præplacet ergo *receptos ad servitium*, vel potius, ut habet Puteani codex, *receptos in servitium.* Eumenius Constantio Cæs. c. xxi. 'Treverorum arva jacentia . . . receptus in leges Francus excoluit.' Velleius ii. 20. 'Ne . . . plus . . . possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii.' Dictys Cret. ii. 18. 'Amicitiam Priami adversus Græcos renuens, in pacem fidemque receptus.' Tacitus M. Germ. cap. 18. 'In hæc munera uxor accipitur.'

Dicam, a rebellibus Saracenis pœnas polluti fœderis expetitas] Acidalius malebat *soluti fœderis*, sed absque caussa sontica. Silius Italic. xi. 323. 'hic erit ille, Qui polluta dolis jam fœdera sanciet, ensis.' Ovidius Met. x. 353. 'neve potentis Concubitu vetito Naturæ pollue fœdus.'

Etsi adhuc non est fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est] Rectius cum suo cod. legit Schwarzius *etsi adhuc nomine est fœderatus*, adeoque tributi immunis. Atque hoc in uno alteroque cod. reperiebat etiam Puteanus.

Cap. xxiv. § 2 *Intelligo, quam difficilem in locum scopulosumque devenerim*] Non maluisset Acidalius *scruposumque*, vel *scrupulosum*, si geminus illi observatus fuisset locus iste Tullii Divin. in Q. Cæcil. cap. 11. 'Intelligo quam scopuloso difficilique in loco verser.' Eandem quoque per metaphoram sic scribit Tusc. i. 30. 'Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, multa adversa timens, tanquam in mari immenso nostra vehitur oratio.'

Necesse erit me, vel tacentem publica incommoda vel loquentem, aut ingratum virtuti aut onerosum esse pietati] Schwarzius ex Msto suo scribit *ingratum veritati*, quia veritas melius, quam virtus, a pietate distinguitur. Ego vero dubito, an satis adposite dicatur *ingratum esse veritati*, ac propterea mallem, si quid mutandum foret, *ingratum videri, aut o. e. p.* vel, *ingratum meritis tuis aut o. e. p.* Sed bene hic *virtus* Theodosii, seu ad laudabilia quæque idoneus animi habitus, distinguitur a *pietate* ipsius sive clementia (neque enim cum viro laudato de Pacati pietate hic cogitari licet) ut ostendunt talia loca. Incert. Pan. Constantino Aug. c. xxv. 'Debetur enim divinitati et simulacrum aureum, et virtuti scutum, et corona pietati.' Cap. xxvi. 'Parum est enim optare tantæ virtuti tantæque pietati, quem longissimum habet vita, progressum.' A. Victor V. Illustr. c. xix. 'Ob egregia militiæ facinora a Postumio optionem munerum accipiens, equum tantum et hospitem sumsit, virtutis et pietatis exemplum.' Forte autem legendum, *aut ingratum virtuti tuæ, aut onerosum esse pietati.*

§ 5 *Alta licet vulnera . . . ostendat Hispanus, sed in dolore summo habet suum . . . solatium*] Sæpius ita particulas 'licet,' 'etsi,' 'tametsi,' &c. sequitur τὸ 'sed,' ubi aptius abesse videri posset, ut vidimus ad Novatian. de Trin. c. vi. et plura docent exempla in Tursell. lib. de Particulis. Hinc Hegesippi i. 12. rescripserim: 'Ea tametsi reliquis præstabat omnibus, sed Pharisæis quasi inferior obtemperabat:' ubi vulgo legitur, 'Ea tamen reliquis,' &c. Sic Cæsarius Homil. iv. 'Licet bonum est ut sit semper purgatus a malis, sed grave malum est, si non proficiat in bonis.'

Cap. xxv. § 2 *Et cum domi atque secreto solis conjugibus ac liberis credidissemus furtivum dolorem, procedebamus in publicum non nostræ fortunæ vultu*] Elegans genitivi usus in his *nostræ fortunæ vultu*, i. e. vultu cum fortuna nostra congruo. Livius xlii. 62. 'Ita tum mos erat, in adversis vultum secundæ fortunæ gerere, moderari animos in secundis.' Ovidius Trist. i. 1. 4. 'Infelix habitum temporis hujus habe.' Salvian. Gub. vi. p. 208. 'Templis quoque ipsis vultum festivitatis nostræ induimus.' Adde quæ adnotavi ibid. p. 205. uti et ad hæc Taciti Ann. xv. 52. 'Balneasque et epulas inibat, omissis excubiis et fortunæ suæ mole.' Confer etiam supra c. xiv. 'Tuæ, Imperator, epulæ . . . locorum ac temporum fructibus instruuntur.'

Cap. xxviii. § 1 *Nec enim . . . exercendis invigilabat metallis, ut latentia naturæ bona in usum arcesseret, &c.*] Quia alicubi editum inveniebat Acidalius *exserendis*, pro *exercendis*, hinc refingebat, *egerendis invigilabat metallis.* Sed alterum minime sollicitandum. Livius xlv. 29. 'Metalla quoque auri atque argenti non exerceri; ferri et æris permitti.'

Cap. xxx. § 2 *Ut qui sub nomine pacis ludere, et primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset*] *Lucrari pœnas* pro vitare. Paulinus Nolan. Epist. xiv. 3. 'Lætificati igitur hac Dei misericordia, qua respexerat in bonum humilitatem nostram, ut gravissimæ anxietudinis pœnam lucraremur, cum pariter,' &c. Quinctil. Declam. iv. 9. 'Igitur ne supplicia pro-

perato lucrarentur obitu, rursus in pœnam nocentes insepulti corporis revocavit injuria.' Statius Theb. IV. 531. 'adigitque expromere vitas Usque retro, et tandem pœnarum lucra fateri.' Hegesipp. III. 17. 'Sed id imbecillitatis suffugium est, non virtutis trophæum, captare lucrum suppliciorum.' Apuleius Metam. VIII. p. 161. 'Sed quid mora temporis dignum, cruciatum lucraris, et meos forsitan tibi pestiferos imaginaris amplexus;' cum nota Pricæi. Consule quoque Intt. Cicer. in Verr. I. 12. Hygini Astron. II. 40. et Lucæ Actor. Apost. XXVII. 21.

Tibique, Imperator, imponeret servatæ adhuc veniæ fidem, vincendi necessitatem] Lege cum Acidalio, *servanti adhuc veniæ fidem;* idque non Schwarzius solummodo auctoritate sui Ms. probavit, sed etiam in suo legit Puteanus.

§ 5 *Ut ab inermibus verterentur armati, et qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus*] 'Vertere' pro in fugam vertere, satis Latine dici vidimus ad ista Dict. Cretensis II. 1. 'Evolant navibus; incensique ira custodes cædere, neque versis his atque in fuga parcere.'

CAP. XXXI. § 4 *Res ipsas interrogemus, et quæ certissima conjectatio est, colligamus gerenda gestis*] Prosopopœia haud invenusta; sic res æque ac personæ 'interrogari' dicantur: de quo plura ad verba Taciti Agric. cap. 34. 'Nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate.' Observatu digna hic ista Ciceronis pro Sulla cap. 28. 'Vita P. Sullæ torqueatur: ex ea quæratur, num quæ occultetur libido,' &c. quod jure optimo vindicari a Manutio existimo.

CAP. XXXII. § 5 *Quin si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patienter ferebat, et quam numero arctarat annonam, comparcendo laxabat*] 'Arctare numero annonam' dixit imitatione, uti videtur, Vellei. Paterc. II. 10. 'Notatur Domitiæ familiæ peculiaris quædam et, ut clarissima, ita artata numero felicitas:' ubi frustra a nonnullis conjici *sacrata numero f.*, vere statuit Heinsius, et hic Pacati locus etiam aliquomodo testis est.

CAP. XXXIII. § 3 *Quid in ceteris saltem simile deprehendimus? maxime si rerum temporumque facies altrinsecus conferamus, et hos, &c.*] *Altrinsecus* pro utrimque, ex utraque parte, præter hos quos in partes hic vocavit Livineius, etiam dixit Vetus Interpres II. Paralipom. IX. 8. 'Fecit quoque ... scabellum aureum et brachiola duo altrinsecus, et duos,' &c.

§ 4 *Illos vela facientes data ventis classis attulerat: hi longum iter sub armorum fasce carpebant*] Pro *attulerat*, facile quispiam malit *appulerat;* sed dissuadent, quæ adnotamus pro integritate loci Taciti Hist. III. 43. 'Adversa tempestate Stœchadas Massiliensium insulas adfertur.'

§ 5 *Quæ tandem ut collatio posset esse populorum, etiamsi tanta non esset dissimilitudo caussarum, ut ab illis fuerit, &c.*] Vacare quibusdam visum illud *ut* ante *collatio;* nec sane, quamvis secus judicaverit Acidalius, locum hic satis congruum habet. Facilius certe ferrem codicis Schwarziani scripturam, *quæ tandem vel collatio, &c.* Sed genuinum puto, quod primo conjeceram, ac deinceps codicis Puteani fide stabiliri deprehendi, *Quæ tandem ulla collatio, &c.* ut Mamertin. Geneth. c. VI. 'Quæ ulla unquam videre secula talem in summa potestate concordiam?' Idem Grat. Act. cap. X. 'Illud vero cujus miraculi est, neminem ullum in tanto rerum paratu sensisse dispendium,' &c. Min. Felix Octav. c. XI. 'Quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte remeavit ... ut exemplo crederemus?' Cicero de Fin. III. 15. 'Deinceps explicatur differentia rerum; quam si non ullam esse diceremus, confunderetur

omnis vita, ut ab Aristo.'

CAP. XXXIV. § 4 *Spumat decolor cruore fluvius...utque se tibi posset speciali imputare militia, ipsum... absorbuit, &c.*] 'Imputare se alicui,' pro jactare, commendare, aliquem sibi obligare, rursum occurrit c. XL. 'Scimus... ita te cuncta administrasse, ut non possint se tibi imputare successus.' Prudent. in Symm. II. 1087. 'Fertur per medias ut publica pompa plateas, Pilento residens molli, seque ore retecto Imputat attonitæ virgo spectabilis urbi.'

Fluvius... ipsum... avidis gurgitibus absorbuit, et ne morti sepultura contingeret, cadaver abscondit] Notari Acidalius vult *morti* pro *mortuo*. *Mortuo* autem ex suo codice pro *morti* rescribit Schwarzius. Ego alteri cum Acid. inhærendum arbitror: in *morti* enim per ellipsin admodum vulgarem facile subaudias *ejus*, et *morti ejus* pro illi mortuo, vel illi post mortem, æque usitata dicendi forma est. Mamertin. Grat. Act. c. XXVII. 'Et cujus armis vitam impugnatam sciebat, mortem ejus ornavit:' i.e. illum mortuum. Cicero pro Sextio c. 38. 'Ejus igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cujus mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?' Philipp. IX. 6. 'Nam si mors legati sine cæde atque ferro nullum honorem desiderat, cur decernit honorem sepulturæ?... Gratissimus in ejus morte decoranda, cui nullam jam aliam gratiam referre possumus.' Pro Cluent. c. 71. 'Nunc vero quid erit profectum, nisi ut hujus ex mediis insidiis vita ad luctum reservata, mors sepulchro patris privata esse videatur?' Sic pro Milone c. 32. ac sæpius ille. Quinctilian. Declam. 329. p. 668. 'Non satis est ei... dum vivit honorari... Habeatur aliquis etiam morti honor, et... ostendatur in foro sepulchrum,' &c. Valer. Max. IX. 2. ext. 2. 'Vivorum corpora, cadaveribus adversa adversis alligata atque constricta,... tabescere simul patiebantur, amari vitæ pariter ac mortis tortores.' Lucan. V. 279. 'non anima fugiente ferire, Atque oculos morti clausuram quærere dextram.' IX. 233. 'perierunt tempora vitæ: Mors est in tutum: justas sibi nostra senectus Prospiciat flammas.' Florus III. 15. 'Insultatum quoque mortis reliquiis, et... caput... auro pensatum est.' Sed ibi 'mortis reliquiæ' esse possunt ea, quæ mors reliquerat, vel quæ post mortem reliqua erant: ut 'reliquiæ cædis,' 'cladis,' 'belli,' &c. apud Livium aliosque.

CAP. XXXV. § 1 *Tanta ceteris satellitibus audentior, quanto exertiorem operam navabat tyranno frater tyranni*] Merito vox *exertiorem* se probavit Grutero ac Livineio, illam etiam in Statio Gellioque restituenti. Apuleius Metam. II. p. 40. 'Nam cum corporis mei custos hic sagacissimus exertam mihi teneret vigiliam,' &c. i. e. diligentem, ut exponit Pricæus. Tertullian. contra Valentin. cap. 3. 'Qui talia neque facile producunt, neque exerte defendunt:' quem locum et alia Barth. adducit ad Stat. Thebaid. I. 413. Ammianus XVI. 12. 'Et vulnerati nondum effuso cruore, ad audendum exertius consurgebant:' sic enim ibi recte emaculata Mss. scriptura *exercitus consurgebant*.

§ 4 *Milites pristinæ virtutis, Romani nominis, imperatorum denique memores, caussam publicam manu agere*] Sallustius Jug. LVIII. 3. 'Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores Romani nominis, grege facto, locum cepere... editiorem.' Catil. LVIII. 12. 'Quo audacius adgredimini, memores pristinæ virtutis:' ubi v. Cortius. Livius XXV. 38. 'Quo documentum dedistis hominibus, non cum Scipionibus exstinctum esse nomen Romanum; et cujus populi vis atque virtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni profecto sævitia fortunæ emersurum esse.'

CAP. XXXVI. § 1 *At ubi impulsa*

acies fronsque laxata et fiducia in pedes versa sit, ire præcipites, &c.] Quia sic Nazarius Paneg. c. xxviii. 'Relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum ad pedes migrat.' Acidalio elapsum in Pacati verbis videbatur *manuum* post *fiducia*. Quod quidem viri acutissimi judicium ut ab omni veritatis specie nentiquam abhorret, ita illi, invitis libris, applaudendum esse vix crediderim; quoniam *fiducia in pedes versa* recte dicitur cum omnis in illis solummodo fiducia posita sit. Ovidius Halieut. 62. 'Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti Ut pavidi lepores:' i. e. non manibus sed pedibus fidens. Metam. ix. 120. 'quo te fiducia, clamat, Vana pedum, violente, rapit?' Sulp. Severus H. S. i. 33. 'Tum vero nutu Dei in fugam versi,...omne præsidium in pedibus habere:' ubi alia ejusmodi.

Miles urgere eminus, cominus, gladiis, hastis, punctim, cæsim ferire. Alii poplitibus imminere, alii terga configere, aut, &c.] Bene Mstum suum referre putat Schwarzius *frontibus imminere*, pro *poplitibus imminere*. Sed cum hic de persequendis fugientibus sermo sit, mihi, cum pace viri eruditissimi, alterum anteferendum videtur. Atque ita Horatius, jam a Puteano huc citatus, Od. iii. 2. 14. 'Mors et fugacem consequitur virum, Nec parcit imbellis juventæ Poplitibus timidove tergo.' Sic etiam Silius Ital. x. 37. 'Nam Labienus obit, penetrante per ilia cornu: Fratres hic humero cecidere, hic poplite cæso.' Adi et Drakenb. ad iv. 348.

Et quos cursu continere non poterant, jaculis occupare] Quamvis *tenere*, pro tangere, prehendere, comprehendere, satis frequens sit, dispar tamen ratio compositi *continere*, ideoque Grutero accesserim emendanti *contingere*: quemadmodum 'optatam cursu contingere metam,' i. e. ad illam pervenire, apud Horatium A. P. 412.

§ 2 *Illi mutilis excisisque membris reliqua sui parte fugiebant*] Haud facile damnaverim, quod pro *mutilis* in Schw. aliisque apographis exstat *inutiles*. Sic enim cuncti libri Lactantii v. 20. 'Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si salvos volunt? aut inutiles faciant, quibus velint esse consultum?' ubi hunc vocis usum mihi quidem satis probavit exactissimus Bunemannus.

§ 3 *Manus illa.. submissis precabunda vexillis petiit veniam necessitatis*] 'Necessitas' pro re necessaria, vel ad quam necessitas nos cogit, cap. xxx. 'Non id temeritas, sed necessitas erat.' Cap. x. 'Et quicquid homines vocamus laborem, vestra natura est:' i. e. vobis naturale. Vide ad Justin. xxi. 5. 9.

Cap. xxxvii. § 3 *Jam quocunque tulisses gradum, sequi, circumcursare, præcedere, vias denique, quibus fereberis, obstruere. Nullus cuiquam sui tuive respectus blandam tibi faciebat injuriam contumacia gaudiorum*] Nonne præstat, ita distingui: *Nullus cuiquam* (scil. erat) *sui tuive respectus. Blandam tibi, &c.?* An potius legendum, *Nullo cuiquam sui tuive respectu, blandam tibi, &c.* i. e. dum nullus.. respectus est? Sin autem, renitentibus codicibus, nihil novatum malimus, *nullus cuiquam sui tuive respectus*, erit, omnium sui tuive negligentia, vel quisque nullum sui tuive respectum agens: quam formam pluribus exemplis illustramus ad Sallust. Jug. xxxi. 1. 'Multa me dehortantur a vobis (lego 'a verbis') Quirites.. opes factionis, vestra patientia, nullum jus:' i. e. omnis juris amissio vel ademptio.

§ 4 *Pueros tibi longam senectutem voventes*] Ita bene emendatum, pro *longam servitutem*. Sic cum Ovidio aliisque Silius iii. 94. 'te longa stare senecta Ævumque extendisse velim:' ubi, ut hoc obiter notemus, Heinsio tentanti *longæ instare senectæ*,

refragantur quæ ipse de verbo *stare* pro manere, durare, adscripsit ad II. 689.

Cap. xxxviii. § 1 *Quin ipsos viæ implicabat errores, et nunc dexter aut lævus, nunc vestigiis suis obvius, incertum iter ancipiti ambage texebat*] 'Texere iter' est illius cursum modo in dextram, modo in sinistram partem flectere. Severus de Mortib. Boum, vs. 70. 'At parte ex alia, qui vitulus modo Lascivas saliens texuerat vias, Ut matrem subiit, mox,' &c. Virgilius Æn. v. 588. 'Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque Mille viis habuisse dolum, qua,' &c.

§ 4 *In oppidum semet Aquileiense præcipitat .. ne pœnam frustrando differret. Quamquam quæ poterat ulterior esse dilatio, cum ita .. miles insisteret, ut pene omnem, quæ est secuta, pompam ultio festinata præceperit*] Acidalius legit, *pœnam ultio f. p.;* citra plane, quam necessarium mihi videtur: cur enim non credamus, loqui nostrum de pompa triumphali, in quam nihil fere reliqui faceret ultionis ardor?

Cap. xxxix. § 3 *Negant imo se suis vectos esse corporibus, sed tanquam per aliquas imagines somniorum, absentes præbuisse gestantibus ventis otiosorum ministeria membrorum*] Pro *absentes,* nonnullis legi placebat *obsequentes.* Sed *absentes,* ni me ratio fallat, hic dicuntur, quibus mens pars sui primaria non constat, quique cogitatione et sensu a se ipsi, adeoque a loco, ubi sunt, quodammodo absunt. Ovidius Met. xi. 700. 'Nunc absens pereo, jactor nunc fluctibus absens, Et sine me me pontus habet:' ubi consulatur Heinsius.

Cap. xl. § 1 *An ego .. dubitaverim illam specialem quandam felicitatis tuæ dixisse militiam? .. fatearis necesse est, quantum te in bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum*] *Felicitatem* et *fortunam* Imperatoris vocat genium ipsi propitium, qui eum tueretur, consiliaque et facta ejus singularem in modum secundaret. Mamertinus Maxim. Aug. c. xi. 'Vestræ, inquam, fortunæ, vestræ felicitatis est, Imperator, quod jam milites vestri ad oceanum pervenere victoria.' Eumenius Constantino Cæs. c. xvi. 'Adeo, Cæsar, hoc etiam reipub. tribuit vestra felicitas, ut nemo Romanus occideret, imperio vincente Romano.' Sic idem Constantino Aug. c. viii. dixit 'felicitatem reipub.' Et Nazarius Pan. c. xxxvii. 'felicitatem Romanam.' Livius xxv. 38. 'Ne tamen subita res et nocturnus terror etiam non suæ fortunæ consilium perturbaret, alloquendo,' &c. Statius Thebaid. ii. 195. 'juvat ingressos felicia regni Omina, quod superest facti vitæque laborum Fortuna transire tua:' cum adnotatione Barthii.

§ 2 *Cui* (fortunæ tuæ) *si vocem demus et judicem, nonne prolixe suam enumerabit operam, et ut virtutibus tuis multa concedat, sibi aliquam vindicabit?*] Malim cum Ms. Schwarzii, *sibi aliqua vindicabit?*

Et cur quæso non demus ut accipiamus utriusque partis adserta, cum fit quæ viceris tua] Legendum cum Mss. Puteani, *cum sit quæ viceris tua.*

Audio constantiam dicere, bellum atrox periculosumque suscepi; memorare patientiam, immensum iter .. semper armata, sæpe jejuna, toleravi; tenere prudentiam, partita sum militem et multiplicavi arte timorem .. omnes postremo clamare, quid tibi debemus, fortuna, quam fecimus] 'Facere fortunam' similiter dixit Livius xxxix. 40. 'In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur.' In præcedentibus autem *tenere prudentiam,* depravatum omnino existimo verbum *tenere,* quod sic 'contendere' notare non solet. Venerat in mentem, cum Acid. con-

jicere *tendere,* ut hoc sensu pleniore valeat tendendo (caussam contra fortunam agendo) dicere: quomodo verba 'niti,' 'pugnare,' aliaque nonnunquam adhiberi, in Lect. Tullianis observavimus. Hariolabar etiam, *inferre prudentiam,* ut Lactant. VII. 13. 'Hermes naturam hominis describens, ut doceret quemadmodum esset a Deo factus, hæc intulit: Καὶ τὸ αὐτὸ,' κ. τ. λ. ubi adeatur Bunemannus. Sed impensius nunc arridet mihi, *iterare prudentiam,* i. e. repetere, referre, memorare. Mamertin. Grat. Act. c. XXX. 'Superfluum forte videatur, quæ vosmet ipsi vidistis, iterare: neque enim auribus expetuntur, quæ fuerint usurpata luminibus.' Plautus in Casina V. 2. 5. 'Operam date, dum mea facta itero: est operæ auribus percipere. Ita ridicula audita, iteratu ea sunt, quæ ego intus turbavi.' Quæ exempla pluraque collegi ad verba Justini V. 7. 'In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant.'

CAP. XLI. § 4 *Hinc reorum usque ad damnationem metus, postea attonitus stupor, et ex desperatione securitas, et ad locum supplicii voluntaria . . properatio*] Cum in suo legeret Schwarzius, *pœna attonitus stupor,* pro *postea a. s.,* inde comminiscebatur, *pœna attonitis stupor.* Sed quamvis *attonitis* quoque pro *attonitus* exhibeat codex Puteani, cum nexu tamen orationis sic minus congruere puto dativum illum *attonitis,* vocesque *stupor, securitas,* et *properatio* melius, una cum τῷ *metus,* ad genitivum *reorum* referri. Dicitur autem *attonitus stupor,* ut 'attonita feritas,' apud Eumen. Constantio Cæs. c. IX. et 'attonitus tumultus,' 'pallor,' 'metus,' 'terror,' &c. apud Senecam Trag. Lucanum, alios.

Ut nihil de servis loquar, qui verbera vitavere suspendio, et motus heriles usque ad præcipitia fugerunt] Pro *motus* Acidal. suspicatur *metus.* Posset item *minas,* vel *manus.* Sed contra consensum librorum quidpiam moliri non necesse est, et possunt *motus heriles* accipi pro ira comminationibusque herilibus. Hegesipp. I. 40. 'tantisque fremebat indignationis suæ motibus, ut ipse Herodes . . pro reo suo . . interveniret.' Alcim. Avitus IV. 388. 'At pius ex alto contemplans talia rector, Exsertas revocat, sedatis motibus, iras.' Paulinus V. Martini III. 156. 'Efflabat sævum per verba furentia virus . . Effundens cassas, jam fractis motibus, iras.' et v. 510. 'ne crede meo te forte notatum Judicio, aut subiti signum hoc existere motus, Hæc pietas, non ira fuit.'

§ 5 *Et recipere interitum statim totum*] Sic modo locutus fuerat in his, 'nondum clausis tota morte oculis.' Ita Quinctilianus Declam. II. 17. 'Unde tantum virium Cæco, ut in uno statim ictu mors tota peragatur?' et c. 18. 'Quid? quod necesse est, nulla mors inquietior sit, quæ statim tota est.' Seneca in Phœniss. 47. 'Omitte pœnas languidas longæ moræ, Mortemque totam recipe: quid segnis traho? Quid vivo?' ubi vide Gronovium; qui tamen non erat cur vellet, 'quid segnis traho quod vivo?' ut ostendimus ad Sallust. Jug. cap. 67. et ad Lactant. de M. Persec. L. 3.

CAP. XLII. § 2 *Illa* (fortuna) . . *animum ejus obtudit et gladium: illa expeditam in vulnus manum percussit et tenuit*] Non damnem *percussit,* i. e. invasit, contudit, oppressit. Cogitabam tamen *repercussit,* vel potius, quod et aliis placuit, *perculit,* i. e. horrore affecit: quemadmodum 'attonitam manum' plus vice simplici Ovidius dixit, et manibus solenni figura tribuuntur sæpissime, quæ proprie in animum hominis conveniunt.

§ 3 *Nisi vero . . carnificem diris comitatus ultricibus obsidebas, et irata minax umbra ob os ejus oculosque fu-*

mantes infernis ignibus tædas .. quatiebas] Schwarzius cum suo apographo legebat *irata minis umbra*, vel etiam, *irata minaxque umbra*. Mihi vero magis probatur vulgata lectio, in qua vox *minax* sic ablativo construitur, ut in his Senecæ Troad. 465. 'talis incessu fuit .. Sic celsus humeris, fronte sic torva minax.' Ovidii Trist. I. 2. 23. 'Quocunque adspicias, nihil est nisi pontus et aër; Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.'

CAP. XLIII. § 4 *Nec tu illum .. in conspectum tuum venire voluisses, .. nisi famam confutare mendacii, teque purgare eodem teste, quo insimulatore, voluisses*] Durum nimis est hoc *quo insimulatore*, pro qui insimulator fuerat. Quocirco legendum omnino censeo, *quo insimulabare*, prout Ms. Schwarzii habet.

Habet vires, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices, aut, &c.] Acidal. conjectabat *Habet vero, habet, &c.* vel potius *habet mens, habet, &c.* Priorem autem scriptionem, *Habet vero, habet, &c.* merito fide codicis sui amplectebatur Schwarzius, ac præterea duo etiam adserunt Puteanei.

FINIS NOTARUM VARIORUM.

NOTITIA LITERARIA

DE

C. PLINII PANEGYRICO

ET

UNDECIM RELIQUIS PANEGYRICIS.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,
A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, T. II. CAP. 22.

Plinii Junioris Ætas.

C. Plinius Cæcilius Secundus,[a] ex Novo Como Italiæ Transpadanæ oppido, (iv. 30.) Plinium Majorem avunculum, Quintilianum, (Ep. ii. 14.) et Nicetam Sophistam præceptores habuit, disertissimus in foro causarum patronus: variis honoribus, iisque maximis,[b] in republ. gestis, Imperatori Trajano carissimus obiit, non certum est quo anno; sed tamen mortuo demum Trajano. Vitam Plinii post Catanæum, Lycosthenem, Rittershusium, et Christoph. Cellarium, consignavit Sassius Gallicus interpres, et diligentissime Joannes Masson, a quo scripta Plinii vita, et per annos digesta, editioni Oxoniensi Epistolarum et Panegyrici a.

[a] A Josepho Scaligero vocatur *C. Plinius Secundus Cæcilianus*, nempe e vetere more, quia nomen *Cæcilii* ante adoptionem fuerat. Vossius de Anal. i. 7. putat, illum morem tum abolitum fuisse, falso: sed tamen in libris antiquis *Cæcilius* dicitur. *Veronensem* appellat Beda de sex ætatibus, sive per errorem, sive propter avunculum Plinium, a quo fuit adoptatus; qui vulgo, sed male, Veronensis habitus est, ut supra demonstratum est.

[b] Cum consulari potestate in Bithyniam missus est a Trajano. Cf. Gruteri Inscript. p. 454. et A. Pagi ad A. C. 69. n. ix. Etiam consulem fuisse constat ex ipsius Panegyrico, in quo Trajano pro consulatu gratias agit. Trajanus ei tertium suum consulatum A. C. 100. resignavit, ut præter alios notatum Jo. Lightfooto Opp. Postum. p. 155. sqq. Vid. etiam Noris. in Epist. ad Antonium Pagium T. iv. Opp. p. 777. et 785. Nam quod a Dione et Cassiodoro non commemoratur, causa est, quod suffectus modo consul fuit.

1703. 8. præmittitur, locupletiorque prodiit deinde separatim Amstelod. 1709. 8. Castigantur in hac Vita nonnulla tradita ab Antonio Pagi in Critica Baroniana, et ab H. Dodwello in Annalibus Statianis et Quintilianeis, a quo et ipso viro præstantissimo Annales Plinianos expectavimus. Ante Joannem Massonum scripsit etiam, ac per annos et consules digessit Jacobus De la Baune S. J. præmisitque Plinii Panegyrico in usum Delphini illustrato Paris. 1677. 4. Tabellam, qua stemma Plinii et cognati ejus exponuntur, vide sis in Thom. Reinesii Epist. 54. ad Rupertum p. 503. Sed legendus est etiam inprimis illustris Comes Rezzonicus Disquisit. Plin. T. I. in princ. Alexandrum I. Papam sub Plinii Junioris et Plutarchi disciplina instructum fuisse in literis, nullo fide digno auctore traditur in Prosperi Mandosii Bibliotheca Romana T. II. p. 207.

Plinii Panegyricus.

Ex variis orationibus, quas in demonstrativo et judiciali genere Plinius composuit, solus extat Panegyricus Imp. Trajano dictus, cum ab eo consul designatus esset A. U. C. 856. A. C. 103. Hanc præstantissimam orationem, cujus ipse Ep. III. 18. meminit, ad nos pervenisse bene est, vel propter historiæ cognitionem. Nam licet primores tantum duos Trajani annos attingit, tamen, Plinio si careremus, etiam illos cogeremur majorem partem ignorare, cum et Suetonius ac Tacitus quæ de illo sive scripsere sive moliti sunt, nusquam extent, et quæ de Trajano prodiderat Dio, τὰ κατὰ Τραϊανὸν jam Xiphilini et Suidæ temporibus fuerint desiderata; sicut periere etiam Marius Maximus, Fabius Marcellinus, Aurelius Venis, ac Statius Valens, a quibus traditam Trajani vitam testatur Lampridius in Alex. Severo c. 49. Periit etiam poëma, quod de Bello Trajani Dacico Græcis versibus scripserat Caninius Rufus, teste Plinio Epist. VIII. 4. Est vero etiam ad eloquentiam admodum utilis. Nam etsi verum est, quod viri elegantes judicarunt, eum nimis indulgere ingenio, et captare acumina; tamen non habemus alium Latinum oratorem, ex quo rectius disci possit modus laudandi viros magnos, delectu eventorum, actionum, &c. eorumque exornandorum per locos communes, sententias, &c.

Exempla scripta hujus Panegyrici quædam enarrat Christianus Gottl. Schwarzius ad calcem editionis suæ; item editiones ejus ex ordine temporis, tum eas in quibus junctus est Epistolis aut

Panegyricis ceteris, tum quæ eum separatim exhibent. Epistolarum quidem editio, quæ eum adjunctum habet antiquissima videtur Germanica illa epistolarum s. l. et a. quam inter edd. commemoravi: Panegyricorum autem ea, quæ Mediolani per Fr. Puteolanum facta est 1477. 4. Editiones utriusque generis, item eas quæ solum Panegyricum habent, ex ordine temporis enumerat, additis etiam suis observationibus, idem Schwarzius l. c. p. 733. seq. Jam hoc per se intelligitur, quicunque hunc Panegyricum epistolis junctum ediderint, si epistolas notis illustraverint, eos Panegyrico eandem operam navasse, ut Catanæum, Gruterum, Hearnium, Cellarium, Gesnerum, &c.

Aliorum Veterum Latinorum Panegyrici.

Eadem Plinii oratio familiam ducit inter XII. Panegyricos Veteres variorum auctorum, qui Plinii Epistolis subjiciuntur in editionibus quibusdam, veteribus inprimis. Sequitur autem Plinianum

2. Claudii Mamertini Senioris Panegyricus dictus Maximiano Herculio Augusto Parilibus, sive die urbis Romæ natali, XI. Kal. Martii, in Gallia, (Treveris fortasse,) A. C. 292. sive 289. potius. Vide Anselmi Bandurii Numismata Imperatorum T. II. p. 71. et Antonii Pagi Diss. Hypaticam p. 185. De hujus Panegyrici auctore dubiam litem esse, ait Hadrianus Junius lib. IV. Animadv. c. 11. ubi insignem ejus locum illustrat.

3. Ejusdem Genethliacus Maximiani et Diocletiani Augustorum, dictus coram Maximiano Herculio post ejus quinquennalia. Ait enim auctor, alterum se sermonem, quem ejus quinquennalibus præparaverat, reservare quinquennio rursus exacto, decennalibus Imperatoris, cap. 1.

4. Eumenii pro Restaurandis Scholis Æduorum Augustodunensibus Oratio, ad virum perfectissimum, Præfectum Galliæ Lugdunensis primæ, Rictiovarum sive Riccium Varium, dicta, post A. C. 297. Constantio Cæsare necdum Augusto. Eumenius iste rhetor fuit Augustoduni in Gallia, non vero, ut Pighius contendit, Cliviopoli ad Rhenum. Vide Jo. Braunium de Vestitu Sacerdotum Hebræorum l. II. c. 3. p. 390. seq. et Tillemontii Hist. Imperatorum T. IV. p. 47. ubi inter alia observat, Eumenii Panegyricum, quem Herculio prius dixerat, intercidisse. Statuam Eumenio positam una cum vetere inscriptione habes etiam apud

V. C. Jo. Frid. Nilantum notis ad Benedictum Balduinum de Calceo p. 109. Ex portico vero illa Augustodunensi, in qua omnium locorum situs, spatia, intervalla descripta fuisse, testatur Eumenius Panegyrico pro Restaurandis Scholis c. 20. adhuc reliquiæ quædam restant nuper inventæ et observatæ. Vide Memorias Literarias Dombenses sive Trevoltinas a. 1706. p. 2097. seq. Idem Eumenius 'sacræ memoriæ magister,' illis opibus atque illa generosa liberalitate, ut ipse cap. 11. et 14. 'salarium,' inquit, 'me liberalissimi principes ex hujus reip. viribus in sexcenis millibus[c] nummum accipere jusserunt . . . hoc ego salarium . . . expensum referre (instaurandis scholis) patriæ meæ cupio.'

5. Ejusdem (an incerti)[d] Epithalamius, Maximiano Herculio et genero Constantino Augusto dictus A. C. 308. in nuptiis cum Fausta, Maximiani Imp. filia, celebratis.

6. Ejusdem Panegyricus, Constantio Imp. Treveris Augustodunensium dictus post Britanniam superatam A. C. 296. absentibus duobus Augustis, Diocletiano et Maximiano, Cæsareque Galerio.

7. Ejusdem Eumenii Panegyricus, Constantino Augusto dictus Treveris circa A. C. 309. die ejus urbis natali, paulo post natalem Constantini (25 Jul.) Augustodunensium nomine, quam urbem ut invisat, petit cap. 22. Capite ultimo liberos suos Constantino commendat, quinque numero, inque his unum jam summa fisci patrocinia tractantem.

8. Ejusdem Gratiarum Actio, Flaviensium sive eorundem Augustodunensium, (hæc enim est Flavia Æduorum: vid. Tillemontium Hist. Imperator. T. IV. p. 189.) nomine de remissis debitis a Constantino Augusto, dicta Treveris A. C. 311. Vide eundem Tillemontium p. 177. 567. 575. Antonii Pagi Diss. Hypaticam p. 142.

9. Incerti[e] (fortasse Nazarii) Panegyricus, Constantino Augusto Constantii F. Treveris dictus A. C. 313. post devictum Maxentium.

10. Nazarii Panegyricus, dictus tertiis quinquennalibus, Constantino Augusto filiisque Cæsaribus Romæ Kal. Martii A. C.

[c] Casaubonus *sexagenis millibus*, a quo dissentit Dominicus de Colonia T. I. part. 2. Hist. Literar. Lugdun. p. 117. seq.

[d] Steph. Vinandus Pighius in Hercule Prodicio p. 13. seq. hanc et duas, quæ sequuntur, proximas Orationes negat esse Eumenii, sed alii cuipiam Æduorum Oratorum attribuit.

[e] Aquisgranum patriam suam videtur innuere c. 21. licet Sigonius Bibractem Æduorum intellexit. Vide Velseri Opera p. 406.

321. Mentio hujus Nazarii apud S. Hieronymum in Chronico, et Ausonium in commendatione Professorum Burdegalens. XIV. vs. 9. Hieronymus quoque filiam Nazarii Eunomiam virginem Christianam, in eloquentia patre non inferiorem celebrat.

11. Claudii Mamertini (diversi ab eo[f] cujus Panegyricos Maximiano dictos supra memoravi) habita jam a provecto ætate et annis gravi[g] pro Consulatu Gratiarum Actio ad Julianum Imp. dicta Romæ Kal. Januarii A. C. 362. Mamertinum Promertinum, Juliani prætorio præfectum, vocat Adrianus Junius Animadvers. IV. 9. Mentio hujus Mamertini apud Ammianum Marcellinum XXI. 8. et 10. et XXII. 3. 7. et ipse Mamertinus curam ærarii, prætorii præfecturam, ac denique consulatum, omnia uno anno commissa sibi testatur cap. 21. et 22. necnon c. 1. seq. Confer Tillemontium T. IV. Hist. Imperatorum p. 964. seq. et de Nazario p. 385. seq.

12. Latini Pacati Drepanii Panegyricus, præsenti Theodosio M. Augusto dictus A. C. 361. Romæ Kal. Sept. spectante senatu, cum Imperator, interfecto Aquileiæ Maximo, triumphans in urbem reversus fuisset. Hunc Drepanium Nitiobrigem (ex Aginno Nitiobrigum metropoli) fuisse, innuit Sidonius Epist. VIII. 11. Proconsulem ex Ausonio[h] intelligimus, qui eum sæpe memorat. Filium quoque appellat, ætatis vel amoris causa. Ceterum alius et junior est Pacatus, ad quem Symmachus scripsit Epist. VIII. 12. et XI. 58. 69. Junior quoque Drepanius Florus hymnographus, de quo infra. Petrus præterea Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato, alium notat fuisse Pacatum, qui Uranio promisit, S. Paulini se vitam versibus scripturum esse. Alius deinde Minutius Pacatus grammaticus, de quo Socrates Hist. II. et Suidas in Πάκατος. Hunc Panegyricum vehementer laudavere Barthius ad Claudian. p. 559. et Jos. Scaliger ad Manilii Sphæram Barbar. v. 17. et alii.

Hisce in quibusdam editionibus additur Ausonii Gratiarum Actio pro consulatu, dicta Gratiano Augusto A. C. 379. et sæpius edita una cum ceteris Ausonii scriptis, de quibus dicetur lib. III. c. 10. H. Stephanus adjunxit etiam Panegyricos Claudiani,

[f] Cf. Antoninum Mongitorem T. II. Biblioth. Siculæ p. 28.

[g] Canitiei enim suæ meminit c. 17. et 'meliorem ævi sui partem transactam' c. 18. Nomen suum ipse memorat c. 17. 'Claudi Mamertine, non frustra vixisti.' Et collegam in consulatu Nevitam Gothum, 'adoreis militaribus gloriosum.' Vide Petri Relandi Fastos Consulares p. 398.

[h] Ausonius Tollii p. 264. seq.

versibus scriptos, et inter jucundissimi illius poëtæ carmina obvios. Addunt et editiones nonnullæ, ut Parisiensis 1643. 12. Panegyricum Ennodii, Italiæ regi Theodorico dictum Mediolani vel Ravennæ circa A. C. 507. vel 508. editumque cum aliis Ennodii scriptis, etiam inter Sirmondi Opera T. I. et aliquibus Cassiodori editionibus, et ad calcem vitæ Theodorici a Joanne Cochlæo scriptæ, atque a Joanne Peringskiold illustratæ, Holmiæ 1699. 4. p. 201. seq. cum Sirmondi et Andr. Schotti notis p. 605. seq.

Plinii Scripta.

Extant ejus Epistolarum libri decem, quorum ultimus epistolas Trajani et Plinii mutuas de rebus maxime publicis in provincia scriptas complectitur. Ante sæc. XII. rarissima earum mentio. Unus Sidonius Apollinaris ejus epistolas commemorat, quas et imitari studuit. Is vero novem tantum libros commemorat, IX. 1. unde quidam librum decimum Plinio abjudicarunt: etiam Jo. Mansionarius tantum octo memorat; sed Sidonius vel in codice suo tantum novem libros habuit, ut qui extant codices scripti tantum novem habent, vel eos libros tantum nominavit, quos ipse imitatus est; nam et epistolas suas in libros novem partitus est. Plinius quidem ipse videtur librum decimum separatim edidisse, quod in iis non ingenii laudem spectarat, ut in ceteris. Symmachus quidem et decimum librum habuisse videtur: nam novem libros scripsit imitatione Plinianæ orationis, et ingenii causa, item ad privatos: epistolas ad imperatores libro proprio complexus est, eumque decimum fecit.—De inventis Epistolis Plinii vid. Decembrium Polit. Liter. p. 32. Is dicit inventas 124. nempe, ut opinor, super priores lib. IX. easque adeo libri X. etsi in libris nostris sunt tantum 122. Verum in hoc libro variarunt Mss. ut post commemorabimus, cum de edd. dicemus. Vincentius Bellov. Spec. Hist. dicit X. 67. epistolas Plinii ad Diversos trecentas reperiri. Hic quidem librum decimum non vidit. Sed opinionem de νοθείᾳ lib. X. bene refellit Catanæus, ut alios taceamus. Rectius alii librum singularem, et reliquis etiam præferendum putant. Joannes Savaro ad Sidonium p. 534. 'Non est, quod ingeniosi verba Sidonii captent, et argutentur decimum Epistolarum librum ad Trajanum spurium et supposititium esse. Plinio asserunt Justinus Martyr, Tertullianus, Eusebius, Orosius, et reliqui. Verum ut longe diversi argumenti librum singularem reliquis annumerare

frustra duxit. Nam quod ait Catanæus, Sidonium sui sæculi eruditione contentum fuisse, nec Plinii librum habuisse intra armaria bibliothecæ suæ, hoc ineptissimum est: passim enim Plinium imitatur, ut notatum est suis locis accurate.' Vignolius Marvillius Misc. Hist. Literar. T. III. p. 197. 'Le dixième livre des Epitres du Jeune Pline est le chef-d'œuvre de ce grand homme. Ses autres lettres ont de grandes beautés, et des agrémens singuliers pour les gens qui aiment les belles-lettres: mais celles-ci, qui regardent le ministère, sont incomparables, principalement quand elles se trouvent accompagnées des réponses de Trajan, qui leur apportent un grand lustre. Jamais rien ne m'a fait mieux concevoir ce que les Romains appeloient 'Imperatoria brevitas,' que ces réponses si brèves et si sages. Si les purs esprits se mêloient d'écrire, ils n'écriroient pas autrement. C'est là le plus haut point de la perfection.' Omnino aliter scribendum in causis publicis et ad principes, quam ad privatos, etiam cum ingenii causa scribitur; estque in illo genere nil perfectius exemplo Pliniano.

Multa vero alia scripsit Plinius, ut libros de Helvii Ultione, quorum mentio VII. 30. IX. 13. et Orationes, e quibus ipse laudat Actionem pro Accia Variola, VI. 33. e qua Sidonius Epist. VIII. 10. ait, eum plus gloriæ de centumvirali suggestu domum retulisse, quam cum M. Ulpio (Trajano) incomparabili Principi comparabilem panegyricum dixerit; Orationem ad Municipes suos, cum bibliothecam dedicaret, I. 8. et II. 5. Varia itidem lusit carmine, tam Græco, quam Latino, de quibus vide VII. 4. Sed illa omnia pridem interciderunt.

Quanta cura et diligentia in scribendo usus fuerit, ipse auctor est VII. 17. ad Celerem: 'Nullum emendandi genus omitto, ac primum quæ scripsi, ipse pertracto, deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda, notasque eorum, si dubito, cum uno rursus aut altero pensito, ac si quid mihi credis, tunc acerrime emendo: nam tanto diligentius quanto solicitius intendo.... Cogito quam sit magnum dare aliquid in manus hominum, nec persuadere mihi possum, non et cum multis et sæpe tractandum, quod placere et semper et omnibus cupias.'

Liber de Viris Illustribus, et Altercatio cum Hadriano Imp. male tributa Plinio.

Sæpius quoque etiam in edd. antiquissimis sub Plinii nomine

lucem vidit liber de Viris Illustribus: sed ille auctorem habet Aurelium Victorem, ut infra libro III. videbimus. Neque Altercatio cum Hadriano Imp. sive responsa ad interrogata Hadriani, sunt Plinii Secundi, uti in ed. Monasteriensi a. 1597. inscribuntur, sed Secundi, Sophistæ Atheniensis, quem Epithyrum vocatum esse legitur apud Philostratum de Vitis Sophistarum l. I. p. 543. ubi ἐπίουρον, h. e. *subscudem* sive *clavum ligneum* scribendum, recte ex Suida monuit Holstenius et Bochartus. Apud eundem Suidam perperam legas, hunc ipsum Secundum Sophistam Plinium cognominatum esse. Sed utique scripserat Suidas, οὐχ ὃς ἐχρηματισε Πλίνιος. De hoc Secundo dictum Biblioth. Græcæ II. 13. p. 502. seq. et VI. 10. T. XIII. p. 564. ubi ejus responsa sive sententiæ editæ. In Bibliotheca Bodleiana extant Anglosaxonica dialecto quæstiones et responsiones inter Hadrianum et Ritheum, sub quo monstro nominis Epictetus latere videtur. Memorat Catalogus Mss. Anglosax. in Tomo II. Thesauri Linguarum Septemtrionalium Hickesiani p. 93.

Plinii hujus fere æqualis fuit Julius Secundus orator, cujus elegantiam celebrat Quintilianus XII. 10. et X. I. De eodem consulendus auctor de Causis Corruptæ Eloquentiæ. Nescio an diversus Secundus orator, quem Othoni Imp. ab epistolis fuisse, narrat Plutarchus in Othone p. 1070. E. Alius fuit Carinus Secundus rhetor, quem Caligula in exilium egit, quod exercitii causa in tyrannos declamasset, teste Dione l. LIX. p. 656. Saturninus Secundus, de quo Valesius ad Sozemeni VI. 3. Alius item Secundus Sallustius, de quo Ammianus XXII. 3. Ceterum admodum frequens priscis Romanis, a numeris nomina imponere. Sic Prima, Romuli filia. Marcus Primus, præfectus Macedoniæ, occurrit apud Xiphilinum Augusto p. 71. et Dionem l. LIV. p. 522. Primus Episcopus Alexandrinus et alius Corinthius ap. Eusebium Hist. IV. 1. et 4. et 21. T. Cæsius Primus in voto ad Fortunam Prænestinam apud Petrum Pithœum lib. IV. Veterum Epigrammatum. M. Unicus poëta elegiarum scriptor apud Martialem XII. 43. Primulus Martyr T. II. Act. Sanctor. 10 Maii p. 551. Primus presbyter, ibid. p. 497. Prima mater Maximi Pupieni Imp. S. Prima culta Carthagine, de qua Procopius VI. 5. de ædificiis Justiniani. Primanius, ad quem rescriptum Gordiani Imp. Primigenius, ad quem rescriptum Carini et Numeriani. Protus, ad quem S. Damasi carmen XXVII. Protogenes grammaticus, et alius pictor, de quibus in Bibl. Græca. Tertii amanuen-

sis sui meminit S. Paullus Rom. XVI. 22. Tertia Bruti, Ciceronis joco notissima: altera Paulli Æmilii apud Plutarchum p. 260. et Cic. Tertia Verris, de qua Cicero Verr. v. 12. Tertulli etiam huc spectant, et Tertulliani, ac Tetradii, Pentadiique. De Quarto quodam consulenda Martyrologia 3 Nov. et Bivarius ad Pseudo-Dextrum p. 103. Julii Quartilli mentio in vetere inscriptione apud clariss. Valeriani Mémoires de Trevoux a. 1708. p. 1095. Quartus et Quintus Martyres T. II. Act. Sanctor. Maii p. 555. Quinti, Quintilli, Quintillæ passim occurrunt, uti Sexti quoque, de quibus Reinesius in Syntagmate Subscriptionum Veterum p. 847. et Sextilii, Sextimii, Septimiique, et Sextus Annalis, de quo jocus Tullii apud Macrob. VI. 1. neque Octaviorum obscurum nomen. Septimæ etiam cujusdam mentio apud Cic. Fam. Ep. IX. 10. ad quem locum Paullus Manutius annotat, filias haud raro ab ordine nascendi appellatas, Primam, Secundam, Tertiam, Tertullam, &c. Quartus Paullo Apostolo Rom. cap. XVI. vers. 23. Quintus Septimius philosophus, ad cujus sectam transiisse L. Crassitium refert Suetonius de Grammaticis c. 18. Quarta-Tertulla, Quinta, Decima, Ezechiel Spanhemius de Usu Numismatum T. II. p. 40. seq. Tertullianus quoque lib. de Anima c. 37. inter Deas puerperis cultas Nonam et Decimam cum Alemona et Lucina commemorat. De Nono Medico dictum lib. VI. Biblioth. Græcæ. Decimi magis etiam obvii, et pro undecies mille martyribus,[i] quas Ursulæ socias ferunt, nonnulli eruunt Undecimillam martyrem, pro qua Ximillam nescio quibus rationibus præferunt nonnulli. Δωδεκάτης meretricis nomine comœdiam scripserat Phillyllius, teste Suida. Sed missis hisce institutum nostrum persequamur.

[i] Similem traditionem de bis mille virginibus, Chosrois persecutionem veritis, quæ in flumen se præcipites dedere, ex Zachariæ Rhetoris Historia Ecclesiastica refert Asemanus T. II. Bibl. Or. p. 62.

RECENSUS EDITIONUM
PANEGYRICORUM VETERUM,
AUCTIOR FABRICIANO,
ET IN V. ÆTATES DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1789.]

ÆTAS I.

PANEGYRICUS Plinii in Trajanum, primum editus a Franc. Puteolano, certe ante an. 1477. inter Panegyricos XII. mox accessit ad Epistolarum editt. 1. Germanicam s. l. et a. Neapolitanæ filiam. 2. Beroaldinam an. 1501. 3. Jo. Mar. Catanæi 1506. an. 1510. repetitam. 4. Aldinam 1508.

s. a. et l. editionem in Germania factam, cum primum ars typographica inventa est, refert cl. Ernesti in Bibl. Lat. auctiori T. II. p. 411. cujus ipse exemplum, aut saltem repetitionem habere se dicit, quamque omnium primam putat. Is liber habet tantum libros octo Epistolarum cum Panegyrico dicto Imp. Nervæ, ut ibi legitur. Nos eam conjicimus, quod ad Epp. attinet, filiam Neapolitanæ, quippe quacum convenit, eamque Lipsiæ editam.

s. n. anni, loci, et typographi, sed haud dubie Mediolanensis, 4. Plinii Panegyricus, inter duodecim Panegyricos Veteres a Franc. Puteolano editos. Quam quidem editionem Arntzenius et Schwarzius ad annum 1476. referunt, unde etiam hic annus exemplo in Catal. Bibl. Ernestianæ p. 182. n. 2737. ascriptus sit; sed argumentis probabilibus vindicat Saxius in Hist. Lit. Typ. Mediol. ad ann. 1482. Certe Joannes Galeacius, cujus natales incidunt in annum 1469. Franc. Puteolano in præfatione ad Jac. Antiquarium dicitur 'nunc primum pubescens;' quod minime quadrare videtur in annum 1476. Præter Panegyricos Veteres hac editione etiam continetur Jul. Agricolæ Vita per Corn. Taci-

tum, et Petronii Arbitri fragmentum. Usus est ea cl. Arntzenius.

s. a. et l. et typogr. nota, 4. C. Plinii Secundi Novocomensis Panegyricus Trajano dictus, et ceteri XI. Panegyrici Latini Veteres (qui in prima tabula designantur). Franciscus Puteolanus diligentissime recognovit. In fine: 'Panegyrici XII. finiunt, a variis auctoribus editi. Cum gratia et privilegio.' Vid. Cat. Bibl. Bun. T. I. vol. I. p. 255. Quamvis hæc editio neque præfationem Puteolani, neque cetera opuscula, superiori editioni adjecta, complectatur; contextum tamen Panegyrici Pliniani ad amussim refert. Cl. Schwarzius eam adhibuit in sua ed. Hambergero l. c. p. 253. videtur Mediolani facta.

1477 Mediolani, 4. Panegyrici Latini Veteres; Petronii Arbitri Satyricon; et Ephemeris Dictys Cretensis, cum epistola Maselli Beneventani ad Bartholomæum Chalcum, Ducalem Secretarium, ante Dictyn præmissa. Sic legitur ap. Maittar. Ann. Typ. T. I. p. 374. Refertur etiam in Cat. Bibl. Harleian. T. IV. p. 542. Præterea nemini memoratur hujus anni editio. Verosimile autem est, hanc ed. eandem esse cum prima Puteolani; ita ut Maittarius confuderit Panegyricos cum Dicty, qui quamvis in idem volumen compactus, ab illis separandus erat, et ad quem solum referenda anni et loci subscriptio. Vid. Hamberger l. c. p. 252.

1501 Huic ed. Epistolarum annectendæ veniunt, postea inventæ et a Beroaldo separatim credo primum an. 1501. publicatæ Venetiis, et instar supplementi Bononiensis editionis repetitæ Plinii ad Trajanum et Trajani ad Plinium Epistolæ: Plinii Panegyricus: Benedictus Hectoris Bononiensis impressit, 4. Curatum enim esse hunc libellum singularem a Phil. Beroaldo, testis est Catalogus Bibl. Reg. Belles Lettres T. II. p. 109. Neque igitur hanc accessionem separandam duximus a suo principali, quod alii adhuc fecere. Vid. Maittaire Ann. Typogr. T. II. p. 157. et Hamberger II. p. 51.

— Veneta, 4. Quæ in isto continentur opusculo: 'C. Plinii junioris Epistolæ per Philippum Beroaldum emendatæ; et unus est adjunctus liber, (scil. IX.) qui in aliis supp. impressis minime continebatur: Etiam ejusdem auctoris Panegœrycus in laudem Trajani Imperatoris dictus; et de Viris Illustribus libellus.' Sic in fronte libri. In fine: 'Impressum Venetiis per Albertinum

Vercellensem anno ab incarnatione Domini CIↃIↃI die XX. Aprilis.' Præmittitur ad clarissimum Joannem Wartimbergensem Scholasticum Boemum Philippi Beroaldi Bonon. Epistola. Illi quidem Beroaldus imitationem styli Pliniani maximopere commendat; nihil autem in formula dedicationis affert neque indicat, unde textum hauserit. Servatur in Bibl. Archipalatina Manh. Ad hanc ed. spectat tanquam supplementum seorsim editum 4. C. Plinii ad Trajanum Epistolæ XLVI. nuper repertæ cum ejusdem responsis. Sic est in Catal. Bibl. Harleianæ Vol. IV. p. 546. n. 10724.

1506 Mediol. fol. C. Plinii Cæcilii Secundi Epistolæ et Panegyricus, Trajano Aug. dictus, cum commentariis Jo. Mariæ Catanæi, impress. Mediolani apud Alexandrum Minutianum, anno salutis MDVI. XV. Calendis Februarii. Priores novem libros Epistolarum Catanæus inscripsit Præsidi Gratianopolis ac Mediolani, Jafredo Carolo, juris civilis et pontificii prudentissimo: librum decimum Epp. ad Trajanum Imp. dedicavit Ambrosio Mayno; Panegyricum autem Eminentissimo Principi, Jo. Jacobo Trivultio, militiæ Gallicæ moderatori.

ÆTAS II.

Quamvis enim Jo. Mariâ Catanæus præiverit Aldo an. 1506. in edendis X. libris Epp. cum Panegyrico et Commentariis suis, ac pluries dein repetitus sit Venetiis 1510. 1519. Parisiis apud Badium 1533. denique correctior Basil. ex Frobeniana 1552. Aldus tamen Manutius ipsum mox vicit et in emendandis et integrandis Plinii Epistolis ex cod. antiquissimo: in quibus quid præstiterit, indicat tum editi primum a se an. 1508. Plinii titulus, tum ipse in præf.

Plinii Panegyricus, qui inter ceteros splendet velut luna inter ignes minores, non tam ab Aldo illustrior factus est, quam cum sociis a Jo. Cuspiniano, subministrante ejus ex fratre nepote Georgio, Viennæ 1513. Sed editores Plinii totius I. Aldi, I. Catanæi lectionem secuti sunt. Juntina, cui præfuit Jo. Franc. Zeffus, Aldinam correxit. Panegyricos ex Rhenani ingenio emendatiores edidit Jo. Frobenius typogr. Basil. 1520. quo anno Jac. Locher cogn. Philomusus unum Plinii Paneg. cum edd. Puteolani et Beroaldi denuo contulit, Norimbergæ editum. Jo.

Sichardus Plinii editor laudatus 1542. in titulo Panegyricum quidem ad vetustissimum exemplar emendatum, sed scriptumne fuerit an excusum illud, haud indicat, pulchre tamen et modeste lectionem correxit; pariterque Gryphiana III. sub idem tempus emendata est. P. Navius Panegyricorum editor in Gryphiana Veneta 1576. lectionem Puteolani et Aldinam corrigere studuit, nullius Ms. auxilio præter impressos libros usus. Neque H. Stephanus Plinii editor novus 1591. æque in Panegyrico, ut in Epp. emendando versatus est. Quare demum 1599. Jo. Livineius, Belga, novæ ætatis auctor in edendis Panegyricis habeatur.

1508 Veneta, 8. Caii Plinii Secundi Novocomensis Epistolarum libri decem, in quibus multæ habentur epistolæ non ante impressæ. Tum Græca correcta, et suis locis restituta, atque rejectis adulterinis, vera reposita. Item fragmentatæ Epistolæ, integræ factæ. In medio etiam epistolæ libri octavi de Clitumno fonte non solum vertici calx additus, et calci vertex, sed decem quoque epistolæ interpositæ, ac ex nono libro octavus factus, et ex octavo nonus, idque beneficio exemplaris correctissimi, et miræ, ac potius venerandæ vetustatis. Ejusdem Panegyricus Trajano Imp. dictus. Ejusdem de Viris Illustribus in re militari, et in administranda Rep. Suetonii Tranquilli de Claris Grammaticis et Rhetoribus. Julii Obsequentis Prodigiorum Liber. Epistolæ decimi libri ad Trajanum probantur esse Plinii in sequenti epistola. Inibi etiam liber de Viris Illustribus, non Tranquilli, sed Plinii esse ostenditur. Venetiis in ædib. Aldi et Andreæ Asulani soceri, mense Novembri.—De hac sua editione ipse Aldus testatur in epistola ad Aloisium Mocenicum, Senatorem Venetum, præsto sibi fuisse membranas scriptas, 'adeo diversis a nostris characteribus, ut nisi quis diu assueverit, non queat legere. . . Est volumen ipsum non solum correctissimum, sed etiam ita antiquum, ut putem scriptum Plinii temporibus. . . Tibi inprimis habenda est plurima gratia, inclyte Aloisi, qui exemplar ipsum Epistolarum reportasti in Italiam, mihique dedisti, ut excusum publicarem. Deinde Jucundo Veronensi . . . quod easdem Secundi epistolas ab eo ipso exemplari a se descriptas in Gallia diligenter, ut facit omnia, et sex alia volumina Epistolarum, partim manu scripta, partim impressa quidem, sed cum antiquis collata exemplaribus, ad me ipse sua sponte . . . adportaverit, idque biennio ante quam tu ipsum mihi exemplar publicandum tradidisses. . . . Libellos de Viris Illustribus, ut

correctiores exirent in manus literatorum, Jo. Bapt. Egnatius, vir in utraque lingua eruditissimus . . . mecum accurate quidem, sed cursim, quod parum daretur otii, recognovit. Addito etiam Julii Obsequentis libro de Prodigiis, quem mihi Jucundus . . . dono dedit, ut una cum aliis in hoc volumine imprimendum curarem.'

1510 Venetiis, fol. C. Plinii Cæc. Sec. Epistolarum libri novem. Ejusdem Plinii libellus Epistolarum ad Trajanum cum Rescriptis ejusdem Principis: Ejusdem Panegyricus Cæsari Trajano dictus, cum enarrationibus Jo. Mariæ Catanæi. Impress. Venetiis per Joannem et Bernardinum Fratres de Lisona Vercellenses. Anno Domini MCCCCCX. die decimo quarto Decembris.—Convenit hæc editio Veneta cum antecedente Mediolanensi 1506. teste Schwarzio; nisi quod emendatio erratorum typographicorum, quæ calci primæ editionis erat adjecta, in ipsum contextum editionis secundæ, suis quæque locis, sit recepta.

— Parisiis, 8. Forte repetita ex Aldina.

1513 Viennæ Pannoniæ, 4. Panegyrici Variorum Auctorum et Declamationes nonnullæ perquam eruditæ, hactenus non impressæ. (ex recensione Jo. Cuspiniani.) In calce libri: 'Impressa sunt hæc Viennæ Pannoniæ, opera Hieronymi Philovallis et Joannis Singrenii, sodalium. Impensis vero Joannis Metzgker bibliopolæ. Georgio T. Collimitio Gymnasii moderatore, quarto Idus Martias. Anno MDXIII. imperante Maximiliano P. F. Aug.' Complectitur hæc editio Panegyricum Plinii, et XII. alios veteres Panegyricos. Addita sunt his quædam ex Livii libro XXXIV. de Lege Oppia; et tres Declamationes incerti auctoris contra legem, qua mulieribus auri et argenti usus interdicebatur, ad Nic. Perottum, Pontif. Sypontinum, provinciæ præsidem. Quam ἔκδοσιν prorsus eximiam, neque facile obviam, non ipse curavit Jo. Cuspinianus, sed ex ejus schedis nepos ex fratre Georg. Cuspinianus edidit. Usus est ea Christ. Gottl. Schwarzius.

1514 Argentorati, 4. apud Schurerum, cum præfatione B. Rhenani. Repetitio mera Aldinæ, cujus etiam titulum præfert: unde error eorum natus sit, qui ex hoc Aldinæ imitamento novam Aldinam hujus anni fecere.

1515 Florentiæ, 8. C. Plinii Cæcilii Secundi Novocomensis Epistolæ, omnium, quæ hactenus prodiere, purgatissimæ; ejusdem Panegyricus Trajano dictus; ejusdem de Viris Illustribus in re

militari et in administranda republica; Suetonii Tranquilli de Claris Grammaticis et Rhetoribus; Julii Obsequentis Prodigiorum Liber.—Impressum Florentiæ opera et sumptu Philippi Juntæ. Anno a Nativitate DXV. supra mille, mense Octobri, Leone Decimo Pontifice.—Hæc opuscula Jo. Franc. Zeffus inscripsit Pr. Francisco Medici, viro clarissimo, et, ubi commendat Plinii epistolas, professus est, se librum hunc, 'multis in unum collatis exemplaribus, qualem potuerit, reformasse.' Sed is potissimum secutus est textum Aldinum, si perpaucas varietates excipias. Vid. Schwarz. ad h. a.

1518 Venetiis, 8. C. Plinii Secundi Novocomensis Epistolarum libri decem, (atque alia, quæ etiam in Aldi editione a. 1508. habentur,) Venetiis, in ædibus Aldi et Andr. Asulani soceri, mense Junio MDXVIII. Hæc editio expressa est ad editionem 1508. nisi quod nonnulla errata typographorum correcta habeat. Accesserunt insuper Index rerum memorabilium et propriorum, et Latina interpretatio dictionum et sententiarum Græcarum. Vid. Catal. de Crevenna Vol. IV. p. 277.

1519 Venetiis, fol. C. Plinii Cæcilii Junioris libri Epistolarum novem, addito nunc et decimo, cum Panegyrico, i. e. Oratione de laudibus Trajani Imperatoris: una cum luculentissima Jo. Mariæ Catanæi expositione his omnibus libris adjuncta.—Quam diligentissime nuper recogniti fideliterque impressi. Venetiis, per Joannem Rubeum Vercellensem, anno Domini MDXVIIII. die XV. Decembris.—Hæc editio textum in Epistolis habet cum prioribus Catanæi congruentem, nisi ubi Aldinus præstare visus est: in Panegyrico quidem in perpaucis recedit ab editione Veneta a. 1510. Verum etiam putamus eam esse, quam Catanæus inscripserit Jac. Sadoleto, et secutus sit Jod. Badius Ascensius an. 1533. Cf. infra ad h. a.

1520 Basileæ, 4. Panegyrici, quotquot ex vetustate conservati sunt.—Basileæ per Jo. Frobenium, mense Decembri, a. MDXX. —Huic editioni præfatus est B. Rhenanus, cujus emendationes habet, non quidem ex Ms. sed ex ingenio, et, ut solebat, inter legendum factas.

— Noribergæ, 4. Panegyricus Caii Plinii Secundi Novocomensis, Trajano Augusto dictus, Epistola dedicatoria Philomusi, (ad Jo. Rudolphum, Abbatem Campidonensem) cum nonnullis annotamentis panegyristam plane declarantibus.—Impressum

Nurnbergæ per Federicum Peypus. Anno virginei partus MDXX. mense Junio.—Editor dicitur Jacobus Lochner Philomusus, qui tunc vixit, juventutemque studiosam docuit Ingolstadii. Is in edendo Plinii Panegyrico videtur potissimum usus esse Puteolani et Beroaldi editionibus; in margine identidem provocat ad alia quædam exemplaria; nusquam tamen diserte mentionem facit alicujus codicis Ms. Annotamenta autem illa, quæ memorat in titulo, non sunt nisi notationes quædam figurarum rhetoricarum, et lectionum variantium, margini adjectæ.

1521 Basileæ, 8. Plinii Epp. cum Paneg. cett. ut in Aldina.

1526 Basileæ, 8. Plinii Secundi Epistolarum libri x. Panegyricus Trajano Principi dictus. (item cetera, quæ in Aldi editione habentur.) Ex inclyta Germaniæ Basilea, per Andream Cratandrum, mense Martio, anno MDXXVI. In præfatione ad lectorem hæc quidem scribit Cratander: 'ad comendam linguam, Romanique sermonis puritatem parandam, damus non minus, ut spero, utilitatis adlaturum opusculum, nempe Epistolas Plinii Secundi, in hoc scripti genere quasi Roscii, una cum politissimo Panegyrico, Trajano Imperatori dicto, et libello de Viris Illustribus, ad exemplar Aldinum quam fidelissime, quaque licuit diligentia, emendatas, plerisque etiam in locis aliorum collatione exemplarium castigatiores,' &c.—In Panegyrico tamen recensendo non nisi in tribus circiter locis ab Aldi recensione recedit, teste Schwarzio.

1529 Parisiis, 8. C. Plinii Secundi Epistolarum libri x. ejusdem Panegyricus, et de Viris Illustribus, &c. Excudebat Robertus Stephanus anno MDXXIX. prid. Cal. Jan.

1530 Basil. 8. Plinii Epp. et Paneg. a Jo. Sichardo. Nobis indicata a viro illustriss. Jo. Heideggero, reip. Turicensis tribuno, et rei literariæ tutore nobis benevolentissimo.

1531 Lugduni, 8. C. Plinii Epistolarum libri x. et Panegyricus, Trajano dictus, &c. Sebastianus Gryphius excudit a. MDXXXI.—Eosdem libellos quos Aldus conjunxerat, Aldique præfationem et textum, in hac editione exhibet Gryphius.

1532 Antverpiæ, 8. C. Plinii Secundi Novocomensis, viri consularis oratorisque disertissimi, Epistolarum libri x. ad exemplar Ms. Rodolphi Agricolæ diligentissime recogniti. Panegyricus Trajano Cæsari dictus. Et is ad vetustissimum exemplar emendatus. De Viris Illustribus rei militaris et administrandæ reipublicæ. Accesserunt argumento non admodum abhorrentia. Suetonii

Tranquilli de Claris Grammaticis et Rhetoribus. Item, Julii Obsequentis Prodigiorum Liber. Indices duo, quorum altero nomina referuntur eorum, ad quos Plinius scribit; altero quicquid memoratu dignum toto opere continetur. Latina interpretatio dictionum ac sententiarum Græcarum, quibus Plinius utitur. Antverpiæ apud Martinum Cæsarem: anno MDXXXII. mense VII.—Est penes nos.

1533 Parisiis, fol. C. Plinii Cæcilii Secundi Epistolarum libri x. Ejusdem Panegyricus, Trajano dictus, cum commentariis Jo. Mariæ Catanæi, viri doctissimi. Multis epistolis cum illarum interpretatione adjectis. Veneunt Jodoco Badio et Joanni Roigny.—Ex chalcographia Jod. Bad. Ascensii. Anno MDXXXIII. Præfigitur huic operi Catanæi epistola ad D. Jacobum Sadoletum, episcopum Carpentoratenum, a. 1518. Romæ scripta: in qua Catanæus primo commemorat, se, cum Romam venerit, a Dominico Mamiliano descriptas de vetustissimo codice Germanico plures ad Trajanum, et insuper quasdam ejusdem Plinii ad amicos Epistolas, accepisse, quæ de libro octavo exciderint; deinde idem invehitur in Jafredum Carolum, cui dedicarat primam editionem, propterea quod eum postea longe expertus sit alium, quam antehac putarit, ac de eo scripserit. Nihilo minus tamen in hac Ascensiana editione recusa est prima dedicatio, quæ ante Epistolas Jafredo Carolo, et ante Panegyricum Jo. Jac. Trivultio, fuit inscripta. In contextu hujus editionis omnino quædam lectiones a prioribus Catanæi editionibus diversæ deprehenduntur. Mendose hæc editio in Bibl. Fabricio-Ernestina refertur ad an. 1523.

1539 Lugduni, 8. C. Plinii Epistolarum libri decem: item Panegyricus, Trajano Cæsari dictus, (et cetera opuscula, quæ Aldi editione continentur,) Lugduni, apud Sebastianum Gryphium.—Hæc Gryphiana fere convenit cum superiori, anno 1531. impressa.

1542 Lugduni, 8. apud Sebastianum Gryphium. In cujus quidem editionis tertiæ præfatione Gryphius profitetur, dici non posse, quanta, quam fœda, et quam multa, in hoc opere Epistolarum vulnera sanaverit, collatis non oscitanter codicibus satis multis, adhibitoque judicio, non suo solum, sed eorum quoque, quorum sibi ad eam rem fidelis semper præsto fuerit opera. De emendatione Panegyrici nihil nominatim monet: Schwarzius tamen se

animadvertisse scribit, in septuaginta et pluribus locis lectionem hujus editionis a lectione editionis primæ 1531. differre.

— Basileæ, 8. C. Plinii Secundi Novocomensis, viri consularis, oratorisque disertissimi, Epistolarum libri x. ad exemplar manu scriptum Rodolphi Agricolæ diligentissime recogniti. Panegyricus, Trajano Cæsari dictus, et is ad vetustissimum exemplar emendatus. De Viris Illustribus rei militaris et administrandæ reipublicæ. Accesserunt argumento Suetonii Tranquilli liber de Claris Grammaticis et Rhetoribus: item Julii Obsequentis Prodigiorum liber, &c. Basileæ, apud hæredes Andr. Cratandri.—Hanc editionem curavit Jo. Sichardus, qui in præfatione sua valde contemtim loquitur de textu Aldi, eumque ait haud pro dignitate munus suum administrasse in his libris, seu judicii inopia, seu exemplaris vitio, quo usus erat: quod sane est iniquius judicium. Ceterum bonæ notæ est hæc Sichardi editio. Quale autem fuerit vetustissimum illud Panegyrici exemplar, quod in titulo laudat, haud licet conjicere, cum illud in præfatione sua non designaverit.

1545 Paris. 8. C. Plinii Sec. Epp. et Paneg. Suetonius Tranq. de Claris Gramm. et Rhett. Julius Obsequens de Prodigiis. Paris. ap. Colinæum. (Ex ed. Aldina 1518. et Antverp. 1532.)

1547 Lugduni, 8. ap. Seb. Gryphium. Plinii Epp. cum Paneg. cett. ut in ed. Aldina. Indicata nobis a viro illustriss. Jo. Heideggero.

1551 Lugduni, 8. ap. Seb. Gryphium. C. Plinii Cæcilii Secundi Novoc. Epistolarum libri decem, cum Panegyrico, &c. —Omissa Fabricio, quamvis consulta Cortio fuerit. Extat quoque in Bibl. Petr. Ant. Crevenna. Vid. ejus Catal. Vol. iv. p. 277.

1552 Basileæ, fol. C. Plinii Cæcilii Secundi Novocomensis (quem et Juniorem vocant) Epistolarum libri x. una cum ejusdem Panegyrica Oratione, Trajano Imperatori Aug. dicta: Mariæ Catanæi commentariis hucusque depravatissime editis, nunc autem integritati suæ restitutis, explicata sunt. Ejusdem de Viris in re militari et administranda republica Illustribus liber, Conradi Lycosthenis enarrationibus illustratus. Basileæ, per Hieronymum Frobenium et Nic. Episcopium.—In quibusdam diversa est hæc editio a priori a. 1533. sed textum exhibet correctiorem, teste Hambergero l. c. p. 249.

s. a. Parisiis, 4. Pacati Panegyricus cum scholiis Fr. Balduini.—Vid. Catal. Bibl. Thuan. Hamb. 1704. Part. II. p. 252. et Hamberger. T. II. p. 856.

1570 Parisiis, 4. Annotationes in Panegyricum Pacati et Eumenii de Scholis.

1576 Venetiis, 8. Panegyrici diversorum, nunc demum recogniti et in lucem editi per Paulum Navium. Quibus addita sunt argumenta, ut cuique facile sit, quæ voluerit, ea et in Historiis, et in Chronicis, posse reperire. Venetiis, apud Gryphios.—Navius, destitutus codicibus Mss. potissimum secutus est editionem Mediolanensem Franc. Puteolani, cujus utcunque correxit vitia.

ÆTAS III.

1591 Genevæ, 12. C. Plinii Cæcilii Secundi Epistolæ, ejusdem Plinii, et Pacati, Mamertini, Nazarii, Panegyrici. Item Claudiani Panegyrici. Præter multos locos in hac posteriori editione emendatos, adjunctæ sunt Isaaci Casauboni notæ in Epistolas. Excud. Henr. Stephanus an. 1591.—Magis de Epistolis, quam de Panegyrico, emendandis sollicitus fuisse videtur Henr. Stephanus; margini tamen varias aliorum lectiones addidit.

1595 Duaci, 8. ex officina Balthasaris Belleri: Latino-Attici Oratores, subjecta Julii Cæs. Scaligeri oratione in luctu Audeeti Cæsaris filii.

1598 Parisiis, 12. Plinii Epp. et Paneg. cum notis Claudii Minois et Is. Casauboni. Cf. Catal. Bibl. Bigot. P. III. p. 190.

1599 Antverpiæ, 8. XII. Panegyrici Veteres, ad antiquam qua editionem, qua scripturam, infinitis locis emendati, aucti. Joannes Livineius, Belga Gandensis, recensebat ac notis illustrabat. Antverpiæ, ex officina Plantiniana, apud Joannem Moretum.—Ipse Livineius lectorem brevibus edocuit, quibus instructus subsidiis accesserit ad Panegyricorum recensionem, quæ nunc quoque in optimis habetur:—' Ad Lectorem: In auctoribus his purgandis, amice Lector, pluribus usi, qua scriptis, qua vulgatis codicibus, brevitatis causa singulis quosque literis designamus. Est igitur V. exemplaris signum, quod penes nos est in membrana exaratum, notæ admodum bonæ: B. apographi Bertinensis, Francisci Modii fide: L. veterum schedarum, quas doctissimus Car. Langius ad

Frobenianam lectionem contulerat: C. editionis Cuspiniani, quæ Viennæ prodiit MDXIII. quam humanissimus Justus Lipsius suppeditavit: R. Beati Rhenani, quam Frobenius excudit: G. Lugdunensis, non unius anni, et typographi. Prodierunt et alibi, sed quos operæ pretium non sit excutere. Hoc te scire volui, amice Lector; tu interea salve et fave!'

1600 Antverpiæ, ex officina Plantiniana. Justi Lipsii Dissertatiuncula apud Principes: item C. Plinii Panegyricus liber Trajano dictus, cum ejusdem Lipsii perpetuo commentario.

— Genevæ, 4. ap. Paulum Stephanum. Plinii Epp. cum Panegyricis Latinis.—Sic est in Cat. Bibl. Thuanæ rec. Hamburg. p. 252. et 255. Eadem credo cum seq.

1601 Genevæ, 4. C. Plinii Epistolarum libri X. Ejusdem Panegyricus Trajano dictus cum commentariis Jo. Mariæ Catanæi, viri doctissimi. Adjuncti sunt alii ad alios Cæsares Panegyrici, ad fidem vetusti exemplaris emendati. Excudebat Paulus Stephanus.—Ita apud C. G. Schwarzium in Indice II. Varr. Edd. in Paneg. Plinii p. 744. ubi et præf. P. Stephani fragmentum legitur. In perpaucis locis lectio hujus editionis recedit a lectione editionis Catanæi a. 1510. quam quidem et Ascensianam 1533. et Basiliensem 1552. contulerat maxime in Panegyrico.

— Parisiis, 12. Claudii Minois.

1604 Antverpiæ, 4. Justi Lipsii Dissertatiuncula apud Principes: item C. Plinii Panegyricus liber Trajano dictus, cum ejusdem Lipsii perpetuo commentario. Editio secunda, aucta et emendata, Antverpiæ, ex officina Plantiniana, apud Joannem Moretum.

— Insulæ, 4. Conr. Rittershusii Reliquiæ Conjecturarum in Panegyricos Veteres. Ad calcem Paræneticorum veterum Goldasti.

— Henr. Stephani, 12. C. Plinii Sec. Epp. ejusd. et Trajani amœbeæ. Ejusd. Plinii et Pacati, Mamertini, Nazarii Panegg. item Claudiani Paneg. Adj. Is. Casauboni notæ. Conf. Catal. Bibl. Uffenbach. T. I. p. 670.

1605 Parisiis, 4. Eumenii Rhetoris oratio habita ad V. P. Præsidem Galliæ pro Menianis Flaviensium, sive Augustodunensium, scholis instaurandis. Paris. ap. Steph. Prevosteau. Vid. Cat. de la Bibl. du R. Bell. Lettr. T. I. p. 125. et Hamberger. T. II. p. 664.

1607 Francofurti, 12. XII. Panegyrici Veteres, ad antiquam qua editionem, qua scripturam, infinitis locis emendati, aucti: nuper quidem ope Joh. Livineii; nunc vero opera Jani Gruteri: præter quorum notas accedunt etiam conjecturæ Valentis Acidalii et Conradi Rittershusii. Francof.—Hæc editio debetur Grutero, qui eam dedicavit Jo. Christoph. Grun in Weirsberg, Ser. Electoris Palatini ad Rhenum cancellario: in qua vero dedicatione non indicat, præter illa, quæ in titulo nominavit, subsidia, quibus usus sit. At in notis, et quidem statim ad cap. 1. et deinde aliquoties, laudat quasdam Jacobi Bongarsii annotationes et conjecturas. Nec videtur destitutus fuisse codicibus manu scriptis, cum ad cap. 44. et 69. ad tales provocet. Quam autem curate, quam religiose Gruterus versatus fuerit in edendis scriptoribus antiquis, ipse declarat in notis ad cap. 2. Paneg. Plinii. 'Non ausus sum,' inquit, 'recipere in contextum, quod manarit a conjectura, quamvis certissima: ea enim usquequaque reverentia auctoribus classicis, ut nihil mutemus sine testium auctoritate certa, hoc est, librorum antiquorum.'

1608 Parisiis, 8. C. Plinii Epistolæ. Adjectæ notæ et emendationes, hac tertia editione factæ locupletiores, auctore Claud. Minoe JCt. Huic editioni accessere in eundem Plinium Isaaci Casauboni notæ. Adjungitur ejusdem Panegyricus. Parisiis, apud Marcum Orry.—Panegyricus etiam in hac editione sine notis et commentariis est, neque nisi contextum orationis ab Henr. Stephano expressum, variantesque lectiones in margine, refert. Claudius Minos diem obierat an. 1603.

— Ambergæ, 8. Optimus Princeps Trajanus, a Conr. Rittershusio in lucem productus. Cf. Th. Crenii Animadv. P. VII. p. 25.

1611 Genevæ, 12. apud Paulum Stephanum repetita editio Casaubono.—Stephaniana extat in Bibl. Sen. Francof. ad M.

— Francof. ad M. 12. Plinii Epp. libri X. c. n. Gruteri, Casauboni, et Henr. Stephani. Accedunt XII. Panegyrici Imperatoribus dicti c. n. Livineii, Rittershusii, Acidalii, et Gruteri, qui in capita primus distinxit Panegyricos.

1622 Antverpiæ, 8. Justi Lipsii Dissertatiunculæ apud Principes: item C. Plinii Panegyricus, &c. Editio tertia. vid. ad a. 1604.

1625 Genevæ, 4. C. Plinii Sec. Epp. libri X. item Panegyricus Trajano dictus cum Comment. Jo. Mar. Catanæi.

1632 Genevæ, 12. apud Jac. Chouet. Repetitio editionis a. 1591.

— Lugd. Bat. 16. Plinii Paneg. ex rec. Boxhornii.

1635 Argentorati, 4. C. Plinii Secundi Panegyricus liber, quem Imp. Nervæ Trajano, optimo Principi, scripsit, sive dixit, denuo editus: nunc vero duce Deo, Præside viro doctissimo clarissimoque, Dn. Matthia Berneggero, Historiarum Professore ordinario, ad publicam dissertationem propositus a Joh. Jac. Stockher, Scaphusia-Helvetio.—Hoc libro continentur: 1. Vita Trajani a Boxhornio perscripta. 2. Oratio Dominici Baudii in hunc librum; cujus notæ tunc adhuc desiderabantur. 3. Contextus Plinii in capita a Jano Grutero, nunc et in sectiunculas, vulgo versiculos, distinctus. 4. Notæ (non tamen ubique integræ) Lipsii, Gruteri, Livineii, Rittershusii, et Berneggeri. 5. Index Rerum et Verborum locupletissimus. Dedicavit vero Stockherus hunc libellum tribus Senatoribus reipublicæ Scaphusianæ, et in his parenti suo. Sequitur Epistola a Berneggero ad Franc. Stockherum, inclitæ reipublicæ Scaphusianæ Præfectum, perscripta. Deinde Jo. Henr. Bœcleri Carmen de everso Germaniæ statu ad Jo. Jac. Stockherum, Plinii Panegyricum publicæ disquisitioni subjicientem; tum Jo. Frischmanni Carmen Stockhero suo inscriptum. Ceterum præter auctorum supra memoratorum notas, novas etiam Jo. Frischmanni annotationes continet hæc ed. et qui eum in sectiones distinxit.

— Ibid. 4. C. Plinii Secundi Panegyricus liber, quem Imp. Nervæ Trajano, optimo Principi, scripsit, sive dixit, denuo editus, curante Jo. Frischmanno.—Hæc ed. eadem est cum superiori, iisdem chartis et typis excusa, nisi quod Jo. Frischmannus, qui tunc hospitio Berneggeri usus, et studia moresque Jo. Jac. Stockheri moderatus est, suum nomen titulo præfixit, et, omissa Stockheri dedicatione, itemque Berneggeri epistola, rejectisque duobus carminibus, ipse suo nomine aliam dedicandi formulam, eamque Friderico, Marchioni Badensi, inscriptam, reposuit. Inde vero usu venit, ut eadem editio modo Berneggero, modo Frischmanno ascribatur. Interim hac editione haud ægre carere potest, cui licet uti ea quæ a. 1675. prodiit Lugd. Bat. ex officina Hackiana, de qua infra.

1640 Lugd. Bat. 12. C. Plinii Epistolarum libri x. et Panegyricus. Accedunt variantes lectiones. Ex officina Elseviriorum.

—Editio accurata. Variantes lectiones nonnisi præcipuas habet, easque ad calcem rejectas.

1643 Genevæ, 4. C. Plinii Epistolarum libri x. Ejusdem Panegyricus Trajano dictus, cum commentariis Jo. Mariæ Catanæi, viri doctissimi. Adjuncti sunt alii ad alios Cæsares Panegyrici, ad fidem vetusti exemplaris emendati. Genevæ, apud Petrum et Jacobum Chouet.—Refert hæc editio editionem Pauli Stephani a. 1600. cujus et præfationem præmittit.

— Parisiis, 12. XIV. Panegyrici veteres (accessit Panegyricus Ausonii et Ennodii) ad antiquam, qua editionem, qua scripturam, infinitis locis emendati, aucti, antea quidem ope Jo. Mar. Catanæi, Fr. Balduini, Herm. Rayani, Jo. Livineii, Justi Lipsii; nunc vero opera Jani Gruteri. Præter quorum commentarios et notas accedunt etiam conjecturæ Valentini Acidalii et Conr. Rittershusii ad duodecim Panegyricos priores. Ad duos autem posteriores Eliæ Vineti, Andreæ Schotti, Joseph. Scaligeri, et Jac. Sirmondi notæ et emendationes. Postremo accedunt notæ antea non editæ P. Fabri Sanioriani, Franc. Jureti, Claud. Puteani, et Ant. Schonovii. Partes II. Parisiis, apud Claudium le Beau. Dedicata est hæc editio Principi Condæo a bibliopola Parisiensi Claudio Beau. Sed eadem etiam extat Parisiis a. 1655. excusa apud Simonem Piget; in qua vero prorsus nihil mutatum est, nisi nomen bibliopolæ et dedicatio; cum hoc alterum exemplar inscriptum sit Ludovico Phelypeaux, regis Gall. a sanctioribus consiliis, &c. Schwarzius ea usus est.

1650 Lipsiæ, 8. C. Plinii Secundi Epistolarum libri x. ut et ejusdem Plinii, nec non Eumenii, Pacati, Mamertini, Nazarii, et aliorum Panegyrici XII. Imperatoribus dicti; cum variis lectionibus et notis Henr. Stephani, Isaaci Casauboni, Caspari Barthii, et Aug. Buchneri. Cura D. A. R. (Andr. Rivini) P. P. in Acad. Lipsiensi. Sumtibus Melch. Klosmanni.—Hæc solum textum Plinii, et cett. Panegyricorum, sine notis exhibet; nisi quod variantes lectiones, ex Henr. Stephani, ut putat Schwarzius, editione repetitæ, inferiori singularum paginarum margini subjiciantur.

— Jenæ, 8. Eadem editio.

— Francof. ad Viadrum, 8. Plinii Epp. et Paneg. cum XII. aliorum Panegyricis, c. varr. lectt. et notis Varr.

1651 Holmiæ, 8. Lat. Pacati Drepanii Panegyricus, cum notis Jo. Schefferi.

1652 Trajecti ad Rh. 12. C. Plinii Panegyricus.... et ad eum Justi Lipsii commentarius perpetuus; cum ejusdem dissertatiuncula apud Principes, Albertum et Isabellam. Trajecti ad Rhenum, typis Gisberti a Züll, et Theodori ab Ackersaück.—Hæc editio Trajectina nihil recedit ab Antverpiensi, quæ a. 1600. ex typographia Plantiniana prodiit.

1653 Lugduni Bat. 12. C. Plinii Cæc. Sec. Epistolæ et Panegyricus. Editio nova. Marcus Zuerius Boxhornius recensuit et passim emendavit. Lugd. Batav. ap. Jo. et Dan. Elsevir. MDCLIII. Alia exempla habent Amstelod.—Ipse Boxhornius in Præf. de hac sua editione: 'Exemplaria Mss. ad manum nobis nulla fuere. Plinium igitur ipsum consuluimus, et corruptarum lectionum apices, in quibus verarum fere sunt vestigia, diligenter excussimus; et, cum in interpunctionibus haud semel peccatum deprehenderemus, peccatumque ita, ut certam aliquam sententiam elicere non liceret, eas quoque mutavimus, ut, quantum quidem fieri poterat, nihil non Plinianum hic legeretur,' &c. Post Præfationem Boxhornius exponit suum de Plinio judicium, quo Christianum eum non fuisse, ut voluerunt alii, ostendit. Addidit præterea vitam Plinii, ex epistolis collectam. Calci libri subjecit Indiculum variantium aliquot Lectionum, ex editis aliis congestum. Nullas vero notas Boxhornii hic invenies, utpote quas demum singulari Animadversionum libello a se expositum iri promisit, sed nunquam evulgavit.

1655 Parisiis, 12. II. Vol. apud Simonem Piget. Panegyrici Veteres, &c. Vid. ad ed. Parisinam 1643.

1656 Lugduni, 16. C. Plinii Panegyricus Nervæ Trajano Augusto dictus. Lugduni, apud Antonium Molin.—In hac editione solus contextus Panegyrici, nec is satis emendatus, exhibetur.

1659 Amstelod. 12. repetitio ed. Boxhornii mera. C. Plinii Cæc. Secundi Epistolæ et Panegyricus. Editio nova. Marcus Zuerius Boxhornius recensuit, et passim emendavit. Amstelædami, ex officina Elzeviriana.

1665 Francofurti ad Viadrum, 8. C. Plinii Epistolæ cum notis Henr. Stephani et Casp. Barthii, additis Plinii et aliorum Panegyricis.

1668 Upsalæ, 8. Lat. Pacati Drepanii Panegyricus, cum notis Jo. Schefferi. Editio auctior atque emendatior. Cf. a. 1651.

1671 Genevæ, 4. C. Plinii Epistolarum libri x. Ejusdem Panegyricus Trajano dictus, cum commentariis Jo. Mariæ Catanæi. Adjuncti sunt alii ad alios Cæsares Panegyrici, &c. Genevæ, sumptibus Samuelis Chouet. Hæc editio idem prorsus exemplar refert, quod a Paulo Stephano a. 1601. excusum est.

— Salmurii, 12. C. Plinii Secundi Panegyricus Trajano dictus, cum commentariis Justi Lipsii, juxta optimam Jo. Moreti editionem. Notulis et emendatione Tanaquilli Fabri. Salmurii, apud Jo. Lesnerium.—Hæc editio nihil habet, nisi notas Lipsianas. Nomen Fabri a bibliopola per dolum additum.

ÆTAS IV.

Panegyricus Plinii c. n. Varr. ad exemplum Frischmanni s. Berneggeri, sed notis Dom. Baudii auctus, ex offic. Hackiana Lugdunensi 1675. prodiit, Veenhusianæ Epp. c. n. Varr. jungendus. Lipsiana lectio etiam in edd. G. C. Kirchmaieri 1689. A. Ch. Rothii 1695. et Chph. Behrii, ad conjiciendum audacioris, regnat 1700. sqq.—Panegyricum Plinii cum ceteris Panegg. ad ed. Paris. 1643. expressos, cum apparatu multo dedicavit Delphino Jac. De la Baune, sed critica ratione destitutus; itaque ejus columnæ consuli non merentur. Redditi tamen inde sunt Panegyrici tam ab Anglis Oxonii 1677. et 1686. quam in Batavis Amstel. 1701. et in Italia Venetiis 1728. Plinii ille seorsim et notis Varr. auctior Londini 1716. Universi ad exemplar Duacense 1595. recusi sunt Viennæ Austr. 1694. Superavit omnes has priorum curas Cellarius, non solum emendator Elzevirianæ Boxhornianæ Plin. Paneg. 1693. quam sequerentur etiam J. F. Weinrichius et Casp. Gottschling, sed et princeps novæ recensionis ceterorum omnium Panegyricorum an. 1703. quo anno etiam in Anglia Th. Hearne editionem Elzevirianam Panegyrici Plin. et Epp. varietate trium Mss. auctiorem dedit Oxonii 1703. Cellario in edendis Panegg. oratt. successit Laur. Patarol, qui eas notis, numis, et versione nova Italica illustratas edidit Venetiis 1708. iterumque 1719. Turinensem cum versione Gall. Paneg. Pliniani auctore comite de Quart 1724. et Venetam 1727. Th. de Ceva tacemus, splendidiorem ætatem appetentes.

1675 Lugduni Bat. 8. C. Plinii Panegyricus liber Trajano dictus, cum annotationibus antehac ineditis Dominici Baudii. Iis accedunt Commentarius Justi Lipsii, integræ notæ Joannis Livineii, Jani Gruteri, Conradi Rittershusii, ac selectæ variorum. Ex officina Hackiana. Queritur bibliopola in præfatione, Baudium paucissimis locis auctorum, quibus in illis concinnandis usus fuerit, ascripsisse nomina, quæ labore ærumnabili fuerint indaganda; et interdum complurium scriptorum sententias perpetua contextas serie, ac si ipsius Baudii essent, conglutinasse. Ceterum in hac editione fere reperitur Berneggeri, sive Frischmanni, exemplar supra recensitum; nisi quod jam primum Baudii notæ hic fuerint evulgatæ. Aliquando hæc ed. tribuitur Grævio, qui ejus excudendæ auctor suasorque fuisse perhibetur, quamvis nomen suum ei haud præscripserit.

1677 Parisiis, 4. Panegyrici Veteres: interpretatione et notis illustravit Jacobus De la Baune, Soc. Jesu, ad usum Serenissimi Delphini. Parisiis, apud Simonem Benard. Editor secutus est ed. Parisiensem a. 1643. Præter hanc, neque codicem Ms. neque vetustiorem editionem, laudat; cum primam, quam quidem ipse viderit, habuerit editionem Beati Rhenani, a Frobenio a. 1520. Basileæ excusam. Singulis Panegyricis Baunius vitam Imperatorum, quibus inscripti sunt, per annos a se digestam, item et numismata ex Huberto Golzio depromta, præfixit; simul Panegyrici cujusque synopsin ad artem et seriem rerum proposuit; postremo vocabulorum omnium Indices subjecit.

— Oxonii, 8. C. Plinii Epistolæ et Panegyricus.

1682 Norimbergæ, fol. Marci Velseri operibus a Chph. Arnoldo in unum vol. collectis additus in calce est: Publilii Optatiani Porphyrii Panegyricus dictus Constantino Aug. Ex cod. Ms. Pauli Velseri, Patritii Aug. Vind. Subjungitur Christ. Daumii Spicilegium Criticum, ex Petri Pithœi editione inter veterum Epigr. et Poëmatia Lugduni 1596. procurata p. 37. et Barthii Adverss. congestum.

— Oxonii, 8. Plinii Epp. cum Paneg.

1688 Wittembergæ, 8. Plinii Paneg. illustr. a Georg. Casp. Kirchmaiero.

1689 Wittembergæ, 8. C. Plinii Cæc. Secundi Panegyricus, ad emendatissimos codices recensitus, et commentario ad ductum Lipsii sufficiente illustratus a Georg. Casp. Kirchmaiero. Editio

altera locupletior. Ita quidem titulus. Sed Kirchmaierus nullos Codices Mss. consuluit: textum Panegyrici parum emendatum exhibet; nec fere, nisi Lipsii notas, in compendium redegit. In præfatione narrat, Jo. Livineii exemplaris copiam sibi factam fuisse a Christiano Daumio, cui a Piccarto ascriptæ fuerint notæ marginales, et singularia quædam Barthiana: quorum autem indicium vix nominatim deprehendes in ipso commentario.

1693 Lipsiæ, 12. C. Plinii Cæc. Secundi Epistolæ et Panegyricus. Recensuit et novis commentariis illustravit Christophorus Cellarius.—Videtur Cellarius in recensendo contextu Pliniano potissimum Boxhornianam editionem secutus esse. Vitam Plinii correctiorem præmisit, quam quæ Lycosthene auctore adhuc lecta fuit.

1694 Viennæ Austriæ, 12. Latino-Attici Oratores. Repetitio ed. 1595.

1695 Halæ Sax. 8. C. Plinii Cæc. Secundi Epistolæ ex recensione Jac. Thomasii: ut et Panegyricus Plinii accurate resolutus, et notis necessariis instructus opera et studio Alb. Christ. Rothii. —Notæ Rothii haud magni momenti sunt. In plerisque secutus est Kirchmaierum, cui inde et ea tribuit quæ tribuere debuerat Lipsio.

1700—1703 Controversiarum in C. Plinii Secundi Panegyricum, tum sententiis, tum historiis, formulisque per commissiones oratorias enodandis, tractandarum Agones VIII. præside et auctore Christoph. Behr, Eloq. et Poës. Prof. P. in Gymnasio Gedanensi, 4. Hæ controversiæ in Athenæo Gedanensi juventuti studiosæ ad disputandum propositæ fuere. In his exhibentur: contextus totius Panegyrici; deinde Lipsii notæ, quibus identidem interspersæ sunt quædam Behrii annotationes; inferiori margini adjectæ sunt ab editore quædam emendationes. Nimis vero in emendando Plinio animosus fuisse videtur Behrius; eo tamen nomine laudandus, quod emendationes suas, quarum se rationes redditurum promisit, nondum ipsi orationi Plinianæ inserere ausus est.

1700 Lipsiæ, 12. Repetitio Cellarianæ a. 1693.

— Schleusingæ, 8. Plinii Panegyricus cum exercitatione Godofr. Ludovici ad eum.

1701 Amstelodami, 8. Panegyrici Veteres, repetiti ex ed. Jacobi de la Baune a. 1677.

1703 Oxonii, 8. C. Plinii Epistolæ et Panegyricus, cum variis lectionibus et annotationibus. Accedit Vita Plinii ordine chronologico digesta. Edidit Thomas Hearne. Oxonii e theatro Sheldoniano.—Editor hic contextum Epistolarum et Panegyrici potissimum ad fidem ed. Elzevirianæ exhibuit. Epistolas quidem cum tribus codd. Mss. contulit: at Panegyrici Codice Ms. fuit destitutus. Interim usus est illis notis variisque lectionibus, quas in margine ed. Stephanianæ in bibliotheca Bodleiana invenerat scriptas manu Jos. Scaligeri; nec non aliis id genus lectionibus, quas ex ora editionis Aldinæ in dicta bibliotheca repositæ excerpsit. Ipsæ adeo notæ Th. Hearne sunt perbreves, et fere tantum complectuntur variantes istas Scaligeri lectiones, ex Cuspiniani potissimum editione collectas, quasque Aldi et Stephani exemplaria suppeditarunt. Vitam Plinii debet Jo. Massono. Sed hæc sexennio post auctior edita est Amstelod. ap. Jansson-Wæsbergios 1709. 8.

— Halæ Magd. 8. Duodecim Panegyrici Veteres ex sæculo a Diocletiano ad Theodosium superstites, recensiti et adnotationibus illustrati a Christoph. Cellario, qui et Indices copiosiores rerum et verborum adjecit. Halæ Magdeb. sumtu Jo. Bielckii Bibliop. Jen. Typis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.

1708 Venetiis, 8. Panegyricæ Orationes Veterum Oratorum. Notis ac numismatibus illustravit, et Italicam interpretationem adjecit Laur. Patarol. Venet. apud Nic. Pezzana. Vid. ad a. 1719.

1711 Lipsiæ, 12. C. Plinii Epistolæ et Panegyricus, ex recensione et cum commentariis Christoph. Cellarii. Quasdam notulas adjecit M. Jo. Christ. Herzog. Lipsiæ, apud Thomam Fritschium. —Hæc ed. ex typographi et correctoris negligentia, fere omnium est vitiosissima.

1712 Lipsiæ, 12. C. Plinii Epistolæ et Panegyricus: ad modum Johannis Minellii illustravit J. F. Weinrichius.

1716 Londini, 8. C. Plinii Panegyricus Trajano dictus, &c. interpretatione et notis illustravit Jac. De la Baune, ad usum Serenissimi Delphini. Huic editioni adduntur quædam notæ selectiores Lipsii, Livineii, Catanæi, Rayani, Baudii, Rittershusii, et aliorum. In usum Scholæ Mercatorum Scissorum.—Hanc editionem, quod ex dedicatione patet, curavit Tho. Parsell. Selectiores variorum notæ calci libri sine discrimine et nominibus auctorum adjiciuntur.

— Altorfii, 8. Eumenii Panegyricus Constantio Cæs. dictus. Acc. ejusdem Rhetoris vita.—Fuit in Bibl. Schwarziana cum notis Mss. Cf. Catal. p. 124. n. 2141. et 2143.

s. a. Altorfii, 8. Latini Pacati Drepanii Panegyricus cum notis Mss. ibidem memoratur ter.

1719 Venetiis, 8. Panegyricæ Orationes Veterum Oratorum. Notis et numismatibus illustravit, et Italicam interpretationem adjecit Laurentius Patarol, Venetiis. Editio secunda, ab auctore castigata et aucta.

1721 Regiomonti, 12. C. Plinii Epistolæ et Panegyricus, cum notis Cellarii. Regiomont. ap. Hartung.

— Lips. 12. cum Cellarii et Herzogii notis.

1723 Lipsiæ, 12. Plinii Panegyricus, quem suis variorumque selectis notis, et iis maximam partem Germanicis, illustratum edidit Casp. Gottschling, Silesius.—Hæc, et superior Weinrichii editio, maxime sequitur recensionem Cellarianam. Notæ sunt futiles.

1724 Turini, fol. Panegyricus cum versione Gallica Conradi Comitis de Quart, ejusdemque notis historicis, criticis et moralibus. Vid. infra inter verss. Gall.

1726 — 12. c. n. Germ.

1727 Venetiis, 12. C. Plinii Panegyricus, cum notis P. Thomæ Cevæ, Soc. Jesu.—Nec vero hæ notæ magni momenti sunt, utpote in usum scholasticæ pubis scriptæ.

· Norimb. 4. Christ. Gottl. Schwarzii observatt. criticæ ex Cod. Ms.

— Lipsiæ, 12. C. Plinii Cæc. Sec. Epistolæ et Panegyricus c. n. ad modum Minellii.

— Halæ, 8. eadem ed.

1728 Venetiis, 4. Panegyrici Veteres, &c. Venetiis, ap. Barth. Javarinam. Repetitio editionis Parisiensis Jac. De la Baune a. 1677. nisi quod observationes criticas Christ. Gottl. Schwarzii, ad Panegyricum Latini Pacati, adjunctas habet.

ÆTAS V.

Panegyrici Pliniani lectio emendatior facta ex cod. venerando Christiani Gottl. Schwarzii, Prof. Altorf. qui præterea usus priscarum edd. subsidiis Spicilegia v. Obss. in Paneg. Plinii ad

modum Disq. Acad. edidit 1729—1735. ex quibus et aliunde emendatus a Jo. Matth. Gesnero, Gottingæ 1735. prodiit textus, cum præf. qua receptas suo judicio lectiones tuetur. Supervenit dein ex Batavis Jo. Arntzenius, qui parem Cortio-Longolianæ industriæ in epp. adhibitæ curam, an majorem etiam, posuit in Panegyrico Plin. c. n. Varr. Schwarzii quoque et suis adornando, ceterum vulgatæ lectionis recognitor, non sine superstitione aliqua modestus. Jam denuo recensuit Gesnerus textum in illa operum Plinianorum editione 1739. Interim Schwarzius cunctando auxit opes suas, antequam Panegyricum suum tanto apparatu critico ex XII. Codd. Mss. et plerisque edd. vet. et rec. suæque doctrinæ elegantia instructum ederet an. 1746. quantum nulli alii antiquitatis monumento ab editoribus adhibitum vix invenias. Inde Gesnerus iterum Panegyrici textum Gœttingæ emendatum reddidit 1749. et post ejus mortem Gesneriana II. operum etiam in Panegyrico profecit cura Guil. Aug. Ernesti, Lips. 1770. edita.

Recensionem Panegyricorum post Cellarium et Patarolium nemo, quod ad universos attinet, hac ætate instituere ausus est. Sed aliquos illustravit Schwarzius singularibus libellis, ut Eumenium 1716. et Lat. Pacatum Drepanium 1727. et Claudium Mamertinum 1746—1748. Obss. in Pacatum adjectæ etiam leguntur in Baunii Paneg. Veterum editione recusa Venetiis 1728. et J. Arntzenio, qui Pacatum c. n. Varr. dedit Amstelod. 1753.

1735 Gottingæ, 8. C. Plinii Cæc. Secundi Panegyricus, tum aliunde, tum ex observationibus Christ. Gottl. Schwarzii emendatus a Jo. Matth. Gesnero.—Præter præfationem solus contextus Panegyrici exhibetur.

1737 Regiomonti, 12. Epistolæ et Paneg. c. n. Christoph. Cellarii et Jo. Christ. Herzog. Repetita ex ed. 1711.

— Gottingæ, 8. Panegyricus, cum obss. C. G. Schwarzii.

1738 Amstelædami, 4. C. Plinii Cæc. Secundi Panegyricus, cum notis integris Franc. Jureti, Joan. Livineii, Justi Lipsii, Petr. Fabri, Conr. Rittershusii, Jani Gruteri, Christ. Gottl. Schwarzii, et selectis aliorum, curante Joanne Arntzenio, qui et suas annotationes adjecit. Accedit Joannis Masson Vita Plinii. Editio tertia auctior.—Hæc Arntzenii editio commendatur ab usu exceptorum e Mss. libris pluribus, conjecturis virorum doctorum, N. Heinsii et Perizonii; habetque notas et selectas ex edd. superioribus, et suas bene multas. Crisis est modesta, et ab audacia pror-

sus aliena: ceterum interdum nimis pertinaciter lectiones vulgatas videtur defendisse.

— Viennæ, 8. Epistolæ et Panegyricus c. n. Germ. ap. Krausium.

1739 Lipsiæ, C. Plinii Cæcilii Secundi Epistolarum libri decem. Ejusdem Gratiarum Actio sive Panegyricus, cum annotationibus perpetuis Jo. Matthiæ Gesneri, qui etiam vitam Plinii et Indices auctiores emendatioresque dedit. Lipsiæ, sumtibus Caspari Fritschii. Editio exemplaris, maxime ex quo repetita et curis secundis aucta fuit an. 1770.

1746 Norimbergæ, 4. C. Plinii Cæcilii Secundi Panegyricus Cæsari Imp. Nervæ Trajano dictus. Quem ex XII. Codicibus Mss. librisque collatis recensuit, ac notis observationibusque item et nummis ære exscriptis illustravit, simulque adjectis integris pariter atque excerptis virorum eruditorum commentationibus instruxit Christianus Gottl. Schwarzius, Sacr. Cæs. Majest. Com. Pal. Acad. Altorf. Prof. Publ. et Senior. Norimbergæ, sumtu Jo. Georg. Lochneri.—Editio superioribus omnibus facile superior.

1746—1748 Altorfii Noricorum, 4. IV. Part. Christ. Gottl. Schwarzii Observationes Philologicæ ad Claudii Mamertini Panegyricum Genethliacum Maximiano Aug. dictum.

1748 Halæ, 12. C. Plinii Cæc. Secundi Epistolæ et Panegyricus. Halæ, sumtibus Orphanotrophei.—Nullius pretii.

— Berolini, 8. C. Plinii Panegyricus, studio et opera F. Muzelii.

1749 Parisiis, 12. C. Plinii Cæc. Sec. Epistolæ et Panegyricus. Editio nova. Recensuit et notis illustravit Jo. Nic. Lallemand, in Marchiano Rhetoricæ Professor. Parisiis, apud Desaint et Saillant.—Editio nitida et accurata.

— Gottingæ, 8. C. Plinii Panegyricus, tum aliunde, tum ex observationibus Christ. Gottl. Schwarzii emendatus a Jo. Matth. Gesnero. Editio secunda. A. Vandenhœck.

1750 Berolini, 8. II. Tom. C. Plinii Epistolæ et Panegyricus, Lat. et Gall. curante Jo. Petr. Millero.

1751 Glasguæ, 4. C. Plinii Cæcilii Secundi Opera quæ supersunt omnia. Glasguæ, in ædibus Academicis excudebant Robertus et Andreas Foulis.—Editio splendida. Cf. Catal. de Crevenna Vol. IV. p. 278.

— Eadem ibid. 12. III. voll.

1753 Amstelædami, 4. Latini Pacati Drepanii Panegyricus, cum notis variorum, curante Jo. Arntzenio: Amstel. apud viduam et filium S. Schuten.—Præter jam editas annotationes varr. in hac editione accesserunt ineditæ adhuc Thom. Wopkensii, quibus et suas addidit Arntzenius, usus etiam Excerptis Codicis Ms. ab Gudio quondam collati cum exemplo edito. Profuisse etiam sibi dicit Christ. Gottl. Schwarzii Observationes Criticas ex Cod. Ms. Norimbergæ 1727. 4.

1755 Parisiis, 12. Plinii Epp. et Paneg. cura Lallemandii; rep. ex illa 1749.

1769 Parisiis ap. J. Barbou, 12. Plinii Epp. et Paneg.

1770 Lipsiæ, 8. C. Plinii Cæc. Sec. Epp. libri x. Ejusdem Gratiarum Actio s. Paneg. Cum adnott. perpetuis Jo. Matthiæ Gesneri, qui etiam vitam Plinii (auct. Christoph. Cellario) et Indd. auctiores emendatioresque edidit. Editio auctior et correctior. Lipsiæ, sumtibus Casp. Fritsch MDCCLXX.—Aucta scil. est quibusdam ab ipso Gesnero ascriptis vivo cura Guil. Aug. Ernesti, et accessit Jo. Aug. Ernesti epistola, qua loca plura lib. x. et Paneg. vel corriguntur vel explicantur.

1772 Viennæ, 8. C. Plinius Cæc. Sec. c. n. Germ. Gottschlingii.

1773 Halæ, 12. C. Plinii Cæc. Secundi Epistolæ et Panegyricus.

1789 Ibid. 8. Panegyricus ex recensione C. G. Schwarzii.

1785 Wirceburgi, 8. C. Plinii Cæc. Sec. Epistolarum libri x. ejusdem Gratiarum Actio sive Panegyricus.

VERSIONES.

GERMANICÆ.

1515 Landshut, fol. Gay Pliny des andern Lobsagung zu Zeiten, do er zu Rome das Consulatampte eingetretten hatt vor offem Radt und zuhœrender Gemaind; vom hayligen Kaiser Trajano warhafftiglich on Schmaichlerey ganz zierlichen und wolgespræch ausgesagt. Darinn findt man nach der Leng: was einem yedem

Rœmischen Kayser loblichen: ja einem yeden Regierer: geistlichen oder weltlichen in seiner Regierung zu thun: und herwiderumb was yeden alls nachredlich zu meyden und zu fliehen sey. Durch herrn Dietrichen vonn Pleningen zu Schaubegk und Eysenhofen, Ritter und Doctor, getheutscht.—Gedruckt zu Landshut von Johann Weyssenburger, im durch herrn Dietrichen von Pleningen zugelassen sub privilegio imperiali, mit grossen penen verbunden, das nymants dises Buch in acht Jaren nachtrucken soll. Anno tausent fünffhundert und im funffzechenden. Auf den XIIII. tag des Monats Decembris.—Opus hoc ab auctore dicatum est Maximiliano I. Imperatori, et Wilhelmo Comiti Palatino ad Rhenum, et Duci utriusque Bavariæ.

1520 Repetitio antecedentis, facta Monachii, ut quidem videtur Hockero in Catal. Bibl. Heilbrun. pag. 385. Exemplum ejus servatur in Bibl. Heilbrunnensi. Sed et fuit in Bibl. Ludewig. in cujus Catal. P. IV. p. 1433. n. 12415. legitur: Caii Plinii des andern Lobsagung auf Trajanum, übersetzt durch Dietr. von Pleining 1520.

1735 Leipzig, 8. Des Rœmisches Consuls Caius Plinius Cæcilius Secundus Lob-Rede auff den Kayser Trajanus, übersezt, mit nœthigen Anmerkungen und Lebensbeschreibungen der Kaiser Domitianus, Nerva, und Trajanus, erlæutert von Christian Tobias Damm, Conrect. des Gymnasii zu Cœlln an der Spree in Berlin.

1759 Eadem emendatior, Berolini, 8.

1783 Anspach, 8. Plinius Lobrede auf den Kaiser Trajanus, aus dem Lateinischen übersezt, und mit Anmerkungen begleitet von M. Joh. Adam Schæfer. Anspach, bey Haueisen.

ITALICA.

1688 Venetia, 12. Panegirico di C. Plinio Secondo detto all' Imperatore Nerva Trajano, trasportato nuovamente alla favella Italiana da Genesio Soderini. Venetia, appresso Aluise Pavin.

GALLICÆ.

1608 à Paris, 8. Panegyrique de Pacatus trad. par Chrestien.

1631 à Paris, 8. Panegyrique de Trajan par Pline Second, traduit par Jacques Bouchart: quem et ante Sacium Epistolas

transtulisse, post Sorellum in Bibliotheca Gallica annotat Fabricius.

1633 et 1636 à Paris, 8. Panegyrique de Pline trad.

1638 à Paris, 4. Panegyrique de Trajan par Pline Cecile Second par Mr. de la Menardiere.—Paraphrasin potius, quam versionem esse judicant, qui legerunt. Idem auctor.

1677 à Paris, 12. Panegyrique de Trajan, traduit du Latin de Pline Second par Jacques Esprit. à Paris, chez le Petit.

1701 Ibid. 12. Panegyrique de Trajan par Pline Second, de la traduction de Mr. l'Abbé Esprit. à Paris, chez Nicolas le Clerc.

1704 Ibid. 12. Idem Panegyricus a Lud. Sacio versus primum prodiisse dicitur Fabricio.

1709 à Paris, 8. Panegyrique de Trajan par Pline le jeune, traduit par Mr. de Sacy, de l'Academie Françoise, à Paris, chez Jean Moreau.

1722 à Paris, 4. Œuvres de Mr. de Sacy, de l'Academie Françoise; contenant les Lettres de Pline le jeune, le Panegyrique de Trajan par le même Pline &c. Nouvelle edition, revûe et corrigée par l'Auteur. à Paris, par la Compagnie des Libraires.

1724 à Turin, fol. Panegyrique de Pline à Trajan, en Latin et en François, avec des Remarques historiques, critiques, et morales, par le Comte Coardi de Quart, Reformateur dans l'Université de Turin. dedié à S. A. R. le Prince de Piemont. à Turin, J. Fr. Mairesse.

1745 à Paris, 8. Panegyrique traduit par M. de Sacy.

1750 à Berlin, 8. II. voll. Epistolæ et Panegyricus per Lud. Sacium, cum textu Lat. Vid. ed. h. a.

ANGLICA.

1725 C. Plinii Sec. Opera, Anglice versa variis auctoribus, præmissa Plinii vita, edita sunt Londini. Vid. Mem. de Trevoux 1725. p. 1141.

DANICA.

1704 Hafniæ, 8. Panegyricus Danice versus et notis illustratus a Petr. Brinch (vid. Fabricius l. l. p. 423.) h. tit. Fyrstellige Dyders Speil i Trajano.

HACTENUS Bipontini. Notandum vero est, Notitiam Literariam Bipontinorum jam dictam, tam ad Epistolas Plinii, una cum Oratione Panegyrica, quam ad alios undecim scriptores Panegyricos spectare. Editio igitur Bipontina has omnes publici juris fecerat. Hæc nostra vero editio est Delphiniana, quæ inter duodecim Veterum Panegyricorum cancellos se coërcet. Nostri igitur officii non est, ut antehac, Notitiam Literariam Bipontinorum pedetentim sequi, quippe Plinii Epistolæ ad editionem Panegyricorum Veterum nihil attinent.

Argent. 1520. 8vo. Plinii Panegyricam orationem separatim ab Epistolis dat hæc editio antiqua Jo. Lochneri Philomusi: multa deducit ex Puteolani et Beroaldi exemplis, et in margine exhibet varias lectiones, at sine nominibus librorum et auctorum unde derivatæ sunt.

Variorum Panegyricæ Orationes ad diversos, in calce libri apud Henr. Stephanum, cum notis Mss. Josephi Scaligeri. In prima pagina præfiguntur hæc verba: 'Ex bibliotheca illustrissimi viri Josephi Scaligeri, cujus manus exhibetur passim. Sum Nicolai Heinsii D. F.' 8vo. et Paris. 1600. 4to. Biblioth. Bodl.

Plinii Panegyricus, Anglice versus, a Rob. Stapylton, Milite. Oxon. 1644. 4to.

Plinii Panegyricus, cum Justi Lipsii commentario. Oxon. 1662. 12mo.

Plinius cum aliis Panegyricis. Lugd. Bat. 1669. 8vo. Inter meliores editiones numerat Fabricius Veenhusianam (a Jo. Veenhusio), quæ observationes variis auctoribus excerptas, et alias Jo. Gronovii adjunctas, exhibet. Fabricii Biblioth. Lat. Ernest. vol. I. p. 415.

Panegyricos Veteres interpretatione et notis illustravit Jac. De la Baune ad usum Delphini: anni est 1676. non, ut Bipontini, 1677. Non magni per se æstimatur hæc Bauniana editio: maculis typographicis scatet, quæ vero, in hac nostra editione, accuratæ, ut speramus, invenientur.

Plinii Panegyricus Anglice versus, cum vita Plinii præfixa. Lond. 1685. 8vo.

An Address of Thanks to a Good Prince, Plinii Panegyricus, Anglice versus, per White Kennet. Lond. 1686. 8vo.

Plinii Panegyricus, Anglice versus, per Georgium Smith. Lond. 1702. 8vo.

Panegyricæ Orationes, Laurentio Patarolo editæ, cum versione Italica, 1708. 1719. a Bipontinis notatæ, extant etiam in Operibus Patarol. tom. I. Venet. 1743. 4to.

Plinii Epistolæ et Panegyricus, cum aliis Panegyricis Veteribus. Bipont. 1789. 2 voll. 8vo. Præfigitur Plinii Vita, Cellario conscripta, et Index Auctorum qui a Plinio notati sunt. Annotationes quædam in loca Plinii Panegyrici medelam requirentia subjiciuntur a G. Chr. Crollio. Editio hæc Bipontina nomen magnum obtinuit, ut aliæ Bipontinæ editiones, præcipue ob Notitiam Literariam tam Editionum quam Versionum. Est quidem, sed raro, ubi earum ætates paulo aliter dat quam aliæ editiones; et est ubi forsan erret, at plerumque miram auctoritatem secum trahit hæc editio.

Panegyrici Veteres, Traject. 1796. 2 voll. 4to. Hæc editio exhibet notas docti editoris Arntzenii, cujus observationes, et e Mss. Excerpta adeo commendantur (in priori editione Panegyrici) ab Ernesti: 'Commendantur,' ait, 'ab usu excerptorum e libris pluribus, et conjecturis virorum doctorum N. Heinsii et Perizonii, habetque notas selectas ex variis editionibus, et suas bene multas. Crisis est modesta, et ab audacia prorsus aliena, sed interdum nimis pertinaciter lectiones vulgatas videtur defendere.'

Plinii Panegyricus, Germanice versus, per M. D. L. Wigand. Lips. 1796. 8vo.

Plinii Panegyricum notis illustravit G. E. Gierig. Lips. 1796. 8vo. Præmittitur Disputatio de Virtutibus et Vitiis Plinii Panegyrici.

Caii Plinii Panegyricus. Francof. 1807. 8vo.

Plinii Panegyricum recensuit, notisque criticis illustravit idem vir doctus, Gierig, Lips. 1820. 2 voll. 8vo.

Plinii Panegyricum recensuit, notisque criticis instruxit J. N. Titze. Pragæ, 1820. 8vo.

Hactenus de Plinii et aliorum Panegyricis. Quod ad Plinii Epistolas spectat, si illæ ad res nostras nihil attinent, multo minus opera ejus deperdita, ut, exempli gratia, De Illustribus Viris, quod opus, una cum Panegyrico, extat in editione Aldina, 1508. 8vo. et in aliis antiquis editionibus; sed ex doctorum nostræ ætatis consensu, inter opera nostri Plinii numerari non potest.

Pauca hæc quæ sequuntur ex multis selegimus, ad Panegyricos pertinentia, additamenta nimirum ad ea quæ Fabricius prius protulit in Bibliotheca Latina, et a Bipontinis excerpta, eorum editioni præfiguntur.

Schwarzii Observationes Criticæ ad loca quædam Pliniani Panegyrici. Altdorf. 1729. Heumanni Meditationes ad Pliniani Panegyrici loca, quæ emendari optavit Schwarzius in exitu suæ Præf. in Brem. und Verdischen Biblioth. vol. IV. part. II. n. 7. p. 489.

Appendix Observationum ad Panegyricos Veteres, quæ et Præfationis vice adhiberi potest, curata a Wolfgango Jægero, Prof. Norimb. et Altdorf. 1790. 8vo.

Chr. Gottl. Heynii Censuræ XII. Panegyricorum Veterum. Gotting. 1803. 1805.

Ad Cl. Mamertinum referenda sunt quæ breviter sane notat Saxius Onomast. part. I. p. 377. Vossius de Latinis Historicis II. et V. p. 172. Pagius in Critic. Baron. in variis locis: at quidem duo sunt Mamertini, de quorum ambobus Fabricius tractat in Bibliotheca Latina.

Ad Eumenium Augustodunensem referenda sunt quæ Pagius notavit in Critic. Baron. ad A. C. 297. et quæ Steph. Vinand. Pighius in Hercule Prodicio p. 38—60. et quæ Saxius in Onomast. part. I. pp. 381. 382.

Ad Nazarium Burdegalensem referenda sunt quæ Saxius notat Onomast. part. I. pp. 394. 395. quæ Fabricius variis locis Biblioth. Lat. item Hamberger part. II. pp. 671. 672.

De Latino Pacato Drepanio occurrunt quædam in Saxii

Onomast. part. I. p. 449. Fabricii Biblioth. Lat. l. II. c. 22. Catal. Bibl. Bunav. vol. II. p. 1210. Hamberger part. II. pp. 671. 672.

Quod, denique, ad Plinium et ejus Orationem Panegyricam spectat, separatim ab aliis Panegyricis, præcipue expectandum est, ubi vitia scribendi cum virtutibus inter se mire solent misceri, criseos magnam fore occasionem, tam ob Plinii charactera usque ad fastidium laudantis, quam ob Trajani ultra modum laudati. De Plinio igitur et ejus Panegyrico præter istos scriptores jam citatos, et Gierigium (in Disputatione de Virtutibus et Vitiis Panegyrici, in hac nostra editione repetita), varia sunt quæ viri docti attulerunt: ut Gibbon in Decline and Fall of the Roman Empire; Schäfer in Programma uber den Character des Jungern Plinius, 4to. 1786. et vir nobilis Edwardus Littleton in Dialogo inter Plinium Seniorem et Plinium Juniorem, in Dialogues of the Dead, Lond. 1768. 8vo. J. Aikin, M.D. in Letters from a Father to his Son, Lond. 1793. 8vo. in Nouveau Dictionnaire Hist. et Crit. Caen, 1786. New and General Biographical Dictionary, Lond. 1761. Lempriere's Bibliotheca Classica per E. H. Barker, Lond. 1828. et Gorton's General Biography, Lond. 1828. et aliis omnibus pæne Biographiis Lexicographorum, qui circa res classicas aliquo modo versati sunt.

RECENSUS CODICUM MSS.

PANEGYRICORUM VETERUM,

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

CODICES Mss. Panegyricorum Veterum, qui, rarissimi sane, in Bibliothecis Britannicis manent, hic sequuntur.

In Museo Britannico.

In *Biblioth. Reg.* 15 B. v. Caii Plinii Secundi de Laudibus Trajani Panegyricus. Cod. chartaceus in Italica manu (scriptus Papiæ), sæc. XV.

In *Biblioth. Harl.* N. 2480. Panegyrici Veteres: cod. chartaceus lucide scriptus, sæc. XI. Continet hoc volumen: I. C. Plinii Secundi Orationem Panegyricam, Trajano dictam. II. Latini Pacati Drepanii Orationem Panegyricam, Theodosio dictam. III. Mamertini Gratiarum Actionem, de Consulatu suo, Juliano Imperatori. IV. Nazarii Panegyricam Orationem, Constantino. V. Panegyricos septem diversorum, auctore Mamertino.

Codices Oxonienses.

In *Biblioth. Bodl.* et in Collegiorum Biblioth. sunt codices quidam Epistolarum Plinii et libri de Illustribus Viris Plinio prave tributi, sed nullus Panegyrici Plinii, vel aliorum Veterum Panegyricorum.

Inter *D'Orvillianos* vero Libros Mss. et impressos inve-

viendæ sunt notæ quædam P. Scriverii in Panegyricos, ex editione Antverp. 1599.

Apud *Cantabrigienses* vel unus vel duo codices Epistolarum et Libri de Illustribus Viris forsan inveniantur, sed nullus Pliniani Panegyrici, vel aliorum Veterum Panegyricorum.

INDICES

IN

PANEGYRICOS VETERES.

INDEX

OMNIUM VOCABULORUM

QUÆ IN

PLINII PANEGYRICO

LEGUNTUR.

Prior numerus caput, sequens sectionem indicat.

C.

D.

E.

G.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

FINIS PLINII PANEGYRICI.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM

QUÆ IN RELIQUIS UNDECIM PANEGYRICIS

CONTINENTUR.

Prior numerus Panegyricum, posterior Caput indicat.

B.

E.

F.

G.

I.

K.

L.

M.

P.

R.

T.

FINIS PANEGYRICORUM VETERUM.